

TAYLOR INSTITUTION
DOMI MINA
NUS TIO
ILLU MEA






G. FOLIGNO

# CARMINA
## ILLUSTRIUM
# POETARUM
## ITALORUM.

# CARMINA
## ILLUSTRIUM
# POETARUM
# ITALORUM.

TOMUS SEXTUS.



FLORENTIÆ. M DCC.XX.
Typis Regiæ Celsitudinis, apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium.

*Superiorum permissu.*



# CATALOGUS

## ITALORUM POETARUM

### Tomi Sexti.

### L



### M



*Man-*

## N



CAR-



# CARMINA ILLUSTRIUM POETARUM ITALORUM.

## BENEDICTI LAMPRIDII CREMONENSIS.

*Ad Cremonam Patriam.*

TUa illa tandem maxima vota Dii
Audivere boni: hinc favens
Nunc cœtus celebras; memorque lucis,
Quæ modò fulsit tibi, eam quotannis
Lætam, Cremona, publicis ludis voves.
Ut fervidi currant equi,
Nuda palestra viros fatiget,
Concurrat audax pinu eques trabali;
Tercentum sua spectet
Ludrica vulgus.
Videbis alta de specula novas

Nuptas despicere in viam,
Queis monilia pulchra & arte, & auro
Sint & intexto preciosæ acantho
Vestes, Tyros quas non avara tinxerit,
Cultu locus quis divite,
Quis locus egregiis carebit
Forma puellis, mater unde Amorum
Ridens pectora curis
Figat amaris?
  Ibit hac illac juvenis pallidus, & redibit
Se se in equo lupata
Mandenti ostentans, auroque, & crine decorus
Composito, qui vulnere Amoris
Victus stare loco nesciet, ac, certa velut canum
Fides herum quærit latentem,
Per fora perque domos,
Sic illum trepidans cor feret, ac miser
Suspiciens, oculos vertet modo huc, illuc modo,
Cernere ut queat suam;
Licet hinc obstiterit magnus & inde
Populus, qui studiis se paribus fundet eodem.
  Nam quæ voluptas fugerit invida
Seu certamina blandius,
Seu te percutient stolæ decentes,
Totque luxu regifico apparatus,
Ut hæsites, quo lumina intendas tua,
Ubive defigas prius.
Inde, ubi præmia jam peracta, &
Confecti erunt ludi, serena quando
Nox induxerit atro
Sidera cœlo,
  Ipsas inibunt lætitiæ domos,
Tunc cœnæ arbiter, & meri,
Vinctus crinem apio, decem jubebit
Principem Augustum cyathis bibamus,
Quem nuper aureus capitum maximè
Sol reddidit genti suæ,
Præcipuè tibi præter omnes,

Quæ

Quæ cara ſemper Sfortiis fuiſti,
Ex quo ſe omine primo,
Dia jugarat
Blanca Franciſco, unde decus Sfortiadum, furorem
Qui toties repreſſit
Hoſtilem, victus numquam; juſtiſſimus idem
Sive forum, ſeu caſtra tenerent.
Sponſæ ergo pater optat generum, mœnibus ipſum emit
Noſtris Philippus Rex locorum.
Filia ſola domum
Servans Blanca, & opes divitis Imperii,
Additur egregio conjux duci, illa Heroidum
Quæ fuere, quæque ſunt
Honor: ex illo igitur tempore noſtram
Coluit Sfortiades præ reliquis urbibus urbem.
Quod hic pudentis tunc patuit viro
Nuptæ virginitas novo;
Et plus ſeque ſuaque luce terras
Illa dotales, populumque amabat.
Quin & Cremona principium Regni fuit,
Tantæque fortunæ caput,
Nota virum ingeniis Cremona, &
Armis, profuſa argenti, avara laudis,
Formoſiſſima & intra
Mœnia, & extra,
Quam multa de te nunc mihi ſe offerunt,
O deſiderium meum:
Quæ chordis reſonem integris, laborem
Poſt tot annorum, niſi vellat aurem
Pudor? mihi namque es parens cariſſima;
In teque & ipſum me probem;
Adiiciam tamen, ut ſequuta es
Semper fidelis, quo vocaret Eurus
Volvens aſpera nigro
Æquora fluctu:
Atque tempeſtas ubi jam candidior refulſit,
Lætitia ſubinde
Exultas, lucent ignes, feſtuſque per urbem

Clamor, humum alterno pede pulsans;
Læti dulce rosis impediunt nectar olentibus,
Et tibias conviviorum
Mutuus usus amat.
At nil ipse modis præfero Doricis,
Astra quibus volucri continget heros vertice.
Sed quis audeat sacer
Heliconis fidicen tollere cantu
Juvenem magnanimum fortiaque examina bello?
Terras, io, nunc obtinet Italas
Magni ille egregius patris
Ultor: proditio patrem infidelis,
Unde non pulchrum fuerat cavere,
Divendidit, simulque regnatum gregem.
Tunc dura venit servitus,
Tunc miseram exiliis coacti
Cives salutem quærere immerentes,
Caris cum pueris &
Conjuge carâ.
Cum Rege plectuntur populi suo
Is fructus tamen in malis
Se profert, vice quod soluta dulcis
Explicat frontes, magis & voluptas
Mœrentum acuto corda tentat gaudio,
Franciscus attulit nepos
Quale modo, in sua dum rediret
Regna, & cruorem dum ruens per atrum,
Nostro milite sævos
Frangeret hostes.
Non metus posthac, redeant, atque iterum tumultu
Facto equitare tentent
Ausonios per agros, aut ipsi, aut postera gentis
Proles: nam quos Marte cruento
Ereptos voluit Rex supremus, voce per oppida
Testatur ingenti, monentes.
Solvite spes animis,
Neve ultro Italiam invadite: jam satis
Flevimus. Italia est genus virorum, quos licet
Vice-

Viceris, domum male
Referas pressa alacri tempora lauru;
Animis illi adeo corripiunt arma refectis.

## *Ad Franciscum Sfortiam.*

Es cordi Superis, optime Rex, meæ
Gentis, Sfortiadum genus
Francisce, ab illo nomen inclitum duce,
Quo bellante aliquid sibi placebat
Mavors; fluebat campus atro
Cruore, sævas jam pigro
Cædes volvebat Padus amne.
Tunc Nymphæ insolito pertrepidæ metu
Fugere intima sub vada.
Talem parentum scripta avum tuum docent:
Quem jam nunc teneris sequens ab annis,
Insigne virtutis dedisti
Nobis decus, reponeres
Gallis dum te in sceptra fugatis.
Hi copiis te Belgicis premebant,
Militeque Helvetio, tremendæ
Quos obarmant (aut veteris his mos patrius) secures;
Tu tamen quamvis studio esset illa
Gens duri aspera belli,
Irrueretque multa,
Nil contra es veritus agmina ducere
Insubres juvenum manus;
Cumque hoste, securus necis pro patria,
Hastas conserere, Italumque robur.
Hæsere scutis scuta, [illegible]:
Hinc clamor; inde gloria
Mactantumque, virumque cadentium:
Cum Galli rapidam corripiunt fugam,
Vosque occidere pergitis,
Ut quemque fortuna obtulisset, ultimum,
Tandem funera nox, diemque clausit,
Ac læta pubes venit [illegible]

Quos inter ibas ſordidus
Pulchro pulvere, ſanguine pulchro.
  Gratatur omnis Civitas, tuumque
Nomen ubique reponit Echo.
Reddita ut lux, templa Deûm cœtu adeunt frequenti;
Cum tamen ſpectes lacrimis madere
Multos, lætitiæque
Et medios doloris.
  Patrem eheu repetunt mente tuum boni,
Quo prudentior haud fuit,
Nec juſtior quiſquam nec acrior manu.
Fama ille ad ſolium Jovis volarat:
Sed laudibus diſpar ſequuta eſt
Fortuna tantis; nec datum
Infandas evadere fraudes.
  Nullam fata domum perpetuo beant,
Mutatamque probant vicem.
Verum, Deus ſi quos amet diſpendia
Ipſi illi reparant, opeſque fractas.
Quin ſæpe damnum res ſequuta
Opimior, venitque Sol,
Fœnore qui reddat caput uncto:
  Tranſibis Alpes fortis, & catervas
Incipies Italas per agros
Celticos immittere, nec barbaricis ruinis
Deſines incumbere, donec aurum,
Præſtantique puellas
Dividat ore miles.
  Ipſe autem populis des tua ſubditis
Jura, ac latius imperes.
Curas remordentes premunt oblivia,
Cum ſe fors reditu ferat ſecundo,
Majoraque amiſſis rependat
Nam quidquid accidit ſemel,
Non homines non Dii revocarint.
  Imprimis cineres, ſanctaque barbaro
De buſto oſſa revulſeris,
Quæ ſemper oſſa culta nos habebimus:

Ipſum

Ipsum vero etiam sacrata in æde
Votis vocantes rite, honorem
Imponemus aris supplices.
Est genitor perpessus easdem
Clades tuus, quæ sceptra liberosque
Regis Echionii insequutæ
Olim erant, dum vita fuit, sæva pericla adibant;
Non aqua, aut tellus miseris patebat.
At post Juppiter æquus
Annuit arcem Olympi.
Non fiunt homini de nihilo bona,
Semper nescio quid præit,
Fugisse quod velles: sed hortatur memor,
Virtus, pectore sufferas ut æquo:
Servesque gaudiis te futuris.
Ergo quid incassum angimur,
Quod te lecto affixit iniqua
Febris, nec metum adhuc sollicitum elevat
Fidus cultor Apollinis?
Salus redibit afferens vires novas,
Atque e morbo animosior resurges.
Sic Hercules quondam ruebat
Laboriosas in feras
Ex ærumnâ ingentior ipsâ.
Majora rebus te manent peractis,
An dubitamus adhuc, sinistrum
Cum tonet, cum lanificæ fausta neant sorores?
Quod severo pollice Parca voluit;
Non industria, non vis,
Ante diem refringet.

*Ad Janum Rufum.*

Humana sæpe fallimur
Gens, sæpe nostræ spes, fluunt inanes,
Quamquam illas ratio, & consilium regat.
Omnis in quo spes fuit
Nostra olim sita; longum

Officium ille tempsit
Securus veteris de se pendentis amici.
At Rufus audito meo vix nomine
Contulit fessæ otia tuta Musæ.
Age dic memori carmine magnum,
  Pimplea, Rufum, dignior
Est nemo, blandis quem sacrare nervis
Optes implicitum flore comam novo,
Si virorum gloria
Quidquam pectora tentat
Grata, animusque dulci
Afficitur cura, & referendæ laudis amore,
Qua fulget heros Liviensis plurima
Orbe se quocunque teneret, annos.
Seu demeret ætas, sive adderet.
  Testis urbs Quiritum
Æterna Jovis alite
Condita Roma, hominum
Judex: ubi renidet
Aurea, tamquam in lumine magno,
Virtus, sequuta est quæ benignum
Rufum adeo, foret ut secundus
Nemo, proximi trecenti,
  Non ergo divus Julius
Secum anxius longum revolvit alta
Quærens mente, gravi qui sapientia,
Et fide immutabili
Esset præditus, idem
Fideret æquitati
Auro incorruptus, linguaque, & pectore fortis
Deliberantem anceps moratur copia,
Cum quid excellens animum remoretur,
Summâ & de re novus instat labor.
  Fernandus æquo Iberiam
Sceptro tenebat clarus ille famâ,
Qui regnum valido milite Bethicum
Et sibi & nostris Deis
Subjecit melius, quo
Sospi-

Sospite nullus esset
Nunc timor audito magnas Oriente carinas
Parare, ne stet nomen amplius pium:
At repositum hoc in gremiis Deorum
Quibus omnia fiunt auctoribus.
Regem ad hunc gravissimus
Rufus mittitur: ille eo
Omnia consilio
Perfecit, ut virorum
Terræ præstantum genitrici
Laudem adderet summam, forumque
Tolleret ætheris paternum
Ignibus, suamque gentem;
Quam, magna origo, Livius
Dux condidit, qui sævius furentes
Pœnos, & tumidas Asdrubalis minas
Contudit bello ferox.
Refert principe quo stent
Mœnia civitatum,
Et manet antiquum populis per secula robur.
Hoc Gallus olim expertus ingentem sibi
Rettulit luctum patriæ, & tacenda
Cupidus noscere damna auctoribus.
Hic militaris gignitur
Juventus, hic qui lucida astra norint:
Hic est uber agri; has Thespiadum chorus
Maxime terras amat.
Ecquis singula speret
Dicere? non laborem hunc
Ipse adeam sanus numerique & finis egentem:
Dein ipse me Rufus vocat, Rufus, premi
Qui vetat raram ingenii feracis
Vim [illegible]issimo.
Dii, quis eruditior?
Ille & scriberet, erat catus,
Carmine seu nitido,
Sermone seu pedestri
Docta effingere orsa parentum.

Ac tanta cum præstare posset
Facta etiam, mage judicavit
Hanc viam impiger terendam.
Loqui est decorum; at altius
Se tollit, humanum genus juvare
Qui rebus sapiens egregiis potest,
Hac viâ mortalibus
Fulgentem itur in aulam
Diique probantur esse;
Te divina quibus virtutum gloria miscet,
Ut Rufe compellare te tandem audeam,
Qui merere, ut tres domini approbarint.
Quando id prius accidit, aut olim erit?
Uni placere principi
Et casus, & libido præbeant satis.
Certe hoc ipse sagax rerum animus dedit:
Te Leo, Te Julius
Experti prius ac nunc
Optimus Hadrianus,
Sectatus famamq; tuam, exemplumq; priorum
Tibi recludit pectoris sacra intimi?
Ut juves in partem onus, atque prudens
Cures, deceat quis populos status,
Neu quod obtigit suum
Cuique injuria secum agat,
Præsidium miseris
Ne desit, & superbos
Leges, juraque debita frenent.
Felix, io sanctumque sæclum
Dii proprium sinite, omnis ore
Vos precatur orbis uno.

*In Orpheum a Julio Medice dicatum.*

Sudore quæsitam impigro
Virtutem Pater usque muneratus
Creditur Cœli plagâ.
Hunc olim Semeles puer

Dum

Dum terit callem pedibus decoris;
Ignes auxit Olympo.
Castorem vagi Notis
Sævum tumultuantibus nautæ vocant,
Non caret Herculeus numero labor,
Ut stravit ingenti manu leones
Monstraque Lernæ
Neque tacitum tua linquunt
Fila lyræ canora
Orphen, quem patrio super Hemo,
Dum querere modis
Tristibus Eurydicen ademptam,
Arbores ferunt sequutas,
Vatemque mobili umbrâ
Munisse pedes per aprica
Thrace ferentem
Tunc stetit celer Hebrus,
Tunc lyræ studio
Aurita repserunt gelidi juga Pindi;
Non Nerei fremitus obstrepuit sono.
Quin & colubris hispida colla tumens
Cessit Tenareæ canis triceps domus,
Ebur ut blandis crepuit nervis.
Animo gaudebat tacito
Frudiisse mater
Calliope, Jove nata supremo;
Non tamen immemorum
Fugit iniqua hominum venena,
Antequam petiisset astra,
Ubi ille nec caduco,
Nec bono fragili potitur nunc,
Diis, Jovique carus.
Ergo plurima laudum
Orta materies
Ævoque functis, sospitibusque Poëtis,
Qui faustos Medicum densi adeunt lares
Hymnis canentes Orphea nobilibus,
Teque spes bona natum, Juli, qui dicas
Illum

Illum simili marmore positum.

*Antonio Tebaldeo.*

Tebalde, carminum meorum candide
Judex, pudor quis, aut modus
Fiet dolori? flere tandem desine
Tam dulce, tam carum caput.
Non ille vidit ultimum solus diem,
Solive flendus contigit.
Nam quem viri non excitarat cognita
Virtus amore vinciens?
Seu pangeret verbis poëma Lydiis,
Sive os Latino solveret
Concentu, aquas potus jugo sub Aone
Priscis eisdem vatibus:
Unde inclitum Ferrariæ vestræ decus
Nullum tacebit sæculum.
At te ista; quamvis magna, non sola incitant,
Sed mutua addita fides
Animi; paresque moribus raris viæ,
Idemque virtutum calor,
Qui sæpe conjunxit sub uno ambos lare
Totâ beans anni morâ.
Heu dum revolvo hæc, mens perhorrescit mea,
Nec quid loquar, satis scio.
An quicquam amico dulcius nobis datum?
Vincis, Thebalde, & me simul
Rapis gravem in luctum, dolentem tene ego
Videbo, quin sim particeps
Doloris? anne quenquam amare tu potes,
Ut non eundem tecum amem,
Visum licet numquam? sed unanimes dies
Bonum fleamus Timotheum,
Nunquam remixtis lacrimis vocem piis
Plutonium flectant carcera.
Quicumque nascimur, brevi post lumine
Æternus impedit sopor.

Nec

Nec tum genus, purique candor ingeni,
  Nec qualis illius fuit
Plena hospitum domus, semel vinctum excitent.
  Fatis nihil potentius:
Mutare sæva fata nec volubilis
  Valet potens cœli Deus.
Qui si velit caris rogos depellere,
  Evadat irritus labor.

*In obitum Card. Sedunensis.*

Ergo ne sic positum aspicio, ergo ne
Te vetitum ætherea
Luce pasci, te, optime
Matthæe, qui majoribus edite nullis
Tantus fuisti? rursus obversabitur
Ille mihi ante oculos,
Quo majus inter millia nullum aliud
Monstrum urbs alit, quo sospite semper erunt
Pestes, Venenaque omne genus, nihil intabidum
Videre licebit?
Visum ita Cœlicolum supero patri,
Quem fera præcipitat
Ira mortale in genus,
Perditque sublatis simul his, simul illis
Damnum relictis in malum mali vice.
Ah quoties melior
Largis tuum olim fletibus interitum
Pars conqueritur! te pereunte diem
Involuit atra nox, fusit undique tristis dolor
Acuto ululatu.
Quis vos, o miseri, manet
Nuntius, Helvetii? Sedunensis præsul, heu
Occidit, occidit,
Qui patrium claro extulit polo decus;
Estis unde novo vocati honore;
Templorum, & Fidei præsidium sacræ;
Juvit fatigata ille magna

Ro-

Romæ numina, vobis
Dum pium nomenque, decusque suadet.
Ah sæva nostris gens malis cachinnat;
Exultat invisissimus
Hostis, qui magno prius auro,
Rejectus ab Italiâ toties,
Emisset dura hæc nostri spectacula luctus.
Laborem sequitur labor:
Nec redeuntibus usque sæclis
Proveniet nefandâ
Ullius de morte seges uberior dolorum.

*Ad Gibertum.*

Giberte, pectus maximarum
Rerum capax, ætas licet
Matura nondum, vixque signes laneo
Mentum flore novum, & purpureas genas,
Cum tibi recte est, facilisque puppim
Ventus prosequitur tuam,
Tunc me nemo hominum beatiorum
Gaudis prætervolat
Ignifero super æthere pendulum.
Turbata rursus ceu columba
Pavore suspensus tremo,
Si diva præses Antii transversum agat,
Et fracto pelagus remigio nates.
Aut, ubi sævit pater æstu, & irâ,
Si te inter miserabiles
Luctus, terrificumque mortis agmen,
(Heu loquentem horror subit)
Longa morentur urbe negotia.
An sunt ulla negotia tanti,
Tuam ut nefandis expositam sinas
Pestibus animam, manifesto & rogo?
Latio cum excideret Gallia vecors,
Armis turpe relictis,
Segesque dudum increverit per agros

Læ-

Lætior Ausonios
Pota cruorem,
Quem ferox tandem Anguigero sub duce miles hausit;
Cumque auctum pulchro miremur sidere cœlum,
Liquerit & solum Quirini
Gentium potens Leo.
Credebat omnes ille curas
Tibi atque rerum maximos.
Motus, velut patente notas pectore,
Quid ni? quando, fidem expertus ahenéam,
Ante laudavit Julius, & severis
Versans ille laboribus
Formarat docilem, ut subire posses
Tanta rerum pondera,
Non secus ac patrui pietas solet.
Natura prodesset nil, parumve;
Sed vim latentem proferas,
Quali magistro, evadat in talem puer,
O felix igitur tu juvenum, tuus
Si *Leo* terras habitet, suamque
Romam ille imperiis regat,
*Leges*que, & sua jura ponat orbi:
Non tamen solum attigit
Te dolor, omne pium queritur genus.
Eheu se Stygio extulit amne
Cohors malorum sine carentium,
Bonaque omnia corripuerunt fugam,
Miseri quæ modo cognoscimus: eheu
Fallunt nos bona dum sunt:
Elapsa produnt se illico, arguuntque
Stultitias hominum &
Frigida corda.
Dum Leo Tarpeia sceptra incolumis teneret,
Vidimus expulsos hostes, felicia cuncta:
*Usque* adeo erubuit Leonem
Rex Olympicæ domus.
At mox laborum influxit agmen,
Claustrisque laxatis ruunt

Mor-

Morbi: Deorumque omnis ingruit timor.
Nec majore alibi strage necessitas
Ista bacchatur, graviorve surgit,
Quam Romæ, superest modo
Si Romæ quid, inane nomen ultra,
Nec penates Troicum
Numen & hæc profugi sola verterint.
Heu tu loca hæc vates, Deoque
Cedas: amat Deus pios,
Sed ni audiant, exemplaque attendant, & hos
Ignavo pariter cum populo metit.
Collis ille Etruriæ ocellus altæ
Formoso excipiat sole,
Namque olim mihi sæpe tu solebas
Hunc super dulci mero
Præcipuis dare laudibus angulum.
Olim vivax fama sequentes
Dicet per annos; hic juvenum fuit
Decus, hic studiorum fuit unicum
Specimen, dum fugeres tristia fata.
Horret pectus amore.
Jam jam propinquam ita videre ad Elsam
Mente novâ videor.
An mea læti
Vota respectant superi? jam mihi, Bacche, Gnosum
Linque tuam, huc super Icarios allabere fluctus,
Delie, sospite nil patrono
Dii beatius ferant.

*Ad Olivetum villam Laurentii Puccii.*

Dii collium, & Pallas te, Olivetum tua,
Omnes diligant amicos;
Læta etenim gremio excipis obvio
Nos urbium actos principe
Româ cedere, finibusque amatis
Quando immane sonans arcus Apollinis
Sævit, & atra lues
Con-

Contigit omnia penè tecta
Hoc ergo venimus, tuum secuti herum,
Per discrimina multa,
Cùm populis fugeremur ab omnibus,
Contagium ceu pestilens;
Nec victu revocare, nec sopore
Tellus sollicitos ulla animos daret,
Quin etiam horrida nox
Per nemora & loca senta euntes
Dispicit ignaros viarum.
O quandiu te sulphurina silva
Mente tenebo!
Quandiu tristis memorem subibit
Casus, & dolor novus!
Cùm ego, meusque Nerlius sequentem
Pone amisimus optimum,
Bombasium unanimumque sodalem.
O quæ querelæ, ô qui gemitus dati!
Lucerna, communisque lectus conscii.
Nam nos ardua tandem
Flora receperat, hospes & oppidum
Regens avitum Bossius:
Unum hoc auxilium fuit laborum,
Ni nos Bombasii cura remordeat,
Qui tamen incolumis
Adfuit exoriente Phœbo.
Tunc solvimus tristi tumultu pectora,
Tunc per celsa fremebat
Templa Jovis vacuumque per æthera
Non usitatum gaudium.
At prius, mala sæva finxeramus:
Eheu corripuit dente vorax lupus,
Aut jugulo incubuit
Exuviis latro ovans cruentis.
Quondam & revolventes salebras,
Durisque rupes cautibus tremendas,
Unde profundus
Lapsus & mortem omnia comminantur,

Heu quis iſta viderit,
Suæ modo potens ſit ille mentis,
Sicco lumine ferreus?
Pectore & hæc mœſto repetentes
Omnes nefandus perculerat timor.
Non ponit unquam mente Juppiter bonos,
Teſtaturque periclis,
Quos amat; ergo ſub arbore laſſulum
Notat ſagax quærentium
Cura, non ſecus ac canes Lacænas
Vis innata, & amor prædæ inhians regit.
Interea & reliqui
Caſum animo tulerant acerbo:
Nemo tamen Laurentio magis duce,
Quo propenſior alter
Non fuit inque Deûm, inque hominum genus:
Cui ſi latens vis acrior,
Si mens læua patrum minus fuiſſet,
Antiquum obtulerant Imperium Remi,
Ægraque nunc lacrimis
Roma vacet, miſeroque luctu.
O Roma qualis nunc es, ô quam
Mutata! ſed quid nænias Thalia
Ingrediamur nunc?
Nunc choris & lætitiæ vacandum.
Pan loci potens jubet,
Id Helſa Naïadum decora, quà cum
Se oblectat modò per nemus
Palladium correptus amore;
Modò propè amnis murmura limpidi.

*In obitum M. Antonii Columnæ.*

Te flemus almo Marce caſſum lumine,
Et noſtra damna flemus occaſu tuo.
Non, quandiu ſoſpes fuiſti tu, fuit,
Quæcumque belli ſurgeret furor, metus;
Conſulta ſive poſcerent ſocii duces,

Seu

Seu tempus esset arma cingi fulgida,
Et plurimas miscere lethi imagines,
Cum funebrem pulsæ cient sonum tubæ.
Testantur Etruscorum amœna collium,
Notasque Veronæ domos interfluens
Sacro Athesis amne, quem tegebas cognita
Non ante vi, non usitatis artibus,
Neptuniæ quando obsiderent Venetiæ,
Totoque militum incubarent robore.
Ah nunc tuis dum gratiam persolveres
Gallis, Ducem acri Sforriam bello petens,
Direxit ictum ferreæ Mavors pilæ,
Ceu fulmen atris emicat de nubibus.
Genti an quod invisæ doleret additum,
An quod doleret esse Diis parem virum,
Ortumque Tydeo timeret alterum,
Cum te eminentem ceteros omnes super,
Humerosque latos cum Leonis lumina,
Et cerneret non imparatum, aut vincere
Quoquo irruisses, aut perire fortiter.
Utrumque magnis editos avis decet,
Virtute juxta vivere & mori auspice.
Ergo jaces, ita æmulo visum est Deo:
Sed non jacet nomen tuum famâ inclitum,
Pro quâ genus Columnidarum ducitis
Nihil grave; at nos civitas omnis tamen,
Atque Itali omnes, Galliæque omnes male
Tantum dolorem ferre possumus pii,
Eheu pii frustra: Charon omnes rate
Ultra vehendos accipit, nullum citra.

## *Ad Petrum Mellinum.*

Quando, Pierides, tristior urbs fuit
Quam nunc, quum subitus perculit omnia
Romani populi pectora nuntius
Implens sollicito metu?
Eheu ne tenebris sæva Proserpina

Involvat juvenum præcipuum decus,
Eheu ne generis corruat ultima
Spes, spes corruat ultima,
Melinus generis semper in hospites
Æqui, sive rubris hæc pareret domus
Vittis, pileoloque implicitos sacro,
Seu magnos potius Duces,
Romanum est rigidas tollere fraxinos,
Et ferro egregiam quærere gloriam;
Marte ut B stonio progenitos decet,
Ater quem galeâ cruor
Percussâ exiliens & cerebrum juvat
Disiectum intrepidi vulnere militis,
Qualem olim Marium pertimuit ferox
Rex, & cuncta Neapolis;
Cujus tu Marii sanguis eras, Petre,
Namque illum populus non modo bellicis
Acrem rebus, at & justitiæ gravem
Nuper carmine lugubri
Flevit; nec dum etiam lumina lacrimis
Sunt absterſa, recens est adeo dolor,
Quem duro nimium tu cumulo auxeras.
Eheu pectus inhorruit.
Dii tantum scelus avertite, neve sit
Mens diro Superum obnoxia crimini.
Sed flenti melius reddite conjugi,
Et matris genibus piæ
Cui pars vix superest tertia nominis
Hujus lapsam agedum restituat domum
Petrus, neu patriam prolis inops bonæ
Tanto sanguine pauperet,
Sed nobis alii sese Hieronymi,
Sese Celsi alii, nomina proferant
Non ignota; tener ludat in area
Imprimis Marius puer.

Ad

## Ad Vejos.

Vos tandem video diu cupitos,
Veii, quos memorant viris
Olim Martigenis horrida prœlia
Ausos conserere, & lato dare plurima campo
Sævæ corpora morti.
Sed vobis fuit hæc priore in ævo
Laus: nunc percutiunt meum
Pectus caussæ aliæ, quæ magis attinent.
Gratum Divitio atridetis, quo mihi in uno
Vita est sospite sospes.
Quam dulce magnis a viris
Iisdem est amari de studiis! lyra
Suaviore tamen præterit Angelus,
Nam ducit agmen ille, quidquid aggredi
Ausus est amplo, & tenui peræque
Comis amico.
Non turget, fora non superbus ore
Incessuque perambulat.
Sed laudem tribuit cuique suam bonus;
Nec se ut miremur, sed Diis auctoribus omnia
Vult accepta referri.
Quin etsi patrui efferas galerum;
Surdis audiat auribus;
Narrarique hominis possit molitum
Ingenium, quo se æthereis permiscuit oris;
Fortunæ illud enim dat;
Virtutis esse hoc autumat;
Quæ sola veri nomen habet boni,
Proinde, quod decet, hunc quisquis amat, simul
Et vos amet lubenter hæc vos gratiâ
Visoque; & salvum volo utrumque leni hoc
Carmine sexum.

*Balthass. Castilioni.*

Quid cessas? agedum cingere Cypriâ
Myrto & tu nitidas, Castilio, comas,
Et paulum abiice magnas
Curas rege super tuo.
Non semper madidis Juppiter imbribus
Terras, & trifidis fulminibus petit.
Nec lux permanet alma,
Sed noctis vice pellitur.
Si Mellina nihil te domus afficit,
Et fontes positis ordine Medicis
Pomis, & speculæ, omnem
Unde urbem licet æstimes:
At Tyrrhena, brevi fronte, oculis nigris
Nigro crine, parat quæ tibi dulcia
Doctis carmina chordis,
Et vocis liquidæ sonos,
Tangat, te cyathis en vocat Angelus
Ter ternis, juvenum nobilium decus.
Non contemnere Musas
Te vatum decet imparem.
Vates incolumis maxime seculi.
Te fas ante alios ducere Liberum;
Ingenti Ennius ore
Dicturus grave prœlium,
Victos & populos imbuerat prius
Se vino. duplicem potus Ulysseum, &
Trojæ funera Homerus
Divinis cecinit modis.

*Xantho.*

Quid, Xanthe, Roma convenit Theonio,
Cui nulla virtus ingeni?
Ad verba quamvis ille doctorum virum
De litteris loqui audeat;

Cen

Ceu garrit, alites Jovis corvus videns
Excelsa tentantes sola.
Quæ spes misellum illuc ut iret impulit
Omni oblitum turpi notâ?
Nunc regnat optimus Leo; qui, quòd tenet
Virtute sceptra, odit malos.
An conditorem urbis quod enixa est sacra
Vestæ Sacerdos Ilia,
Putat fore, ut natalium conjunctio
Gradus, ad altos evehat?
Theoni aberras; quamquam eosdem Romulo
Ortus habes, pater facit.
Discrimen. ille maximo belli Deo est
Tu navitâ stulto satus.

*In diem Cosmi Medici.*

Cosmi lux rediit sacra,
Quam festam populi semper habebimus;
Hæc, quando proavum Jovi
Nostro, & Mediceis principibus refert,
Qui magnis Patriæ Pater
Quæsito meritis nomine dictus est.
Ille urbi mala libera
Auro, consiliis, pectore depulit.
Illum facta, refectaque
Privatis memorant templa pecuniis,
Quæ Florentia Etruriæ
Flos claris solita est in decus advenis
Ostentare; magis neque
Dii laudant alium, nec sua patria,
Quam Cosmum, unde suus Leo
Romæ est, quem titulis, & nova imagine
Testatur Capitolium
Patrem: hoc hoc cecidit sæva licentia,
Infandumque jacet scelus.
Nunc tuti, gladiis lege coërcitis,
In luce, in tenebris sumus;
Quod numquam fieri posse putavimus;

In tantum mala creverat
 Consuetudo, rei est quisque potens suæ.
Regnat justitia, & fides:
 Durâ non inopes esuriunt fame,
Laudi præmia sunt sua,
 Quamvis sacrilego Rex ferus agmine
In nostra irruat otia,
 Et tentare Deos audeat Italos.
Pœnas, Galle dabis, memor
 Culparum, videt hæc Juppiter, hæc videt.
Disces quid Leo Maximus;
 Quid possit dominæ proxima Julius
Tutela Italiæ, & potens,
 Examen juvenum; sed melius bona
Te missum faciam die,
 Ne inviso maculem gaudia nomine:
Perfundi liquido juvat,
 Nardo, & fronde caput nectere myrtea.
Terpander citharâ modos;
 Vos gratis alii promite vocibus;
Phryne docta leves choros
 Quid lenta es facili pellere humum pede?
Quin Græcam celer amphoram,
 Quin, & vina moves, Lydie, Massica?
Nos altum ætheris arbitrum
 Orantes prius, hæc ut redeat dies
Semper pulchra mage & mage,
 Inter lætitiam, & dulcia pocula,
Dicamus, Leo, te omnium
 Quot sunt, quotque fuere optime principum,
Et Cosmum, & reliquum genus,
 Natalesque hilari carmine Fesulas.

*Herculi Rangonio.*

Quid audio? qui nuntii? eheu Postume
 Obit Poëta maximus.
Acutus idem, & promptus enthymemata
 Torquere non vulgaria.

Nam

Nam sive motus postulasses eloqui,
 Natura quos parens facit,
Seu progredi ad Deos magis; nec differat
 Quis acrius, nec verius:
Testis meorum Roma dictorum, & Leo
 Augustus, attentâ bibens
Aure, illa quum lepore mollitissimo
 Condita verba promeret.
Eheu fugit mortalium quis invidas
 Furvam Proserpinæ domum?
Eheu redire cui datur, quisquis semel
 Transnavit infernos lacus?
Urgemus hunc nos fletibus tamen piis,
 Frustraque amici pulverem
Affamur ingratum. Sed, optume Hercules,
 Communis iste vos magis
Tangit dolor, vos præter omnes infulas
 Sacrabat ille dotibus;
Si pace tu quid sequeris, bello item
 Fratres tot agminum duces,
Quis dicet acrem Martiis tumultibus
 Guidum gerentem pectore?
Nunc bella forti, & comprimentem barbaras
 Nostro catervas milite?
Desueta Guidus Italorum robora
 Priscas ad artes excitat.
Quis dicet, improbis ubi visum est Deis,
 Desiderari Postumum?
Multi quidem volent, sed in conatibus
 Ipsis inani spe cadent.
Potens erat pari unius ille grandia
 Æquare facta carmine.

## Giberto.

Quid dilecta moror, Pieri, longius?
Jam tandem incipiam dicere nobilem
Gibertum; ille etenim dum placidi regunt

Me rami timidum, decus
Ne tantum exiguis attenuem modis,
Fit longe melior, tollit & in dies
Sese; ceu tacito tempore populus
Udo consita margine.
Sic pondus, mea dum prorogo munera,
Crescens usque humero sustineo impari,
Nil quamvis aliud mecum agitem diu
Secretum peragrans nemus,
Quam grato ut juvenem pectine concinam,
Qui (nam sæpe animo prima remetior,)
Jam tum & Calliopes voce, & Apollinis
Cantandus citharâ fuit.
Ergo de teneris dicitur unguibus
Non temnenda virûm consiliis loqui.
Ausus, quod Siculis gaudia civibus,
Et spem præbuit haud levem;
Fruges terra licet Sicelis, & genus
Divûm, & pennipedes jactet Olympia
In certamine equos, unde virentibus
Intactæ foliis Deæ
Altum vincta caput, lætitiam, & vagos
Per longum fremitus audiit æthera,
Ornatumque lyræ laudibus hospitæ,
Narraruntque domestici
Vates: blanda viris, quum dapibus super
Plectro dividerent carmina Dorico:
Hæc suprema homines gloria lucidas
Evexit superum ad domos.
Hac victor meruit, degeret ut sequens
Ævum lene oculis altior invidis.
Addamne illa sacro mira celebrium
Vatum cognita carmine?
Nempe ut multiplici laude superbiat,
Non parvi tamen hunc fecerat insula,
Sed quin te a reliquâ Trinacriâ eximo,
Panorme? o decus urbium,
Quas Tethys vitreo præluit æquore,

Aut

At terra in spatiis suspicit i
Gibertus gremio vagiit in tu
Primum, sed patre non tu
Nam Francus Genuâ venerat
Arti remigio, sive opus est e
Ni virtutem odio plebs levis
Vertat pectora mutuo.
At Cyllenius hanc sic quoque
Prognatusque Rheâ, quem Su
Nodis horrida ubi vincula fe
Aut intentat atrox vaga,
Late præcipitis flumina Tæna
Unde Orci nigra se regia sub
Quantum infra vacuum decu
Quare immensa Ligusticis
Huc rerum advehitur copia f
Seu nota occiduis remiget a
Seu lævum ratibus velivolis
Proscindat, liquidum diu,
Giberte & genitor fecit iter
Dicebat siquidem: nulla veta
Lex fatorum homines, quid
Cessem, inglorius ut grave
Procurem senium, ignavaque
Tandem, emensus ubi est to
Panormo, inquit, erit nulla
Terra illic igitur fuit,
Donec te his puerum finibus
Atque auxit veteris divitias
Mores ille hominum vidit, &
Multorum prius, at suis
Nunc rebus sapiens, & patri
Antiquâ fruitur, lassus & æq
Vastorum, & validæ militiæ
Sub magni alite Julii.
An non sollicitis rebus inest
Non illi puto mens integra,
Urget, perpetuum si valeat j

Collo demere libero.
Quem non dos nitidi litoris incitet?
Villa, urbem propius despicias tuam,
Unde, & latiflui per strepitum salis
  Puppes currere fervidas?
Hac & pomiferis montibus inferunt
Sese virginei Nereidum chori;
Et longum maneant, ni trepidæ salax
  Formident Satyros genus.
Hic nunc ille comâ sub viridi arborum,
Nunc & garrulæ ubi desiliunt aquæ
Saxo, æstus rapidos frigore ambiit
  Solans te interea vocat;
Te absentem patrui quærit amor senis.
At desiderii temperat impetus
Mox, quum reputat jam melior parens,
  Laudatque in dominos fidem.
Te magnus Leo, cui rector Olympicus
Caros imperium detulit in greges,
Te tanti facit ut participem sui
  Arcani velit intimi,
Atque altis opibus semper adaugeat;
Quæ solæ ut misero nil homini ferant,
Nil virtute tamen non faciunt duce,
  In te plurima quæ nitet:
Quamquam immitis adhuc, sed tamen ut senes
Maturi stupeant, nam tibi contigit
Ante annos, aliis quod dare coelites
  Raro ætate gravi solent.
Quid mirum? egregiam nutriit indolem
Julius; qui vereor, ne sub imagine
Nostra, cœli aliquem dissimulet Deum:
  Certè supra hominem sapit.
Vis patrum est pueris insita: sed nisi
Præcepta, & monitus rite colant boni,
Spem mentita obeunt semina, nec dabit
  Fruges ingenium ferax.
Hinc te ornat pietas, hinc tribui suum

Vis

Vis cuique, & miseros officiis juvas
Æquis, hinc animo largus es, & manu,
Si quid deesse probis vides.
Quid conor tenui singula carmine?
In te uno veteres nostra refert viros
Ætas, te populus prosequitur memor,
Votoque, omnique, & prece.
O virtuti utinam maximæ honos suus
Accedat, dubitem? jam video ut parent
Digna istis meritis præmia, qui regit
Te felix Deus & tua.
Quod si idem mihi det, ne acrius ut canam,
Insuetas adeam sidera per vias,
Corvorumque cohors rauca voracium
Rostro obgarriat irrito.

*De Venere de Cupidine fugitivo.*

Cui tantas Cytherea profert iras?
Quid quærit sibi? Mænas it furore
Velut concita Bacchicos minatur
Dextrâ, fert creperum altera flagellum.
Natum quærit, ais? puellulum ipse
Vidi flammigero ore nescientem
Loco stare; volat citus: petit nil.
Dulcibus lacrimis madet, cachinnat
Simâ nare, loqui usquequaque certat
Est nudus, gerit & facem, & sagittam.
Nunquid is Citherea? longe aberras.
Te tuum fugitivum ego docebo.
Non audis Citherea? te te retro
Verte. vidi ego, sensi ego, liquescens
Ego, hæc per loca vade, Tauromillum
Post fanum Sophiæ sacrum requires
Erronem invenies, modo è papillis,
Modò è luminibus puellulæ imis
E totâ jacere & facem, & sagittam.

*De Julio Med. ægrotante.*

Vexator laterum dolor
Quid tentas Latii præsidium alterum?
An quo, pessime, ceteros,
Hoc & nobilem habes ordine Julium?
Ille sospite sospes est,
Si contra acciderit, non valeat Leo.
O quam consuluit bene
Rebus falciferi progenies senis,
Quæ nostram hunc voluit ratem
Fundari geminis firmius anchoris,
In magnis licet altera
Longè immobilior fluctibus hæreat!
Sed multi facias decet,
In partem solidum si quis onus juvet;
Di, pro munere maximo,
Nobis incolumem reddite Julium.
Et servate diu domum
Cosmi, quo Pietas vindice claruit.
Unum hoc: præterea nihil
Orant sollicitâ vos populi prece.

*Leoni Decimo,*

Cui sumpsi citharam in manus?
Dircæis potius quem referam modis?
Certè non alius meum
Curis æque animum dulcibus occupat,
Atque is qui pater urbium
Non falso a populis nomine dicitur,
Qui Romam imperio tenet
Æquo, præesse piis quem voluit Deus
Prudens gentibus. eja age
Magnum Pierides dicite Cosmiden.
Nam vestrâ ille operâ puer
Crevit suaviloquum flumen ad Arnidos,

Cum

Cum vos nobilis in sui
  Visendi studium movit Etruria:
Quæ multis alias bonis
  Semper nota, tamen tunc mage claruit,
Quod Laurens Medices pater
  Nostri Regis, in hoc lumine dum foret,
Tantam prætulerat facem:
  Illo non alius nec sapientior,
Nec f. ri potior fuit.
  Is supremo etiam, quod bonus, & pius
Esset, gratus erat Jovi;
  Quin & dives opum, nec timidus frui.
Non ulli deerat probo,
  Post laudem egregiè divitias habens.
His ille artibus aureis
  Ditabat veterem patriam honoribus:
Tunc Florentia floridis
  Virtutum rutilans laudibus omnium,
Quem non misit in angulum
  Mundi extenta suæ lumina gloriæ?
At non vita homini data est
  Olim exors gelidi funeris, & mala
Expulsis redeunt bonis.
  Alternas veniens tempus agit vices.
Infanda ecce tibi dies,
  Cum vertit rabidus fraude mala furor
Mœstis gaudia luctibus,
  Natalique manus injicit impias
Urbi turba Deum ebria
  Donis, nec sua jam tot bona concoquens.
Huc illuc igitur nimis
  Adversa immeritam fata trahunt domum,
Quos tandem, licet antea
  Passos multa, tamen rettulit in jubar
Optatum pietas; memor
  Quas ædes Superis, quæ sacra fecerant,
Hostem ultrix scelerum fides
  Incertum exiliis perpetuis agit.

Quid-

Quidquid qualubet audeas,
  Ne sperato Deos immemores fore;
At Laurentiadis sua
  Cornu fudit opes copia plurimo,
Quique ipsis Genius favet.
  Et si indigna situs duraque perpeti
Lævo in tempore siverint,
  Magnis Di cumulis damna resarciunt.
Decedunt pede fervido
  Clades sævæ animis, cum tribuit Deus
Nobis lætitiam æquior:
  Majorique cadunt victa bono mala.
Nondum jungere dexteras,
  Nondum finierant dividere oscula,
Cum Rex ætheresæ domus,
  Cui curæ soboles Romula maximè,
Sceptrum, dive Leo, tibi
  Acceptum penitus credidit in gregem;
Tot virtutibus ut tuis,
  Se se Roma iterum tolleret, & decus
Priscum agnosceret inclita,
  Ut secura bonum degeret otium.
Augusti alite Cæsaris,
  Ut sanctis regeres consiliis pios,
Et Turcam quateres metu
  Nunc, bellis alio tempore perderes.
Felix Æneadum genus.
  Felices reliqui, quos tegis ac foves.
Et Florentia ter quater
  Felix, Diis hominumque generat pares.
Eheu quid laniat genas?
  Quid velat foliis omnia tristibus?
Eheu Di statuunt nihil
  Tam faustum, ut penitus quidquid adest probes,
Quo dux, quo juvenum optime,
  Quo verè Medicis orte parentibus?
Quo Laurens raperis nepos?
  Tecum spes Itali Martis obit nova.

Ve-

Verum ut civis, ut advena
Hunc desideriis lugeat anxiis;
Non te, dive Leo, tamen
Mutat plus nimio dura necessitas.
Sic cum Magdaleos pudor,
Sic cum deseruit te soror altera,
Sic cum junior occidit
Frater, dos animi quem tibi junxerat,
Quam vis sanguinis arctius:
Nam virtutum apices legerat omnium:
Quo te cumque petit modo
Fors, tectum clypeis pectus aheneis
Offers strenuus undique
Adversisque adeo fortior ictibus.
Tum novit sapiens probè,
Quæ vulgus maneant vincula noxium,
Quæ pœnæ, simul horridum
Verbum Tartarei judicis audiit.
Quæ rursus loca debita his,
Qui vitam ingenuis moribus egerint.
Illic perpetuus dies,
Nec perturbat hiems gaudia tristior,
Aut versâ vice Sirius,
Non remis tumidum vertere opus mare,
Ut fias opulentior:
Nec glebam rigido vomere findere
Cogunt irrita commoda.
Illic Oceano patre Favonii
Spirant non sine flumine,
Manante auricomis lene sub arbutis.
Ultra denique nil cupit,
Esse in divitibus cui licet insulis
Quas Saturnus habet Rheæ
Conjux, vester ubi Cosmus, ubi duo
Petri, & non piger emori
Antiquum patruus Julius ob larem.
Cui sub funera hic editus
Divum in lumen habens nomen idem patri,

Carus tanquam oculi tibi,
  Quod comi ingenio præditus, & gravi.
Quod prudens alios supra,
  Te tam magni oneris dimidio levat.
Quod doctos colit hospites,
  Quod toto miseros excipiens sinu,
Et plantis tumidos premens,
  Sublimis vacuum contigit æthera.
Sed quid provehor impotens,
  Et clavo melius barbito pendeas.
Et pulvis numerum fugit:
  Nec dignè Medicum tu resones genus.
Sit tentasse aliquid tamen:
  Non quisquis spatiis sudat Olympicis,
Veloces agitans equos,
  Pulchris juncta refert tempora frondibus.

*In Rosas, quarum spina puella fuerat contacta.*

At vobis mala multa Di, Deæque,
Dent custodia inutilis rosarum
Spinæ, quas digitum meæ puellæ
Juvit cuspide perculisse durâ.
Quæ fiducia, quæve causa vobis
Injecitque animus scelusque movit?
Nam si incedit amœna Fanscioli,
Per vireta, & amabiles per hortos
Hinc legens teneras rosas & inde;
Nulla injuria facta, nulla vobis
Vis allata, malæ, impiæque spinæ.
Non vos, sed dominus virentis agri
Est Marcus meus; ille quando vestrum
Factum intelliget, haud feret sereno
Vultu, nec sine maximâ ultione.
Audetis nimium: an putatis esse
Pulchrum, lædere sic bonas puellas?
Scelestæ, ordine vos habetis omnes
Uno: vos etiam pedem Aphrodites

Divi-

Divinum Veneris (sed una pœna
Ulciscetur & hoc, & illud) olim
Scilicet cute sauciata summâ est,
Ut persæpe alias solebat, unde
Vix prurit nota vulneris pusilli,
At sensit digito puella læso
Altum corde metum, manum & nitentem
Fudit purpureo liquore sanguis,
Unde expalluit ilicet relabens.
An nisi comites, sinu fideli
Tulissent miserâ reclinem in herbâ,
Adspersuque animam levi vocassent
Retro, nunc eat inferas per oras,
Nullis unde datum est pedem referre.
Quando vos aliquid pudebit? ite
Ite opprobria summa Fanciolli.

*Ad Furnium.*

Ergo tu sine me, me sine tu gradum
Vertis, Furni, animæ non quota pars meæ,
Natalem ad Mutinam & Garziacum tuæ
Speluncæ nemus adsitum.
Motum quæsieris rerum ubi, quas pater
Arcanâ æthereum vi rapit in jubar;
Errent sponte suâ jussane sidera;
Quid Phœbi niteat soror.
Hæc tu quæsieris, & superas bonus
Res tentare animo præpete, & inferas.
Ast ipse interea videro barbaras
Regis reliquias feri.
An unquam, miseris libera pestibus,
Clementem insolitis laudibus efferet
Urbs, & lætitias audiet integras
Convexi domus ætheris?
Heu lentis abeunt tristia passibus,
Si quoquam in horrisonos intulerunt pedes,
At quando veteris mœnia Romuli
Felix Juppiter adspicit.

Jam tempus dabitur, cum tibi carmina
Ostendam; dabitur cum resonet lyra
Pulsus Janiculi clivus, & advena
Tibrim Musa patrem excitet.
Quamquam o ne ingenii crimine deteram
Paces egregii, bellaque principis;
Bella illata Asiæ, vinctaque cum piis
Regum fœdera honoribus.
Victum cernere erit Persidis incolam,
Medorumque duces nostra pati juga,
Nilum cernere erit Mediceâ viâ
Duci flumine languido.
Gignet terra alium Bistonis Orphea,
Nascetur que iterum Mœonius senex:
Non proscindet humum vomere villicus,
Non remis mare navita.
Nos vixisse sequens aurea sæcula
Ætas sæpe leget; sese aget huc redux
Virgo sollicito illecta cupidine in-
Gratarum prius urbium.
Hæc quondam fuerint nunc etiam subest
Fraudis priscæ aliquid, quod nisi tempore
Moles nulla queat diruere, & bona
Præcedit labor otia.
O tecum liceat si mihi currere
Id vitæ spatium: nil grave perferam:
Jam jamque incipiant pollice stamina
Fulvo tracta nitescere.

*Neæra.*

Quo vos proripitis Neæræ ocelli?
Meæ siderei Neæræ ocelli
Quo vos proripitis gradu citato?
Quin hæres animo magis Neæra?
Hære hære animo meo, Neæra.
Nil tu visa licet mihi, frequenter
Hære fixa meæ Neæra menti:

Da (nam fata jubent abire) saltem
Dulci oblecter imaginatione,
Et graves ita leniantur æstus,
Seu vicina jugi Bononiensis
Æger transgrediar, meum sequutus
Regem, sive Dovattulam tenebo,
Quo Laurens vocat optimus, merendo
Omnes qui sibi me obligavit annos.
Anne alas etiam hunc Cupido in usum
Gestat, ut revoletis elegantes
Formæ, durum, animos perosæ amantum?
Eheu quid volui? supremus ille
Decor par Cypriæ, ut neget videri,
Quasi de speculo ilicet refugit.

*In obitu Adorni.*

Silicet superbiat,
Quem magnis populus laudibus excipit,
Quod patrium defenderit
Ille decus laborans
Longum, atque suam spernens anima,
Dum virtutis avitæ
Non immemor, mavult profundo
Se demittere Tartaro,
Quam serum exigere indecorus ævum.
Non movebit inferos
Manes pulchra viri laurea maximi:
Non movit antea: sedet
Horridus illâ in aulâ
Custos, nec flectitur ullâ vi,
Quidquid jam semel umbris
Damnarit æternis silentum
Judex, urnaque Gnossia,
Sors unde exilit involuta fumo.
Hectora sub patriis
Mœnibus olim
Raptarunt biiuges equi; arsit Æaci

Nepos, & utilem manu Camillum
Transmisit atro flumine portitor.
Esto, hominum misero generi jubet
Fata deberi ultima
Æthereo qui regnat Olympo
Diespiter, sceptrum gerens micanti
Dexterâ vasti exitium Tiphoëi.
At saltem aliquis pudor esse
Debuit, genus cadit
Mortale omnibus horis temerè, ut lubet
Fatis nec animos tristium
Evaleat Deorum
Vincere pietas, & cultus frequens;
Quin intercipiatur
Vir summus ipse, cum magis res
Instant, & timor anxius
Urget, cardoque volvitur supremus.
Laverunt nigris pedem
Sic multi ante vadis, at decus Italæ
Telluris, heu, nunc quatit
Pectora luctuosis,
Singultu & mœstu, ululatibus,
Eheu nos iterum Dei
In damna tradunt cœlo ab alto;
Rursum præcipites ruunt,
Nec dum ipsis luimus fatis malorum.
Nulla licet careat
Hesperiæ ora
Bellantum scelere, & licentia gravi,
Atque alba quanquam ubique putrescunt
Ossa oppetentum vulnere civium,
Sæpe quibus doluit sua rusticus
Cultor arma obtundier,
Nam quacumque infigit aratrum,
In dura campo busta pro feraci
Incidit, tellusque rubens cruores
Exudat adhuc miserandos.
Ecquis ore disserat

Hæc

Hæc ſicco, aut rapidis oppida in ignibus
Abſumpta? matres vidi ego
Dum fugerent nefandum
Hoſtem fluviis ſanguine turbidi
Seſe proiicere auſas,
Dextrâ trahentes, & ſiniſtrâ
Infelicia pignora,
Paſſis crinibus, & querelâ abundè.
Horror heu loqui vetat,
Quin aras etiam exercitus inſolens
Fœdavit impiâ nece.
Ah cecidit Deorum
Simulacra ſenex ſuppliciter tibens
O qui prœlia ſævus
Invenit, atræ condidiſſent
Hunc nubes prius, aut fera
Nodo Tartara ferreo illigaſſent!
Ille etenim mala tot
Primus ab Orco
Evexit, neque pallidam horruit famem,
Nec rabidam luem ore terribilem
Nigro refugit; ſcilicet expetens.
Prorſus ut Japeti ſoboles ruat.
Sic agris flaventibus,
Durum immittit villicus agmen, ut
Primum jacet campo ſeges parenti.
Inde, quod ferro ſupereſt, ſequuntur
Muliebris turba, ſeguntque.
Sic in mari accidit
Inſano; obſtreperos Æolus Africos
Licet refrenet vinculis,
Moleque montium altâ,
Non unda tamen placidum ſternitur,
Aut ſtat continuo æſtus:
Sed pertinax longum gementi
Incumbit pelago fragor,
Vexanturque etiam trabes per altum.
Sæpe etiam antequam quies

Undis detur, hiems turbida inhorruit,
Rursum atra nox ponto redit:
Non secus heu tenebris
Itali repetitis involvimur,
Postquam extinctus Adorni
Fulgor, caret postquam ille patris
Almo munere Delii,
Et novo Latium premit dolore,
Egregias animas
Funera semper
Importuna, gravique tempore occupant,
Petiverat modo ille civitatem
Ditissimam auri, & consiliis gravem,
Indomitam vel origine ab ultimâ,
Quæ Jovis nutu optimi
Se tollit Neptuno in alto
Regina latè, nobilisque rerum
Laudibus tellure, fretoque partis,
Veneti sedes imperii.
Multa ubi tulit diu
Sacrorum meditans vincula fœderum,
Unde esset optatissimus.
Italiæ quærenti
Modus ærumnarum tantarum,
Dii quæ verba tonabat
Illa severorum in coronâ
Patrum, cœpit ut eloqui,
Immota illicet ora cuncti habebant.
Differebat ut solent
Discordes animi diruere oppida,
Et obsoleto fulgida
Vertere regna tecto,
Altis rationibus addebat
Ævi exempla vetusti;
Namque ille norat, quidquid ante
Saturno memores libri
Et felicibus Insulis sacrarant.
Fando etiam (miserum)

Tem-

Tempora gentis,
Maternæ repetebat, utque avus potens,
Et tota Lascaris domus, coacta est,
Antiqua Thracum sceptra relinquere:
Plurimus unde pios timor obsidet
Unde formidabiles
Turcæ, cum nullo prius essent
In nomine, at mox crevit heu ruinis
Barbarus; quas intulit ille nobis,
Quasque intulimus nos ipsi.
Nam quod alteri hostium
Demas robur, id apponitur alteri,
Tantoque surgit fortior.
Hic memorabat, esset
Qualis nunc Italia, qualis prius,
Ut longo populata
Bello, jacet nunc penè nulla;
Cum tam florida, tam potens,
Integris opibus fuisset ante.
At nihil magis tamen,
Quam natale solum pectora strinxerat.
Is dum paternam in regiam
Exilium remensus
Longum, fatisque agitatus malis,
Sese tandem animosus
Ultor referret Gallo in hoste
Totus, milite opes rapi
Infelix socio audiit suorum:
Sive quod ipsa lucrum
Castra sequuntur,
Seu quod visa Deis beata civitas
Nimis fuisset atque par Olympo,
Thronis ubi se collocat aureis,
Fulmina sceptriferi venerans, Jovis,
Cœlitum fulgens chorus.
Oderunt nobis mera Parcæ
Bona esse, quare temperare gaudent
Alterâ forte, haud ita se gerentes

Mox

Mox cum fugienda apportant.
  Sed nec omnium parens
Tempus contigerint quæ prius, efficit
Infecta longo mensium
Alipedum recursu
Nec jam Ligurem dolor urgebat
Tristis, tanta repente
Fortuna fulsit, tamque pulchro
Arrisit lumine Cynthius,
Ut regum rediit status priorum.
  Pectore excidunt mala,
Cum felice labor vincitur exitu.
Hieronymus tamen pius
Quem calor incitarat,
Non æqua illum dulcis patriæ
Casum mente ferebat,
Sed lacrimis os irrigabat
Inter verba cadentibus,
Figebatque animis senum dolorem.
  Denique quid fieri
Vellet amice
Fatus, sedit hiante adhuc patrum globo.
Vir consularis utili excitatur
Sermone, rerumque ubere copiâ.
Acrem igitur animum, & sapientia
Verba mirati, virum
Egregiâ omnes laude ferebant;
Nec scire tum primum quid ille posset
Expedito ore, ingenioque culto,
Dicebant, & quid in armis
  Edidisset impiger,
Non si quis solido pectore concipit
Virtutis antiquum decus,
Lucis eget coruscæ,
Qua lata patet tellus, qua mare.
Quis de stipite tanto,
Quod tale germen pullularit,
Credat lentior? aut ea in

Ora

Ora quam decuit sonari avorum
 Acriori tibiâ?
Hæc olim valido remige fervidos
Regum minantium impetus
Contudit, atque ternos
Ostendit ahenis implicitos
Nodis colla, manusque;
Dura adde pro Diis bella nostris,
Et volvens mare corpora,
Tot adde exuvias ab hoste raptas,
 Civibus unde nitens
Fuisit acervus
Auri, & sumptibus alta tecta regiis
Crevere muros intra; & in paterno
De se vocati litore Nerei,
Quo nihil Itala jactat amœnius
Terra, nec formosius;
Tot nec usquam præsignia Divum
Templa, hic Catini visitur smaragdus,
Omni opus majus pretio, invidendum
Claræ spolium virtutis.
 Queis Adornus haud fuit,
Factis dedecori; quem penitus honos
Magni supremus Cæsaris
Ante alios amabat.
Onus ille huic mandarat fœderum;
Sævo ut necteret hosti
Vincula, & minante perdomaret
Regnatorem Asiæ, sibi
Adjuncto populo Adriæ potenti.
 Diis Jovique non ita
Visum est, non Italis tam bene consulente,
Vocantque pœnas in novas.
Heu jacet ille templi
Mediâ in testudine funebri
Obducta undique panno,
Ardetque funus triste circum;
Circum stant famuli humido

Mœsti lumine, implicantque palmas.
Audiet unanimis
Frater ademptum
Fratrem, tempore tam malo, urbe in exterâ.
Et audient cives boni, dolore
Tunc muta primum videris omnia;
Mox subitus trepidæ feriet vaga
Clamor urbis sidera.
Quo non rumor pennipes ibit?
Percellet aures Cæsaris, patescet
Ira Divum; non alio licebit
Hæc fœdera jungi auctore.

*Lazaro Bonamico.*

Superum quisquis venit
In lumen, amica sibi
Fata ne confidat esse,
Quandiu current equi
Solis fugaces, & recurrent
Per spatia ætherea:
Lucis vice dum nitidâ
Interituræ abigunt genti tenebras.
Ille beatus erit
Mihi, fulvam cui colum auri
Pollice Parca benigno
Trahet, ex quo partuum
Lucina potens facili
Mota voto, infantis ortum
Reddidit lætum, horridus
Donec Proserpinæ maritus
Inferæ ab egregio
Urnæ arbitrio, tenuem
Hospitis accipiat frigentis umbram.
Anne, ubi Deucalion
Lapides jactos, & auro
Pyrrha comam religata,
Consiliis Themidos

Adducti. animâ calefecerunt novâ;
Aut priusquam rex olympi
Imbribus illuvieque
Habitata homini
Loca stravit, nec in aëris
Apparuit ulla plagis
Urbs minans ardentem in æthram,
Undique cum vitreus
Thetidos inundaret liquor, arduaque
Pelagus Pharsaliæ
Juga celaret vago
impetu, Parnassium præter cacumen,
Tulerat quo se trabe
Curvâ Æmoniæ dominus,
Ergo prospectabat ille
Tutus æquor, virginem
Solans paventem belluarum;
Scilicet insolitas
Formas caput è tumidis
Horrificum pelagi undis exerentum,
Atque etiam vetitâ
Nisi tellure arceantur,
Rictibus illæ adapertis
Subito allapsu ruant,
Et pulchricomæ teneras
In genas Nymphæ, & tyranni
Nobile in pectus viri.
Sed rector omnium supremus,
Cui dare perpetuo
Non visum erat interitu
Japeti sobolem, servavit ambos
Propterea incolumes:
Hominum damna unde cernis
Usque adeo reparata.
Annè vel ante aliquis
Hæc tempora, vel potuit post aureum
Consequi nomen beati?
Nascimur; atque elementa

Ab

Ab origine fert
Tristia quisque suâ: nec erit
Unquam illa ut superstitibus
Occidant nobis priora.
Ede, age Lazare, quem
Vetera Pelasgum oracula nota beant,
Sapit & multa animus
Duce non ullo tuus,
Ede cantem Deliis an digna lauris.
Mala nobis sæpe sunt
Mentita hilares oculos;
Ceterum paucis retecta
Mensibus post, arguunt
Cordis minores: atque tristi
Jam facie invehitur
Fortuna trahens subito
Turbine perniciem mœstos ad imam.
Terminus haud etenim
Mali adest, quorum rubente
Contigit atria dextrâ
Pater olim donec &
Illi, & genus omne cadant
Ultimum in fati barathrum.
Juppiter, nutu movet
Qui cuncta, felix verè habetur,
Quem nequit ulla virûm
Vis, ullæ agitare vices
Fulminis, & sonitu & flammis tremendis.
Quem neque mors capiat
Domitrix rerum, nec ortus
Sæcula nacta perennes.
At sine fine domum
Sceptro ille regit nitidam stellis potens
Antea, nunc, quotque posthac
Cynthius afferet annos,
Age, in urbibus hac
Lege homines fruimur positi
Damnis procul a miseris;

Terream ſpes docta gentem
Ducere quo libeat,
Venit aliquando lætior; eſt ubi nos
Vitioſis adigit
Scopulis eludere
Pertinax errore jactatos marino.

*Ad Trebatium.*

Quid, ſupremo nata Jove
Dea, Pimpleæ decus
Rupis, quid heu nunc condita mœnia priſce
Ab Remo tot Pieriis habitant
Noti ſtudiis, citharaque?
At mihi nemo, Trebati, cor magis
Ulcerat atque tuum
Caput, eſt Vincentiæ
Cara Diis tellus tuæ.
Illius campos, etenim
Videt ex alto Ceres
Aprilibus laudata ſacris, & agreſti
Læta frugum munere, vota probat
Terram ferientis inertem
Agricolæ pedibus certum ad ſonum.
Nec Semeles puer hæc
Loca contempſit jugis
Grata amœnis collium;
Ducit choreas ubi Lenæus mitrâ
Implicitus comam & auro:
Ponè citæ ſubeunt
Mænades ordine non brevi, cava
Terga bovis quatientes.
Clamor it Evius, atris
Ignibus ardet opaca
Nox, piceamque ferunt,
Lucet teneris redimitus pampinis,
Lene ſurgens tumulus. Satyros
Bacchæ manu prehendunt leves.

Re-

Respicit risu comites
Hilari dux, telaque
Præsuta molli fronde, hederamque virentem
Laudat, & dulci agmina læta mero.
His quale locis pater ipse
Instituit patulo fundi è lacu.
Præterea gemino
Coluit vos munere
Nata magno è vertice
Pallas, æternoque Jove,
Parituro Mulciber
Vulcanius ferro chalibum obstitit arte.
Illa flavum cincta caput galeâ
Hastamque movens, clypeumque
Prosiluit gravido de vulnere
Terrificum ore fremens.
Tremuit tellus parens
Et Deum illustris domus.
Urbi studium tribuit bombicinum
Diva tuæ, neque Coi
Fervet honore magis
Ulla operis, pretioque Serico.
Gens habet unde beata
Nomen opum, speciemque.
Magna palatia in urbe
Cernere, magna in agris
Pulchrum est, pecudumque boumque in latis genus
Pascuis errat, opes opibus
Gignuntur; ut ramos jacit
Plurimos, cœlumque comâ
Petit altum frondea
Quercus corusco a Sole supernè refulgens.
Paret aurum dignius; id sapiens
Usu regit æquus amico:
Nec, nisi divitias promis, nites
Paupere fulgidior.
Honor hic vestram plagis
Eripit gentem inferis.

Idque

Idque ego, testansque patria
Cineres, huncque æthera
Certo eloquar sermone; nec irrita in auras
Ibit arcu nostra sagitta leves:
Sunt multa, quibus gravium ora
Vatum, animosque agites Vincentia:
At nihil Æolios
Digitis tentem ut sonos,
Excitavit me magis,
Dum cura movet tui alumni non levis,
Meque Trebatius angit,
Canaque amicitiæ
Fœdera sollicito trahunt metu,
Altera quam egregiis laus
Ingenii, unigenæque
Dona secunda Minervæ.
Addidit ingenuas
Artes Dea, Pierium & cultum, neque
Desides lenta terunt pueri
Hic otia, & perdunt dies.
Pulchra sed jam tum teneris
Meditati de unguibus
Virtute surgunt auspice, flamina pennis
Et secant famæ, patriamque solum.
Portant, ubi vertit in hostem
Spicula equo fugiens Parthus, colit
Aut ubi Ibera ferum
Dominum gens exteris
Austriæ missum a locis.
Invidi affinxere nigrâ
Maculam loligine,
Quicumque monstratur digitis, & honore
Cultus in plenaque viâ, & Superûm
Templis, & in urbe, forisque
Gaudet: at in tacitis præcordiis
Victor honorum oleâ
Caput ornatus piâ,
Quale non penisula

Doris genus, aut Asiæ tellus parit.
Unus in arboris umbra
Divite ager tegitur
Cecropius, foliisque; nec cata
Ullius arte jubentis,
Sponte sed ipse virescit
Termite frondifero, quem
Nemo adit intrepidus.
Hunc cæsia præsidio Pallas tegit,
Nec manum olim Lacedæmonius
Admovit hostis impiam,
Marte cum vastaret agros
Reliquos, & Thesei
Regnum vetus decussit, Archidamantis
Innocens sacros venerata focos
Numenque Deæ, tibi longè
Quæ favet Euganeos omnes supra.
Id prius Italiæ
Docuit lux inclita
Roma; nunc eheu ruit
Urbium regina: furor
Miserè vexat nothi
Prolem Quirini, Trojugenasque, pudendam
Concitansque in vim scelerum, inque nefas,
Ut Noricus imperet hostis,
Arma manu Æneadas crudelia
Suscipere in patriam
Potuit terram irruens
Templaque in Divum sacra?
At, Romule degener, haud clarum latent
Ista oculum Jovis: olim
Teque, tuumque manet
Pœna genus sine termino gravis.
Quique tibi ampla recepit
Egregius pretia emptor,
Quid sapientia possit
Julia, & indomitum
Numen Petri, ab Italia ejectus sciet.

Inte-

Interim opto videat patriæ
Florem Trebatius suæ.

*Petro Curso.*

Loqui docte pedestria
Verba carmine, Cursi,
Idem lepido decus
Labentis modò sæculi.
Nos amœni læta tenet
Collibus Doattula
Nunc lauri sub comâ virentis
Prope novos Lares,
Nunc ad contigui dulcia murmura
Amnis, jacentes qui rigat Livii Fori
Campos, vetustamque Ravennam,
Ut flexuosus vallium
Liquit recessus, antraque frigida.
Ego hic desideo libens,
Sunt ubi omnia salsa,
Tranquillus ubi suo,
Adventu revehit dies
Lucido Phœbus, nec abit
Noctiluca, conscias
Æstus ducens mali tenebras.
Neque etiam frequens
Plebs vano miseris obstrepit auribus
Rumore; securi quid Hispanus doli
Nunc verset, Hispanus adire
Quemvis nefandi ausi gradum
Fortis, Sardonycem præferat ut manus.
Nec militiæ sua quod
Addidit arma Italæ Gallus, memori ab
Fulmine redditus
Tandem sapiens; duce fines
Sfortiada, & populos
Tuente avitos.
Nec mihi commovet hoc animum

Lætitiam ob properatam laudem.
Musæ frequens ego cultor insuetæ
Culpâ ingeniorum sequentum,
Priscos ipse reducens numeros
Sensu beor vulgi relicto.
Repostus mihi sufficit
Hic enim locus, apta
Et villa mei memor
Laurentis, dum erit ipsaque
Sole volvente incolumis,
Et Dei, quibus modo
Pulchram ille hanc dedicavit aulam,
Studia dum fovet
Heros Pierius libera commodam
Sacris paravit dum quietam cantibus,
Haud sumptuum parcus, & auri
Emissa pulchræ quatenus
Usu refulgent signa pecuniæ?
Quid ergo juvenem liræ
Parcius celebrarint?
Aut tibia buxeo
Laudes rara foramine,
Maximosque efferre viros
Altè olympicam ad domum;
Virtutem qui colunt, apertâ
Iter habent viâ,
Atque excelsa oculis [illegible]
Illi beato pendulis de [illegible]
Nec finis hos ultima tentat,
Mœstos trilinguis belluæ, &
Vinclorum, & orbis Sisyphii metum.
Tales via clara Jovis
Ducit ad Elysiam tramite, & nitida
Arva, ubi lenibus
Usque Oceanitides auræ
Spiritibus nemora
Alunt beata.
Tum simul auricomis rutilos

Ter-

Terra dat arboribus flores, simul
Unda, alluens placidum residente
Fluctu, impediunt unde quisque
Illic litore toto digitos
Monilibus flavente & auro.
 Manent ista, sed ultimam
Post diem, semperque
Longum; interea cheles
Bartholinus amabiles,
Sobriis & Pieridum
Nectar auribus bibet,
Expressit quale separatis,
Mea sub his jugis,
Mens lætata novo lumine fulgidum,
Ah cur abes tu, quem decorus aurea
Phœbus comâ diligit, o qui
Hic in virenti frondium
Umbra reclinis carmina diceres?
 Nihil non referet tibi
Thespias, Satyrorum
Tu capripedum genus,
Et Nympharum agiles choros
Audiendo percutias,
Nosque, mente quod petis
Totâ, complectier liceret.
Caput at urbs habet
Fidum terra meum Romula Cursium.
Tenet canentem digna Phœbo, calamis
Frangit virum æther, aliisque
Illic remordens sauciat
Gentes nefandis cura tumultibus.
 Infensa bonis studiis,
Cura hominum ingenuas mentes facit.
Ac veluti freto
Cum Bistonio Notus ater,
Aut Aquilo incubuit
Furens, ab imo
[Nec mora] surgit arena Erebo;

Fit fremitus pelago in summo; gemunt
Percussa litora fluctibus nigris:
Sic illa animos jactat, æstu
Bacchante, leves adimens somnos,
Dulcesque Musarum lepores.

*Ad Baptistam Cassalium.*

Baptista, stirpis Cassaliæ decus,
Quem Roma longo stemmate nobilem
Partu dedit, dic quæso, ut urbem
Hanc mediis in aquis repostam
Mirere, nam Sol jam celeri semel
Æthræ peregit curriculum rotâ,
Legatus ex quo hic res Britannas,
Imperiumque juvas amicum:
Henricus ex quo te utitur optimus,
Quo sceptra numquam a vatibus insulæ
Dictæ satis, tractante avita,
Flos hominum influit ultimo orbi.
Sejuncta nostris ut loca finibus,
Regemque visat, quem sapientiæ
Laus raræ olympo miscet alto
Ætherea volitantem in aurâ.
Nec te silebo, cui potuit catus
Princeps habenas credere regias,
Divine Thoma, illos ut æquis
Consiliis populos gubernes.
I nunc Catones prisca fides tuos
Extolle, nostri major adest honos
Virtusque Thomæ, cujus instar
Sideris ætherei refulgens
Nomen nec Indos sepositos latet,
Nec sub cadenti lumine Delio
Nescitur: albæ, cantilenis
Talibus insonuere Musæ.
Præclara Musæ facta mori vetant,
Quarum qui egebit muneribus sacris
Non

Non ille per longos beatus
Lætitiæ potietur annos.
Ast hunc lyrarum suaviloquus lepos,
Mixtæque dulci carmine tibiæ
Dixere, tollentes superba
Oxoniæ monumenta claræ.
Quæ Frisiulæ, quæ juvenum novis
Ille instruendis mentibus erigit.
Nec cantu eget pulchro, paratus
Laudibus egregiis, galerus.
Hunc non galerum quilibet obtinet:
Verum illi habent, quos Juppiter æquior
Virtutis insignes honore,
Justitiaque probavit auctos.
Quæ flectit acres bello animos, velint
Auctore Thomâ prœlia ponere,
Queis Christianus sævit orbis,
Italaque intumuere busta.
Cum Turca fines interea suos,
Et regna captis proferat urbibus;
Cum jam Rhodos diversa longe
Numina, Pannoniusque adorent.
Discordia nil non metuas mali:
Quod si rediret candida regibus
Pax, non labor sit multus armis
Castra piis inimica vinci.
Illum o diem si nunc referat Deus
Rerum supremus conditor omnium,
Baptista: namque id tu labore
Sedulus assiduo, tuusque
Frater studetis, Gregorium pater
Audit Quirinali è solio, tribus
Fulgens coronis, qui recludit,
Cum libet, aulam, aperitque Divum;
At consulentis quid deceat, tuas
Sermone laudum prosequitur gravi
Sententias Gritti verenda
Cum reliquo facies Senatu;

Præstare famâ quid melius bonâ?
Allexit hæc vos, impulit hæc, solum
Ut post haberetis paternum,
Nostraque Principum amica corda.
Sit magna Thomæ gratia, qui suo
Regi ab remotis vel regionibus
Tradit profectos, si fideque
Ingenioque vigere cernat.
Sed quid tuas nunc carmine demoror
Aures meo? vos rerum aliæ premunt,
Moles procurare: o Latinis
Otia porrigite læta terris.

*Victoria Columnæ Avalæ.*

Viros novâ laude claros
Fidibus apto dum integris;
Gelidaque redimo ab Styge
Sublime eorum decus,
Quod orta Jove nobis
Dedit Thespias
Munus; haud ictu meo
Unquam trepida mens fuit,
Neque pavor nescium
Subit pectus adeo.
Quid hoc? insolens
Tremo totus, ardet
Dum splendidæ mihi animus
Cupidine Inarimes
Ubi insulæ, dia, sceptrum
Regis opimum, ubi priscos
Reparas decora gloriæ,
Victoria, & mitigas
Rogos (grave) mariti
Acerbos tui,
Fataque invida nimis,
Si Musa tamen inclita
Fidicinum, si finis

Ebur-

Eburnæ ipsa citharæ
Sciens, frigida hunc.
Teneri Orci in aula,
Inglorios quasi dies,
Domi egerit latitans,
Nec viderit Mars Avalum stupens,
Cum manuque, equoque celeri
Cruentos per hostes
Rueret, hæc, illaque
Metu impigra fugans agmina,
Campumque fuso replens sanguine calentum
Ferro temere militum;
Troja vim qualem Achillei videbat,
Jacere cum primum amicas
Subita iit per urbes vox
Patroclum, suaque barbaræ
Genti arma fastum addere,
Quibus juvenis hostem
Furentem malâ
Heu fefellerat avi:
Tunc mente vetus excidit
Dolor, & æstus diu
Amicus Priamidis.
At (ajebat) at
Decens crine equino
Nunc est opus galea: nunc
Lacertus in clypeum
Mihi induendus, mihi hastam,
Mihi parate loricam.
Salit in sonipedem simul
Arma induens ærea,
Satus Thetide Mavors.
Furit lata per
Dardani sola: modo
Alba cute Cycnus; modo
Cadit atrox, prœliis,
Opus, seu regere equos
Erat, præpeti

Volans axe Memnon,
Aurora quem pepererat
Sinu micans roseo.
Vitæ ergo Achilles adimit diem
Aureum his, & Hectorem, Asiæ
Columnam, revellit
Avidus ultor, capi
Fuit levior unde urbs Phrygum.
At non minores dabat dux Avalus ille
Cædes, jacula conferens
Maximis, cum e ferocibus catervis,
Repente quas hæc in arva
Nive per algidas Alpes
Fremitu penitus horrido,
Asperrimis rex potens
Viris, dareque largus
Opes fortibus,
Duxit ultima minans
Ille excidia, sed suis
Vacuus in Galliis
Fuisset melius: ut
Brevis postea
Dies certa fixit
Immane vulnus animo,
Perenneque opprobrium.
Quam erit diu terra cœli
Medio in orbe, nec totam
Teget Oceanus, ut ferat
Nobis, vago & pabula
Gregi: neque caducæ
Rubentis poli
Lampades, neque minæ
Imi nocuerint Jovis
Celebribus laureis,
Triumphoque, similem
Memor nulla cui
Prius vidit ætas.
Euge, o Columnia, Avalides

Equis

Equis redit tuus in
Albis, canis tu propriæ jubar
Gloriæ, canis spolia tu
Domus vestræ opima,
Celebrat invictum io
Tuum tua te meritum chelys.
Nec sola tu, sed lyra quisque crepat illum
Gratâ, incola biverticis
Quisquis est clivi, eum nemus per altum
Refert, novus refulsit
Italiæ Deus nostræ.
Placuit tum etiam amabilis
Huic barbitos; verbaque
Lepore lita vatum
Amavit; neque
Pulchra facta validis
Ingentia viribus
Facere duxit satis.
Atridas nisi sacro
Pius carmine
Poëta expedisset
Morte, horridisque tenebris,
Agelios quis audierit?
Colendus est rite vates;
Reliqua enim rapax Orcus
Avidis vorat hiatibus:
Laus permanet, vitaque
Redit, canit ut acri
Beatum sono
Tibia, & volucribus
Puri sola per ætheris.
Nitida sublimem agit
Rotis fama, sed ego
Quid hæc persequor
Tibi? cui repostam
Phœbus recludere solet
Benignus Aoniam;
Plectroque caram ambrosio beat?

Un-

Unde tanta es, ut verear an
Dearum una dulci
Facilè ſis addita
Choro decima Muſa, an (pater
Quòd maximus dictus eſt Fabritius, ille
Ore egregius, omnia
Qui ſui laude nominis replebat,
Vir attamen, gentiumque
Habitus & ipſe noſter erat)
Hominum potius in grege
Te collocem, nobili
Sed in grege hominum, quibus
Pater cœlitûm,
Quoſque Delius amat,
Omniſque Superum cohors.
Dea ſed es ſive, ſeu
Magis nata hominibus;
Olympo haud putem
Minorem coruſco,
Cui contigere bona tot
Deûm ſimul Superum.
Fides enim poſt canoras
Quibus humum altior linquis,
Tibi munifica mens, tibi
Numquam tacendus pudor;
Decor ſimilis eſt cui?
Nites feminas
Inter, ore comites
Nymphas Cypris ut aureo
Superat, & Gratias.
Adhuc pergo? numerum
Arena effugit.
Avito quoque amplos
Fines tueris animo
Parata vel nitidam
Ornare levi galeâ comam,
Sit quies ut alma populis,
Amas quos, parens deus.

Me-

Melior, ut sentiat
Tuo facilè se quilibet
Heroë, sceptroque mitis, quoque beatum.
Salve: meminero tui
Nunc ego, & pluribus lubens in annos.

*Jano Lascari.*

Virum sumpta refer chelys,
Qui modò Remi ad urbem,
Rediit Alpium per
Juga frigoribus redimita,
Degat his ut ultimæ
In locis sua vitæ
Tempora otiosior;
Atque se veterum,
(Quod unum avet) libris virorum
Latinisque reddat, &
Atticis, utramque quando
De teneris unguibus,
Solida bona colens,
Novit elegantiam:
Ut antiqua gloria nihil
Magis pulchra tangat astra capite
Levi, solium & aureum Jovis,
Nihil sapientia
Tollit altiùs, alis
Celebribus per omnem
Iter illa tetendit Olympum.
Cui nigram citra notam es,
Magne Lascari, carus,
Intimusque vel supra
Ceteros homines:
Quod Itali exterique reges,
Apud quos tibi loqui
Contigit, gravesque rerum
Volvere moles, sciunt.
Leone tribuerit

Plu-

Plurimum ut tibi, feram;
Leo decus tiaræ; & apicis
Sacri, quo nec ante majus aliquid
Fuit, nec aliàs dabunt Dei.
Amavit animo ille toto
Caput eruditum:
Amaverat prius
Lascarin ejus
Pater avidus decoræ ille gloriæ,
Lyrâ tacitus nullâ, Etruriæque
Potens divitis, asperæque prœliis,
Musarum Heliconidum gravis
Custos, & hospitum
Doctorum adamator.
Namque his patebat illicò
Opima domus cognitis:
Ferax unde semper data copia
Ingeniis canendi
Genus Mediceum, & viros
Inclitos super astra
Fidicinum canoris
Humeris, citharaque locatos.
Sed diem ultimum improbo
Rumpit pollice Clotho;
Noxque luminis nitens
Condit atra jubar,
In almaque ipsus intulit se
Jovis regna, vidit &
Insolens corusca Phœbi
Tela; ita Laurentius
Sua bonus obiit
Fata. Janus id videns,
Amatum relinquere locum
Parabat, dolore victus, obitum ob
Nefarium, & acerba sidera.
Tubis tunc fera Martiis
Bella forte sonabant,
Nitidaque induebat
Furor

Furor arma cruore linenda
Militum ferocium,
Carlus ab Rhodano quos
Finibusque Galliæ
Acer innumeros
Agebat Ausonum per agros.
Frequens rumor, ire eam
Grandinem fuit virorum,
Incuteret quæ novum
Facilè metum Asiæ
Toti, & impio freto,
Tenet quæ modò loca sacer
Deorum hostis insulæque Latiæ,
Palæologus antea pius
Quæ Lascaris avus tenebat.
Igitur paterna
Repentè perculit res animum; nec
Mora, adiit haud pavens ille regiam,
Quis esset ait. Rex loquentis omnem
Stupebat faciem, stupebat elegans
Sermonis acumen, haud enim
Princeps loqui genus
Consuevit eodem
Quo plebs modo, nec ab rudi
Parum sapiens discrepat:
Ad hoc interest virne Pelasgus, an
Barbarus os recludat.
Ibi autem simul ac fuit
Finis, appositumque
Satis erat locutus,
Mora nulla manum manui rex
Jungit, atque lumine
Conspicatus amico
Pauca subdidit bonus.
Fata si dederint
Mea, & Deus, gerenda pro quo
Mihi hæc bella, quæ vides
Undecunque jam parata,

Te

Te patrias in domos
Volo ego repositum:
Fide dexteræ meæ.
(Datam tempserit nisi manum
Homo perfidus quis?) in vetera te
Brevi refero regna tempore.
Juva consiliis tuis
Me interim, neque castris
Latereque hoc recede:
Mihi præcipuos eris inter.
Rex prius Neapolin,
Jure quam veteri urbem
Gallus esse vult suam;
Hoc studebat eam
Ne haberet hostis, idque nimbus
Facit vix aheneus.
Cùm statim potentiam auctam
Clam veriti, fœdera
Nova socii ineunt
Mente principes levi.
Parum eheu fides hominibus
Sinistrâ institutione colitur,
Sit ut mala necesse mox pati.
Redire igitur immerens Rex,
Aliamque mentem
Habere cogitur, militiam dum
Recreet, & hostibus robora apparet
Timenda magis, ceterùm deabus
Secus lanificis, Jovique sederat.
Nam vix patrium attigit solum
Casus per asperos,
Cùm lumina fato
Augusta claudit, effero
Sonora ululatu omnia
Relinquens suis, Lascari maxime,
Cui nitida occidit spes.
Simul quam tamen excitat
Postea Ludovicus,

Nova

Nova ubi sceptra sumpsit:
Etenim tua cognita virtus
Te jacere non tulit
Ergo mittere ad urbes
Italas, labantium
Robores qui animos,
Et in fide colas manentes:
Quod haud quisque onus ferat.
Ille sed labor quoque auram
In tenuem evanuit:
Lachesis etenim & hunc
Eripit nimis cita:
Dolorem dolore cumulans.
Adest tertius, parem tibi animum
Jubetque habeas, amatque te.
Minatur sed, agitque dum
Multa pulchraque rerum,
Modo tuo Leone,
Modò sospite fratre Leonis;
Experitur omnia
Hactenus Jove iniquo.
Irritæ ergo quòd moræ
Pectus exstimulant,
Gravisque deterit senecta
Vigorem usque fervidum,
Otio dicas beato
Quod superest temporis,
Studiaque melius
Ad priora te refers,
Quirini in virente tumulo;
Nitor qui loci antea quoque tibi
Solebat animo esse maximè.
Locus quis etenim tumultu
Vacat urbis æquè?
Ut urbs frequens & oracla Rodulphus
Bibit ea, cultor ille intimus sacri
Jugis ex Heliconis unus oppida
Chori Aonidum; arcana scita quarum

In nostra tulisti, ubi solum
Natale barbarus
Victor rapuit vi,
Et regna nobiles sua
Male heu fugiunt Lascares.
Sed ô nænias, Pieri, quid cies?
Quid refricas dolorem?

*Epistola ad Latinum Juvenalem.*

Magnas regum aulas homines plerumque frequentant,
Diffusi livore malo, invidiæque venenum
Pectore gestantes atro, qui semper id instant,
Vipereo afflatu contingant hunc feri, & illum.
Hoc ego dum mecum reputo, persuasus amore
Nostro perveteri (nam tu me semper amasti,
Quæ facilis natura tua est, animusque, Latine
Optime, & officiis, juvisti; pectore servo
Quæ nemori, neque te nobis oblivio vellet,
Optatâ liceat vesci dum luminis aurâ)
Institui ante omnes carmen tibi tradere nostrum,
Quod dulcem àd citharæ strepitum, Thebanaque fila
Paulo concinui, magnæ dum gratulor Urbi,
Paulò supremum virtus cui nuper honorem
Detulit, & triplici crines innexuit auro;
Lætitiam unde omnes fundunt; & gaudia, nam quis
Sepositis adeo traducit tempora terris,
Ut Solem, radiosque novos, & pulchra diei
Tela renascentis, hilari non corde receptet?
Quæ mihi lux animum suavi percussit amore:
Unde novum increpui carmen testudine sumptâ;
Ausus in Italiâ natus propterque fluenta
Eridani, sacrum Dirces haurire liquorem,
Et patria externis adjungere verba choreis:
Non leve onus; neque enim triti nos ducere calles
Huc possunt: aliud juga per Parnasia nectar
Vestigo, neque difficilis me semita terret.

Hoc

Hoc autem male nonnullos habet (ut fit in omni
Semper laude) rudes arcanæ rupis: id ergo
Mœrent, si cui monstrat iter Pimplea, nec ante
Cessant bacchari, quàm cuncta eversa relinquant.
Quid verò tandem? quàm culpam infligere certant?
Nota sit ut tibi res omnis, crimenque repellam.
Aures his (ajunt) nondum assuevere Latinæ;
Hos Flaccus numeros, hos contempsere poëtæ,
Quisquis Romanas Musæo pectine voces
Molliit in cantum, citharæque aptavit eburnæ.
Audisti? quasi non liceat quicquam addere partis,
Et quæ majores liquere intacta, veremur
Ipsi invadere, nec plantâ signare recenti
Possimus terram, & vestigia figere nostra:
Præsertim ostendat vacuos cum Græcia campos,
Atque invitet adhuc integros carpere fructus.
Si ferat intro quis sese, duretque laborem;
Quem fugiunt, pejusque nigris serpentibus horrent,
Ignavi à tectis versu discedere notis.
Ire opus est mare translatum, formosaque rura
Visere: quæ quamvis cingantur vepribus hirtis,
Densior & sepes defendat vimine acuto;
Musa tamen favet ingeniis, & tanta recludit
Mœnia paulatim, si te non deficis ipse,
At Flaccus non hac potius se fronde coronat.
Contemnitne igitur ramos, qui fontibus umbram
Obtendunt lætam veteris prope mœnia Cadmi?
Pulchrum aliis aliud, studiis nec vivimus iisdem
Mortales, nec cuiquam uni dant omnia Parcæ:
Quod placuit, fecit; sua libera cuique voluntas.
In magno veluti prato si splendeat omnis
Florum copia, & huc Nymphas Cytherea decentes
Vere illecta novo, rediit cum mensis amatus,
Duxerit, & jubeat digitos intendere sertis,
Non capiet color idem omnes: legat illa hyacinthos,
Hæc violas, aliam delectet lutea caltha,
Quosque volent flores addant, texantque corollas,
Nec vitio cuiquam quod fecit vertere fas est.

Hi vero inclamant ſtulti, obſiſtuntque repente,
Præcepit niſi quod quiſquam, decerpſeris illud
Tu quoque idem. At rauco cœlum clangore voraces
Ceu corvi repleant, ſola qui per ſumma volantem
Cum Jovis armigerum ſuſpectant, guttura rumpunt;
At volucrum regina humiles illudere gaudet
Alarum ſe remigio ſub ſidera tollens.
Ne tamen, hac quia ſum forte uſus imagine, tergo
Crede meo celeres aquilæ me affingere pennas.
Nec tantum agnoſco, nec poſtulo: ſed mihi ſæpe
Hi bellos faciunt ludos, & rideo ſæpe
Invitus licet interea nam & pectora fervent,
Rideo ſed tamen, & poſſum quâ, perfero, mente.
Quid refert his ſi nondum aſſuevere Quirites
Verſibus? aſſueſcant, quid enim vetat? anne Latinas
Uſque adeo novitas offendit carminis aures?
Incidit unde novus ſtupor, & dementia vecors?
Omnibus ergo datur maculas apponere rebus,
Et quas majorum nobis induſtria liquit,
Et quas ingeniis ſolers hæc repperit ætas.
Poſteritas etenim noſtris inventa diebus
Plurima laudabit, quæ ſæcula priſca latebant,
Nunc prandet jucunda loquax obſonia livor.
Si, quia nata modo res eſt, abolenda videtur,
Debuit hæc ſemper lex eſſe, ut Opuntius heros
Calfecit lapides animâ, ſobolemque novavit
Humanam, effuſis quæ nulla remanſerat undis
At fruimur multis quæ ſi ſublata fuiſſent
Continuo ex illo quo primum tempore in almam
Ingeniis progenata hominum ſunt edita lucem,
Natura indigeat, vitæque expoſtulet uſus.
Cum ſuperis, quod ſe ſtent multa incommoda circum,
Cum quibus aut non naſci homines, aut illico natis
Præſtiterat Lacheſim vitalia rumpere fata.
Adde; poteſt noſtris priſcum nihil eſſe diebus,
Quod fuerit non ante novum, aut res tempore fruſtra
Metimur, falſoque imis numeramus ab annis.
Tum natura viros magno novitatis amore

Incendit: quare nequeunt consistere mentes.
Perpetuique agitant cognatâ indagine motus,
Denique quid nobis vetus est cum nascimur? illa
Quæ prius haud vidi, nequidquam antiqua putabo:
Nempe mihi saltem nova sunt, in quæ incido primum.
Fusior at sermo est; certum nunc dirigo ferrum,
Si Deli præses facilem non invidet arcum.
Nonne fuit tempus, cum nondum cornua nostri
Bellica, Tyrrhenasque tubas, & prœlia scirent,
Herois complexa modis, & carmine grandi?
Nemo negat, mox descriptus cum obtunderet aures
Romuleas clangor, ruerentque in bella poëtæ
Ausonii, & gladios tractarent, scutaque tabo
Illita, & undantes augerent cœdibus amnes.
Num regum ex tectis ploratum Musa recessit?
Musa, dedit quæ mox ævo labente Maronem,
Et Varium, atque alios, quorum extant nomina tantum:
Ut nil de ingeniis demas, sed tempora culpes.
Non igitur, quamvis litui nondum ante fuissent
Auditi, nondumque acies per carmina dictæ,
Bellantes tamen antiqui explosere Camœnas,
Tunc primum advectas mirati culmina septem,
Tibridis & ripas resonare horrentia bella.
Hoc mihi jam cum dent, nequeunt ultra addere verbum:
Quod valet in simili re qualibet, usque valebit.
Auctores utrinque graves, & mater utramque
Cum Musis genuit scribentum Græcia prolem.
Cetera quid memorem generatim lumina vatum,
Quique Sophocleo suras vinxere cothurno,
Et qui maluerunt humiles inducere soccos?
Tantundem est. neque propterea plus fecero: adepti
Cum simus punctum, medioque insederit orbe
Adverso cuspis, quid perdere tela moramur?
Non secus ac si quis, postquam confecerit hostem,
Et fugisse animam moribundos viderit artus,
Nequidquam evacuet frigenti in corpore vires.
Sed cedo, mihi cur novitatis crimen inurunt?
Ut vitium magnum novitatem assentiar esse,

Nunquid ego peperi Flacco vel teste, quod urbi
Æneadum fuerit non ante hæc tempora natum?
Quin potius quasi de stratis Musam excito longo
Oppressam somno, confectaque pulvere multo
Barbita detergo, ut carie purgata, situque
Explorem, an possint laudatos promere cantus.
Musica floreret cum res, quo tempore Flaccus,
Non satis audiri potuit, nec ob id, quod ineptè
Scripserit, aut multâ sine doctrinâ, ingenioque;
Sed Venusina modos auditu reddere blandos
Carmina quod nequeant digitis percussa sonoris.
Quare cantorem verbis infestat acutis
Hermogenem vates, pugnasque exercet amaras.
At non judicium hoc nostrum est, neque solvere lite
Hanc veni demens, sed Horati limina solum
Tangere si possum, bene mi nunc, atque beate est,
Cujus ego illoto non tractem pollice librum;
Sed veneror timidus, semperque excerpo, fideli
Quod scribam in mentis tabulâ, nec pœnitet ergo
Me juvat internum citharam pulsare Matinam.
Est ubi Pindarico me oblectet tibia versu,
Acrior & sonitus rapit in speciosa virorum
Ornamenta, animum curis sublimibus augens:
Nam bene de patriâ sudore, opibusque merentes
Heroas celebrare decet: merces sua cuique est.
Vomere qui proscindit humum, & qui retia ponit
Alitibus, pecorique fero, qui flava virentes
Servat per campos armenta errantia, quique
Prædam ex æquoribus petit, omnibus una laborum
Spes, ut latrantem possint compescere ventrem.
At res qui gerit egregias tunc munera factis
Digna refert tantis, nitidum cum fama per urbes
Ostendit, vectum Musarum in curribus altis,
Ter felix auriga potest qui dexter habenas
Æthereo in spacio versare, & currere cœlum.
Difficile est: tamen id studio contenditur omni,
Tollam ut humo, si qui nomen gessere, decusque:
Hoc damnant, hoc occultos illidere dentes

Ab-

Absenti tentant non consuetudine pulchrâ
Scilicet auxilio quoniam præsentia nobis
Esse nequit nostra, & morsus defendere nigros;
At spes magna in te posita est: non nescio quale
Alloquor ingenium, nec te pugnantior ullus
Pro veri neque pro justi ratione, fideque
Dulcis amicitiæ: tum me solatur & illud,
Quamvis avertant hinc publica commoda, quod non
Res agitur nunc indoctâ cum Principis aure:
Quin omnes novit numeros, & tramite rupem
Saxoso quondam Cirrheam adscendit, & amnes
Epotus sanctos, & pulchræ frondis amator,
Quâ caput implicitus pexum ludente sororum
Cœtu Thespiadum carmen modulatur Apollo.
O utinam Italiæ claris in mœnibus essent,
Qui salebras, possentque vias aperire latentes
Castalium ad fontem nostro sic tempore, ut olim
Fervebant doctæ studiis florentibus artes,
Cum primos nondum fructus ostenderet ævi
Paullus, nec tenerâ indueret lanugine malas.
Non hos audirem strepitus, sapiuntque poëtæ
Plus nostri, invidiaque gravi minus ilia rumpunt.
Nobilis ante etenim fuit hæc contentio nostris
Principibus, quisnam plures quisnam meliores
Cogeret accitos pretiis non vilibus, omnes
Quamvis vel longo præcesserit intervallo
Laurentis virtus Medicis: si dicere verum
Nil prohibet, veniamque aliis ab regibus æquam
Impetro. pollicita est quid non Florentia nobis
Dum Laurens dio frueretur munere lucis?
Namque ubi mortem obiit, patuerunt ostia belli,
Et bona turbavit placidæ furor otia pacis.
Quocirca immeritos traxit fortuna nepotes,
Atque hunc expunxit titulum, donec Leo casus
Post varios, robur tenuit ditione Quiritum,
Qui subito accersit sapientum pectora, Bembum,
Præcipuè Bembum, ac Sadoletum æqualia secli
Incolumis decora, inde alios, quibus aurea pleno

Dona sinu dabat effundens. aluit quoque Achæos
Artibus ingenuis pueros, linguaque vetustâ
Gentis, quo studia illa magis se tollere possent.
Fecerat id pater ante, fuitque peruitile doctor.
Unde meas age Musuro da lilia, manes
Lacte voca, fertque pium venerare sepulchrum.
Spero equidem jam tempus adest venientibus horis,
Cum simul illustris juvenum flos instar avorum
Expedient aditus Musis, lauroque nitebunt
Antiquâ generis, magno quod fama beatas
Laurenti curat ad sedes: lætabitur heros,
Cujus dissimulat nomen non ultimus orbis
Terrarum, non nascentis qui flumina Nili
Potat Hyperboreo non qui sejungitur Istro.
Huic Divæ primum collos Helicone relicto
Tyrrhenos habitare, atque Arni flumen amœnum
Non dedignatæ sunt haustu ducere pleno,
Pieriosque, talis cantus extollere in arvis.
Ergo diversis huc turba ferebat ab oris
Se se discentum, natalia mœnia linquens;
Ingeniumque omnes pulchrâ virtute colebant.
Rettulit inter quos, non ultima præmia laudis;
Qui nunc imperio beat æquo & legibus orbem.
Quare vel primis croceo exornatus honore
Annis, tunc tandem trabeâ fulgente decorus
Iliadæ solio magni subnititur alto.
Nullæ ergo ambiguis poterunt seducere dictis,
Insidiæ Paulum, non candida vertere furvis
Proderit invidiæ, quâ somnihil extulit unquam
Tristius infernis, hominique nocentius umbris
Virtutem contra, & meliores comminus audet:
Cum vitio pax summa, & cum pejoribus illi est,
Non etiam nugæ cantando pondus habebunt,
Non furti honos ullus erit; nam si Maco, vates
Et repetant alii sua, non miretur olores
Tanquam albos cæco fertur quod pectore vulgus.
Ante Therapnei, cum res Spartana vigeret,
Sanxere, ut cuivis furari impune liceret,
Dum

Dum recte id facerent; alioquin pœna manebat
Deprensos gravior duplo, atque infamia longe
Formidabilior pœnâ, quod nemo volebat,
Pauperis ingenii vitio, crassique notari;
Quandoquidem celare catus qui furta valeret,
Huic Lacedæmonii tribuebant mentis acumen
Egregium; stetit hæc autem sententia propter
Assiduum bellorum usum, quibus utile fraudes
Moliri: dolus an virtus quis in hoste requirat?
Vatibus hæc nostris si lex penderet, opinor
Non tot haberemus fures, pereantque poëses
Consutæ ex fractis aliorum versibus, o quam
Odi ego, qui rapto carmen sibi pangere quærunt,
Præcipuè vis ingenii si nulla renidet.
Aut per se scire, aut fallendi addiscere debent
Artem, si proprium nequeunt excudere quidquam,
Qui sese cupiunt laudari ab civibus amplis:
At nostri Autolyci perrumpunt limina vatum
Nobilium luce quando, vultuque patenti,
Quod neque lex prohibet fatuos peccare poëtas,
Ferrea nec frons, quin vitium quoque nomine donent
Virtutis: nam si dicas, hoc Publius ante,
Hoc dixit Flaccus, docti illud forte Catulli est,
Ut cornix olim cultus studiosa nitentis
Pennarum sese furtivo compsit amictu;
Tunc in se toto sibi magni pectore gaudent,
Tunc nectar fundunt oculi dulcedine pleni,
Tunc animam cernas motos gestire per artus,
Tamquam hæc ingenii sua sint stellantia verba,
Non horum, a quibus haud ullo eripuere pudore.
Id saltem non negligerent, ut rapta cohærent
Egregiè sarta, ut speratur id quoque frustra.
Denique nil sani est: huc imprudentia & illuc
Effrenis saltus, atque æquora plana peragrat,
Donec præcipiti vectorem fregerit axe
Ferre domo est opus, at si quem natura relinquit,
Judicii expertem, calamum deponere mandem,
Et tabulas: bimarem non omnes ire Corinthum

Pos-

Possumus, ut non te fallit, cui nota, Latine,
Sunt exempla domi, dein tu quoque labra rigasti
Fonte sacro, & poteras Juvenalibus esse coruscum
Sidus Musarum, & patriæ illucescere terræ.
Namque tibi ingenium, scribendi Phœbus & artem
Contulit, atque Deæ non deseruere canentem:
Præsertim tua cum præcordia pasceret ignis
Formosæ Lydes, teneros quæ dicere versus
Sæpe hortabatur, numeris & capta Latinis,
Et Thuscis, quamquam est Thusco gavisa lepore
Illa magis, quem portasti tu primus in Urbem
Romanus duplici religatus tempora myrto.
At mox, lene orsus, maturos edere fœtus
Cum nondum posses, pietas & fata sororis
Atrox in rerum fluctus, & tempora dura,
Ignarum maris, abstulerunt florente juventâ.
Hîc vero ambages longæ, & diversa pericla
Verum hiemem quamvis terram, passusque frementes
Sis pelagi cumulos, & monstra minantia fauces;
Attamen excepit patrius te portus ovantem
Puppe coronatâ, & sonuerunt litora plausu.
Quin & parta tibi ex cursu, horrisonoque fragore
Curarum patrio sapientia nomine digna;
Quæ Paulum non præteriit, vix ergo tiaræ
Accepit decus, ut magno regat omnia sceptro,
Cum salis Hadriaci dominam te mittit ad urbem,
Ut summis de rebus agas, atque ipse Senatum
Consiliis constantem, opibusque, & robore gentis
Fœderibus firmes, & nodo pacis aheno.
Hæc igitur nunc conficies: sed læta reversum
Excipiet cum Roma pedi dantem oscula sacro,
Molleque tempus erit post tanta negotia, vatem
Laudabis domino, & nostrum te carmen habere
Interea dices? tum si subriserit ore
Pacato, & fuerit visus tibi poscere, reddes.



*Andreæ Cornelio.*

Andrea, cui maternum genus atque paternum
Attulit incolumis longum servata per ævum
Nobilitas, quid te externa in regione morari
Augurer, Euganeæ fueris cum redditus urbi
Unde æger (si quid mentes ego discere possum
Ex hominum facie) modo decessisse videris,
Jacturam veritus studiorum, adeo tibi curæ
Quæ sunt, ut reliquis præponas omnibus unam
Virtutem rebus, duplicem ut mereare coronam;
Quod durum inter opes tantas, ubi tota renidet
Argento domus, atque auro, luxuque potenti,
Quid falsum vero, quidve album discrepet atro
Quærere, & ante pedes extructis undique chartis
Malle voluptati egregium præferre laborem.
Præsertim cum sint (patitur fortuna quod ampla)
Qui juvenem obliqui rapere in contraria certent.
Verum illi nequeunt conatu abducere pulchro.
Ac veluti quercus oreis Alpina resistit
Pulsa, licet summo contingat sæpe flagello
Tellurem, jam jamque putet dare quisque ruinam
Qui videt, & montem ramis implere caducis,
Illa adeo obsistens ventos contemnit, & imbres:
Sic pugnas, firmisque adeo radicibus hæres
Immotus, nec te fallit sapientia, quantum
Præstet, & ut vivax cœlum dum sustinet Atlas
Sola pererratis homines admisceat astris.
Ergo nocturnus libros versasque diurnus,
Libros, unde animum informes, meliorque recedas.
Imprimis docuit virtus quæ dia Platonis,
Quæque etiam nobis post illum scripta reliquit
Summus Aristoteles, manibus deponere nescis.
Non tamen ut spernas ultorem patris Orestem
Noscere, & Ajacis Termessam fata querentem,
Sæpe etiam stoma hum impigri miraris Achillei,
Et dum Telemacho Pylius dux cæde peractum

Bellum incredibili narrat, curruque sonanti
Dimittit Spartam. multo te incendit amore.
Et merito; nam non modulantur futile vates
Divini quidquam; sed dulci seria lusu
Apportant, suavemque linunt gravitate leporem:
Denique non croceis loris. & veste libelli
Purpurea, nec librarii multa arte magistri,
Atticus in studia incumbis; nosterque decora;
Verum tota tibi est insumere tempora chartis
Unum opus; ut si, præterea quid contigit, illud
Confestim mœrore animum conturbet acerbo.
O felix animi juvenis, cui Palladis artes
Sunt adeo cordi, & nihil est antiquius illis!
Quas nunc deseris, atque viam celer ire juberis.
Difficile in campo cervam prostrasse parenti
Assuetum silvis catulum, prædæque fugaci.
Sed patruo tanto quis non obtemperet amens?
Purpureos inter patres fulgente Senatu
Quem Roma accepit; dum tandem censet honores
Virtuti dandos summæ, ingeniisque paratos.
Quid quod amat te, nec patri concedit amore?
Quamvis nemo suo sit patri filius æque
Atque tuo tu carus; habes & pignora certa,
Quod factum te Pontificem jam tota salutat
Brixia: spes & majorum est, si forte regatur
Ipsius auspiciis olim præcelsa Quirini
Urbs, mandetque suis populis jura ille cupita.
Verum his Dii præsunt superi: quod fata jubebunt,
Illud erit, quin tu declares gaudia præ te,
Quando ut præteream conspectum, atque ora sereni
Principis, offertur non contemnenda voluptas,
Atque etiam votis sapiens quam tu omnibus optes,
Quæ non una erit & simplex: invisere primum
Continget tibi Flaminium, dulcique tenere
Egregiam complexu animam, cum intraveris altæ
Mœnia Veronæ; nam nunc se continet illic
Giberto gerat ut morem, primum ergo videbis
Flaminium, dein Frastorium; reliquosque Latini

Ser-

Sermonis, si quisquam alius, Græcique peritos,
Collegit quos Gibertus post urbis omissas
Curas, & tantâ postquam se mole levavit.
Quin & sublatis accurret Turrius ulmis,
Lætitia plenum ille ferens vultumque, animumque,
Non minus, ingenium cui est nobilitate, nec ortus
Magnis. non proavos tantos virtutibus æquat.
Ipse etiam te cognoscit Gibertus, amatque,
Nec nihil adventu veteris gaudebit amici,
Atque aliquid studium gravius, frontemque remittet,
Hoc tibi concedens uni: & fortasse virentes
Illos per colles ducet, fluctusque cientem
Benacum Hadriacos cernes, & litora circum
Frondea perpetuos foliis, quæ frigore, & æstu
Mala ferunt vulgo pendentibus aurea ramis.
Eja iter ingressus pulchrum, ne damna verere
Ulla futura, urbem Trojæ qui cœpit, ab usu
Est habitus prudens longo, & sermone virorum
Quales exposui, aut etiam fortasse minorum.
Præterea non magna tuis, ita censeo, possunt
Exigui portare dies dispendia Musis;
Quin contra melior studiisque paratior aptis
Ad nos te referes, & libros mente refecta
Noctes atque dies evolves acrior, o quam
Non unquam assiduas juvat intermittere curas!
Et longos gratâ requie finire labores!
Præcipit & natura vices: nec flumina semper
In terræ gremium ex alio volvuntur Olympo.
Nec semper blandos per roscida prata Napeæ
Ungue legunt viridi flores, & curvus arator
Depellit juga taurorum è cervibus, atque
Reddidit at fessos solitis præsepibus, herbam
Sufficit, & manibus sudorem abstergit amicis:
Ut cùm se extulerit glaucis Auroræ quadrigis,
Restanti sulcos infindat crastinus agro.
Quod fieri secus haud poterat. revoca ergo libenter,
Andrea, defessum animum, pareque jubenti
Fato alacris. nos interea te carmine coelo

Tol-

Tollemus, siquid contingit nectare lusus
Musa o nostros Clio, cui rite vocatæ
Nuper Medoaci ripam madefecimus agnâ.
Sæpe tuum nomen repetentes audiit unda;
Vicinusque jugo respondit Teplus amœno.

*Ludovico Beccatello.*

Lecta fuit postquam tua dulcis epistola nobis,
Ante omnes electe mihi Ludovice sodales,
Ex qua te lætum didici recteque valentem,
Excepto, desiderium quod non bene ferres
Nostri, nec posses mordacem evellere curam,
Hoc unum tibi præterea nil deesse quod optes:
Non potui id valde non angi, namque fatebor,
Ante quidem me cura minor, sed cura premebat,
Quod non aut hic tu simul esses, aut ego Jani.
Vel quia me docuit fortuna, & serior ætas
Ferre, malo assuetum, quidquid contingat acerbi
Vel quoniam se noti alii veteresque novique
Adglomerant lateri nostro, intereaque levamur,
Sicque importunas nugando fallimus horas.
Verum ubi quæ scribis nobis sunt cognita, sensi
Illico devinctum graviori vulnere, meque
Tam mœrore tuo percussum, ut nempe puderet
Quod mihi non esset tecum pars æqua doloris.
Quare incusabam nostris obstantia votis
Primum fata, & tam diversos esse querebar.
Alloquiisque carere & consuetudine nostrâ,
Temporibus quâ nulla fuit jucundior ullis.
Nam quæ tam conjuncta animis quæ pectora cernas;
Quæ vis nulla queat nullum dissolvere tempus?
Post tamen ad se animus rediit: casusque ferendo,
Vincere constitui quotquot fortuna tulisset:
Namque Deis visum superis, ut luce fruamur
Raro albâ, tenebris sæpe obversemur ut atris.
Quo deinde antiquis oculos defigere chartis
Contractum, & libros noctes versare diesque,

Ni

Ni numerum fugimus gnavi; eripimurque popello?
Nilque moræ in studiis prosunt, longique labores,
Quos ferimus, veræ quicumque cupidine laudis
Incensi sequimur quo nos sapientia ducit,
His ego fomentis me solor, & explico frontem
Sæpe mero, viridi caput incingente coronâ,
Ergo & tu immeritum solves a corde dolorem.
Spargereque audebis, & flores poscere, Bacchum,
Spumantem attollens pateram me sæpe vocabis,
Absentemque absens animo præsente revises,
Corpora si nequeunt spatiis disjuncta coire.
Sic ego sæpe ratem conscendo, & navigo fluctus
Adriacos, videorque istis allabier oris,
Et portum ingredier tandem, & succedere tecto.
Quo simul adveni, multa impertire salute
Cosmum & te videor, multa impertire cohortem,
Tum post complexus lætos, post oscula læta,
Ducere sermonem, & cœnam, quam longa, per omnem
Ridere, & juvenum, Patavi ut discestis ab urbe,
Nobilium studia & curas aperire decoras,
De quibus accipies, quoniã in hoc quoque scire laboras,
Nosque tibi officium merito, & præstamus amorem.
Accipies non multa: vetor nam scribere multa
Tempus ob angustum & majora negotia, sed ne
Tu diffide tamen dictis, neve abiice nostram
Hac de caussa operam, naso aspernatus adunco,
Te tanquam voti sim dimissurus inanem.
Magna sitis compressa brevi persæpe lagenâ est,
Sustolluntque etiam scintillæ incendia: forsan
Sponte sua e verbis nostris consurget abunde
Commoditas, reliquum possis mox tradere ut orbem
Ipse tibi, quamvis apices ego legero summos.
Naturam certant omnes, elementaque rerum
Discere prima (quibus res quælibet informatur)
Subjecta, est habitu postquam nudata priore:
Omnia vestigant, sive immortalia nostris
Se se oculis præbent longum spectanda per ævum,
Debita seu nigræ cernuntur corpora morti,

Protulit æthereas volvens quæ tempus in auras.
Scilicet unde imbres fiant cœlum unde tonantes
Sustineat currus, micet æther unde coruscis
Ignibus: hæc studio conantur noscere summo.
Addunt quænam herbas submittant prima virentes
Semina quænam altis educant montibus alnos.
Addunt, quid gemmæ & marmor, quid fulgeat aurum
Argentumque decus cænarum, & sumptibus aptum;
Quidque æs inventum prius, & post lamina ferri,
Quæque greges avium pictos, quæ caussa ferarum
Omne genus, piscesque maris quæ caussa propaget.
Est ipsis etiam curæ primordia nostra
Discere, & humanam penitus cognoscere gentem,
Curque homines præstent aliis animantibus usu
Sermonis, cur judicio & ratione potiti,
Cetera cum careant animalia lumine mentis.
Præterea innumeris decoret fulgentibus astris
Quid cœlum, & curant geminos quid torqueat axes:
Curant errantumque globos signisque decorum
Solis iter variis obliquo tramite mundi,
Et Solis consanguineam splendescere Lunam;
Est ubi nonnunquam mirantur lucis egere.
Denique quid rerum valeat natura creatrix,
Et quid ferre neget, studiis æqualibus ardent
Corripere, & nitidâ crinem insignire coronâ.
Attamen hos agitat dispar sententia, censet
Esse vias alias tentandas Barbarus, huic nec
Accedit Laurens, nec vestri dia Macigni
Virtus: hæret adhuc partes Boldunius utras
Laudet, quisque tamen puras accommodat aures
Egregiis Genuæ dictis, & percipit artem.
Jam sat habes pulchri quid agat studiosa juventus,
Cum qua communem Musarum è fontibus haustum
Ducebas, cum te colles Cosmumque tenerent
Euganei? Cosmum, quo non præstantior alter
Condere seu liquidum dulci testudine carmen,
Seu sermone opus est aliquid narrare pedestri.
Quem verbis primum nostris salvere jubebis,

De-

Deinde Casim, si forte Casis, se contulit istuc
Urbis lassus, & ut caros invisat amicos.
Vive, valeque memor nostri, mandataque serva.

*In candorem Veneris.*

Candida sunt nivei concreta coagula lactis,
  Candida sunt oculis visa ligustra meis;
Candida dona eboris nigro mittuntur ab Indo,
  Candida sunt Pariis marmora cæsa jugis.
Candida pluma tuos, Cythereïa, vestit olores,
  Candida Sithonia est terra refusa nive:
Candidior cunctis geminorum est mater Amorum,
  Lacte, ligustro, ebore, marmore, olore, nive.

*De suis temporibus.*

Olim habuit Cypris sua tempora: tempora Mavors
  Olim habuit: sua nunc tempora Pallas habet.

*Ad Leonem X.*

Saulus, & insana rabie Lupa concita nuper
  Quærebant, tacitis perdere te insidiis.
Si tibi, uti nomen, generosi est ira leonis,
  Non in tam vilem sæviet illa feram.
Si Deus es, Saulo ignosces: Sauli est, prius hostem
  Esse Dei, sed mox pro Jove cuncta pati.

# CHRISTOPHORI LANDINI

## FLORENTINI

### *Ad Bartholomæum [illegible] Scalam Collensem.*

QUæris cur nostros macies contraxerit arctus,
  Inque dies crescat pallor in ore mihi.
C[illegible] miseros [illegible] non somnus [illegible],
  Cur lacrimis [illegible] facie fluminis instar eant.
Ah nescis quantæ vexent mea pectora flammæ,
  Hæc, mi Scala, vides, quid sit amare malum.
Quod si te certa Deus hic violare sagitta
  Cœperit, [illegible] facilis [illegible] corda novas;
Tunc Titii duros poteris ridere dolores,
  Vulturis, [illegible] nostra [illegible] jocos.
Tantaleæque [illegible] fonti,
  Oraque [illegible] tetra videre canis.
Quam semel [illegible]
  Et sentire quibus ignibus urat amor.
In me tela volant, in me sua fulmina tædas
  Concutit, inque dies durius instat amor.
Tu tamen infando non [illegible] mea Xandra, furori
  Succurris, moria[illegible] venis.
Quæ tibi, quæ laus [illegible] gloria tanta, misellum
  Perdere me? damno [illegible] mihi fata tuo.
Quis roseam faciem, quis cygnea colla manusque
  Si peream, vel quis lumina nigra canet.

### Sexti Severii ad imitationem Petrarcæ.

Jam satis extremo fuerit servisse furori
Dum vigil insomnes poteram producere noctes
Sit satis heu frustra tantos toleraſſe labores.
Ni cupiam hanc omnem vitam traducere luctu,
Poſtquam ſperata privas me, Xandra, quiete,
Atque jubes tota ſic, o, lugere juventa.
Ah quot noſtra tulit (norunt dii) Xandra, juventa,
Quam tu perpetuo vexaſti ſæpe furore;
Ergo quod reſtat placidæ donare quieti
Fas erit, ac reliquas levius producere noctes,
Inſanum cum ſit tam duro tempora luctu
Conterere, & nulla requiem donare labores.
Morte olim tantos placuit finire labores,
Atque id feciſſem prima, fera Xandra, juventa,
Sed ſpes ſemper erat poſſe hæc tua flectere luctu
Pectora, nam numquam [illegible] talem eſſe furorem
Qui vel noſtra dies vel poſſet pectora noctes
Perdere, & æterna mentem privare quiete.
Sed poſtquam tecum ſtultum eſt ſperare quietem,
Hæc mihi tam duro ſunt præmia digna labori,
Has ſtatui curæ meliori impendere noctes,
Quodque pudet prima non perfeciſſe juventa,
Nunc faciam; tu, Phœbe, pia mea corda furore
Incute, nam triſtes cupio nunc ludere luctus.
Præteritos referam vero jam tempore luctus
Te duce, Phœbe, tuo vati, da, Phœbe, quietem,
Da mentem mihi, Phœbe, novam, ſanctumque furorem
Inſpira, ut vanos valeam narrare labores;
Ut noſtris edocta malis ventura juventus
Teque cupido dies fugiat, teque improbe noctes.
Cur unam de mille mihi ſaltem improba noctem,
Qua mihi tam triſtes licuiſſet ponere luctus,
Huic ego præteritæ penſarem dura juventæ
Tempora, & hanc ſolam poſſem preferre quietem
Cunctis, quos olim pro te, mea Xandra, labores

Excœpi duro correptus corda furore.
Sed prius æolio crescent sub vellere noctes
Atque labor Phœbi poterit sibi ferre quietem,
Quam furor, aut luctus sinat hanc lætam ire juventam.

*Ad Leonem Baptistam Albertum.*

Ibis sed tremulo, libelle, gressu,
Nam cursus pedibus malis negatur,
Verum, ibis tamen, & meum Leonem
Baptistam Aonidum decus sororum
Antiqua Æneadum videbis urbe.
Quid stas? quid trepidas, libelle, inepte?
Cur non sumis iter? times ne tanti
Forsan judicium viri subire?
Nil est quod timeas; legit poëtas
Doctos ille libens; salesque laudat.
Lenes, & placidos probat lepores,
Sed nec ranciduios, malosque vates
Quamvis molliculi nihil bonique
Candoris teneant, fugit severus;
Laudat siquid inest, tamen modeste
Laudandum, reliquum nec usque mordens
Coram carpit opus, bonusque amice
Secreta monet aure nigriora.
Quæ tolli deceant, simulque verti
Albis carmina versibus, suumque
Non hunc grande sophos, decensque lusus,
Quamquam utroque valet nimis diserte,
Non Alberta domus facit superbum,
Cunctis est facilis, gravisque nulli,
Hinc te, parve liber, sinu benigno
Lætus suscipiet, suisque ponet
Libris hospitulum, sed heus, libelle,
Audin, nequitiæ tuæ memento,
Quare si sapies severiores
Quos ille ingenuo pios pudore
Multos composuit, relinque libros,

Et

Et te pasceris illius querelis
Doctis, sive canis jocis Hyberi,
Argutæ, lepidæque sive musæ
Extremum comitem dabis, superque est
Istis si potes ultimus sedere.

*Epitaphium in Leonardum Aretinum.*

Hic, cui frondenti nectuntur tempora lauro,
Romanæ linguæ dos Leonardus erat.
Qui Florentini descripsit gesta Leonis,
Transtulit & Latiis dogmata Græca viris.

*Laudes Dianæ.*

Candide laudes age jam canamus
Musa Dianæ, nemus illa, manes
Inferos, cœlum colit & serenum
Terna potestas.
O Jovis summi decus omne prolis
Virgo, quæ fratrem modo nata diva
Diligens partu relevas parentis
Lucida Juno.
Tu suis septem Niobem superbam
Ulcta Latonam celeri sagitta
Filiis orbas, prohibesque matris
Numina temni.
Nec tuos ausus temerare fontes,
Cernere & nudas vetito Napeas
Lumine Acteon meritas refugit
Pendere pœnas.
Nunc enim prisca fugiente forma
Cornibus spargi comites stupebant,
Hic sibi notis canibus revelli
Viscera sentit.
Nulla sed major tibi diva venit
Fama quam per te rudis insolenti
Miles in partu mea magna cura

Xandra superſit.

Tu meæ partus dominæ dolentis
Mitigas felix nimios dolores
Tu ſinu natum puerum benigno
Læta receptas.
Digne nunc tali puer o parente,
Quem nec alatus ſuperet Cupido,
Sis precor matris decus, & voluptas
Maxima matris.
Namque tam cunctos roſeis labellis
Candido vultu, pueris præibis,
Quam parens cunctas ſuperat nitenti
Fronte puellas.

*Ad Bartholomæum Opiſcum Scalam Collenſem.*

Deſine jam leges noſtro præſcribere amori,
Deſine ſolus amor neſcit habere modum.
Quis modus aut Myrrhæ, cum matris adultera facta eſt
Aut qui Medeæ finis, amice, fuit?
Quis modus aut Scyllæ cum crinem dura puella
Execat infami regia paterna manu?
Solus amor vaccam ligno ſimulare dolato
Paſiphen juſſit, furtaque ferre bovis.
Phyllida ſolus amor laqueo ſuſpendit amantem,
Dum tu Demophoon fallis inique fidem.
Sed quid femineos nunc eſt numerare furores
Adiicit hic ſuperos in ſua regna Deos.
Nec puduit cygnum, pater cui regia cœli,
Induere, & plumis ſpargere membra novis.
Et crinitus oves ad flumina pavit Apollo,
Ut poſſet dominæ ſe refovere ſinu.
Inque jubas abiit magnus Saturnus equinas
Vallibus Ideis gramina paſtus amans.
Nec matri Deus iſte ſuæ, Deus iſte pepercit,
Illius imperium ſenſit & alma Venus.
Ah quoties Paphon, quoties ſua regna Cithera
Deſeruit flammis jam calefacta novis.

Et

Et modo Panchæis demens errabat in agris
  Cerneret ut vultus pulcher Adoni tuos.
Et modo Myrrhea requiescens fessa sub umbra
  Pectore fusa tuo basia mille dabat.
Nec visum indignum niveos ornare lacertos
  Retibus, & duro ducere monte canes.
Nec suus a puero poterat divellere conjux,
  Non Mavors quondam maxima cura sibi.
Quin etiam montes, ac turpia lustra ferarum
  Prætulerat cælo, prætuleratque Jovi.
Omnia formosum propter fugiebat Adonem,
  Tantum nostra valet vertere corda furor.
Ergo, Scala, meo leges imponere amori
  Desine, solus amor nescit habere modum.

*Ad Bartholomæum Scalam, de suis Majoribus.*

Inquiris veteres ubi quondam Scala penates
  Majores norim composuisse meos.
Non ego Cecropia refero de stirpe parentes,
  Nec domus antiquos Julia præbet avos.
Nullus & egregios titulus mihi signat honores
  Quos inhiat laudis ambitiosa sitis.
Tecta nec e Pariis spectantur fulta columnis,
  Nec regum nobis arca recondit opes.
Tu tamen alma meis priscas Florentia sedes
  Spiritus classis non procul æde locas.
Est vicus Tusci putei cognomine clarus
  Urbis, qui in levo mœnia colle vides,
Hic, tu Scala, meæ cernes primordia gentis,
  Quamvis parva tamen hic monumenta patent,
Nam licet ex humili populo mea surgat origo,
  Casta tamen semper, & sine labe fuit;
Nec Musis odiosa piis, nec inutilis armis,
  Nec venit hæc patriæ dissimulanda suæ.
Hoc Campaldinæ testantur funera pugnæ
  Tempore, quo rubris fluxerat Arnus aquis.

Namque huc Landinus comitatus signa tribunum,
Quæ velis niveis nigra flagella notant,
Sumpserat a proprio non aspernanda tribuno.
Munera dum cæso victor ab hoste redit.
Hic avus, o Francisce, tibi, cui Musa canora
Arte dedit priscos æquiparare viros;
Nec magis Aoniæ gaudent Amphione Thebæ,
Cum stupeant dulci saxa coisse lira.
Quam tua Tyrrheni soliti per templa, per ædes
Organa tam facili cernere pulsa manu.
Lesbous celeres cantu Delphinas Arion
Permulsit, vitreas dum rate findit aquas.
At Rhodopes gelidis ducebat montibus ursos
Orpheus, & fulvos per juga summa lupos.
Sed neque per silvas, neque per freta dulcius illo
Hactenus audisse jurat Apollo melos.
Quin & adoptiva Musam de stirpe parentem
Rettulit, & Musis dignus alumnus erat.
Sed simul heu nulli superi dii cuncta dedere,
Nullus & ex omni parte beatus erit.
Nam qui Syrenas superabat voce canoras,
Damnata æterna lumina nocte tulit.
Non quia sic meritus fuerit, sed noscite quanta
Invidia livor infera regna premat.
Est inter Stygias Phthone deterrima nymphas,
Tempora cui multus oraque pallor obit.
Hanc pater, & Stigiæ Phthonem dixere sorores,
Invida quod tristi fronte secunda videt.
Hæc patrias primis tenebras jam liquit ab annis,
Ausa per excelsas ætheris ire plagas.
Namque potest hominum res si turbare secundas,
Tunc fruitur proprio nympha maligna bono:
Ergo forte trium perscrutans fata sororum
Audierat Lachesis talia voce dari.
Nascetur Fesula Franciscus origine tali
Dircæum quali vidimus arte linum.
Protinus invidia tumuit Dea sæva, suisque
Supplicibus Clothon vocibus alloquitur;

O Dea, nam nulli vitæ sub lumen ituro
  Te sine mortali janua prima datur;
Castalii quæ sacra colunt Eliconides antri,
  Jam mira cupiunt arte parare virum;
Et cupiunt; & tanta illas fiducia cœpit,
  Ut sibi vel sine te cuncta licere putent.
At tu ne quisquam quondam tua numina temnat,
  Ne lateat, possit quid tuus orbe furor
Illius æterna damnabis lumina nocte,
  Sit Linus, ut jactant, dummodo cæcus eat;
Hac olim Tamyrim pœna afflixere Camœnæ,
  Certaret cantu cum superare Deas.
Hac nunc illarum pœna afficiatur alumnus,
  Sic tua qui spernat numina nullus erit.
Dixerat, & partus maturi venerat hora;
  Atque tuam mater, Parca, petebat opem.
Ergo ades, & puero referas dum limen, adempta
  Ætheris in lucem luce venire jubes
Non tamen Aoniæ cæcum sprevere puellæ,
  Nec puduit molli sæpe fovere sinu.
Musarum silvis, Musarum montibus olim
  Lusit, Musarum captus amore puer.
Quin & Pierias Phœbo ducente per umbras
  Audivit sacros ex Helicone choros.
Audivit varia modulantes voce sorores,
  Hæc ore, hæc tibiis, concinit illa fide.
Atque hic disparibus nate distincta cicutis
  Organa porrexit Calliopea suo.
Atque ait Ausonias summe hæc, i nate per urbes,
  I nostras laudes, nostraque facta cane.
Tanta hic carminibus tibi gloria surget Etruscis,
  Threicii quanta carmine vatis erat.
Nam mire Tusco vivens celebraberis Arno,
  Lydia qua fulvus temperat arva leo.
Nulla dies sacrum poterit subducere nomen,
  Sed tua post major funera crescet honos.
Nec mater de te quidquam mentita, suisque
  Egregiam verbis facta tulere fidem.

Nam-

Namque Fluentini ſolus dum cantibus ædem
Pontificis celebras Tuſcia tota ruit.
Teque rudes, doctique ſimul, juvenumque, ſenumque
Pectora divinis obſtupuere ſonis.
Sed nec tu fueras una contentus in arte
Cum poſſes veterum dogmata noſſe patrum;
Nam ſolers rerum cauſas, penitusque repoſtas
Naturæ occultas tendis inire vias.
Et quod terrenis oculis vidiſſe negatum eſt,
Cernere mente parens Calliopea dedit.
Jamque tuum nomen ducens tranſcenderat alpes,
Oraque compleret trans freta longa virum.
Quin & marmoreo moriens donare ſepulchro,
Quod nunc Laurenti templa vetuſta tegunt.
Templa tegunt, quem mox Coſmus ſuffulta columnis
Fornice ſublimi conſpicienda dabit.
Tunc licet aurato niteant laquearia tecto,
Et Feſulus multa ſplendeat arte lapis,
Non tamen e media quoque removebere ſede;
Nec volet hoc doctis qui favet ingeniis;
Nam favet ingeniis Coſmus, quin luce carentum
Inviolata loco buſta manere jubet.
Æternum, Franciſce, igitur per ſecula vives,
Et tuus Eliſium ſpiritus arva colet.
Sed nec degeneres referet tibi fama minores,
Nullaque de turpi poſteritate nota eſt.
Nam tibi germanus fuerat, cui cara nepotem
Progenies magna non ſine laude dedit.
Nam Gabriel, quem ſorte ſua Camaldula legit
Relligio niveis conſpicienda togis;
Ambroſi primos nutritus lacte per annos
Roſcida Gorgoneis antra ſubivit aquis.
Hinc fidibus proceres cœli laudavit, & illos
Militiam ſummi qui meruere Dei;
Qui nobis patriam pro Chriſto vulnera paſſi,
Sanguine divinam jam peperere ſuo.
Mox dum Parrhaſiæ Piſano in litore gentis
Victa Fluentino mœnia Marte cadunt.

Ante

Ante expectatum juvenilibus obrutus annis
  Deserit heu quanto prœlia cœpta pede.
Sic nobis Gabriel prima fraudate juventa
  Complesti luctu saucia corda gravi.
Nam tibi me Musæ, tibi me patruelis origo
  Junxit, & ex uno sanguine ducta domus.
Tu me Musarum magno inflammatus amore
  Cyrrhei impuleras scandere celsa jugis
Te duce Permessi liquidas ad fluminis undas
  Venimus, & sacro tinximus ora lacu.
At nunc si Phœbus velit aspirare canenti,
  Magnorum ut possim dicere facta virum,
Si qui rauca canit gracili nunc carmina plectro,
  Intonet altiloquo major in ore sonus.
Cosmus, & egregii cernent mea pignora Cosmi,
  A patribus nusquam degenerasse meis.

*Adversus Avaros.*

Divitiæ vobis variis quærantur Avari
  Artibus, ut multas arca recondat opes.
Atque alius terris primo sub sole calentes,
  Et petat Eoo litora juncta salo.
Alter ad extremas Hispani gurgitis urbes
  Merce gravem Tusca solvat ab amne ratem.
Adversasque hiemes durus, fluctusque marinos
  Substineat, navi sæpe labante miser.
Ast hic militiæ sævos tolerare labores
  Discat, & ad sonitum castra movere tubæ.
Sæpeque brumales horrenti sub Jove noctes
  Exigat; aut pluvio sidere currat iter.
Quid tamen hinc pretii post tanta pericula vitæ
  Proveniet? semper ut miser esse velim.
An tanti est digitos nitidis ornare lapillis?
  Vel Tyrio bibulam murice ferre togam?
Verum agite, o cupidi: sed quantum crescet acervus
  Nummorum, tantum crescet avara sitis.
Sollicita assiduis involvite pectora curis,
  Nec veniat vobis lætior ulla dies.

Me

Me nec pauperies, nec tristior ulla cupido
Impellet patrio longius ire solo,
Quod mihi si Musis fieri contingat amicum,
Illarumque meo si sonet ore furor;
Tunc ego Persarum ditissima limina regum
Ridebo, aut si quid pulchrius Indus habet.
Tunc dignum nostra carmen cantare puella
Dulce erit, & dominæ sic placuisse meæ.
Tunc tua forma meis nitide depicta libellis
Diffugiet nigros, aurea Xandra, rogos.
Verum agite, o Musæ, mihi maxima numina Musæ,
Jam liceat vestro pellere fonte sitim.
Me vestrum ventura ætas cognoscat alumnum,
Eductum vestris sentiat esse jugis.
Quod si me indignum vos tanto munere divæ
Ducitis, & nostri gratia nulla movet,
Hoc saltem tali libeat præstare puellæ
Non mihi, sed dominæ carmina vestra peto.
Quæ si forte suo sic defraudetur honore,
Invidia nemo vos caruisse putet.
Castior hæc Helena est, fuerat nec pulchrior illa
Smyrneam potuit quæ meruisse tubam.

### *Ad Petrum Medicem Magni Cosmi filium.*

Purpureis semper vernent tibi busta rosetis,
Inque tuum tellus sit levis usque caput;
Ulla nec Elysios passim celebrata per agros
Quam tua Mecœnas, rideat umbra magis.
Mecœnas inopes quondam miserate poëtas,
Mecœnas Phœbi, Pieridumque decus.
Te duce grandisonas consurgit in arma virumque,
Olim qui denas vix cecinisset oves.
Alter erat tenuis pauper præconis alumnus,
Cujus erat Lalagen dicere posse labor.
Hic ubi Campanos a te deductus in agros,
Pauperiem verso sensit abire pede.

Protinus heroum Lesboo carmine laudes,
  Et superum cecinit dulcia furta Deûm.
Nec mirum tristi pulsis e pectore curis
  Libera si tantum mens agitabat opus.
Sed nunc Mecœnas Tyrrenis alter in oris
  Conspicitur, claris qui favet ingeniis.
Vos modo sublimi vates consurgite versu,
  Qui cupitis sacra cingere fronde caput.
Sive Sophocleis libet hæc cantare cothurnis,
  Seu juvat Aonii ludere more senis.
Nam Medicum Fesulis stabunt dum fulta columnis
  Atria, magnanimis concelebrata viris,
Nec vos materies, nec merces carminis unquam
  Deseret, hoc virtus præstat utrumque Petri;
Ille colit Musas, doctos colit ille poëtas,
  Unquam nec merita laude carere sinit.
Nam novit quæcumque armis, quæcumqe togata
  Pace gerant clari nobilitate viri.
Ni fuerint magno Musarum fulta favore,
  Tendere in æternum non reditura situm.
Ergo colit doctos, doctorum & carmine vatum,
  Quæ sint digna cani, maxima facta gerit.
Nusquam magnanimo genitus, fortique parente
  Inceptis gravibus degener ipse fuit.
Nam tantum emicuit juvenili in pectore quondam
  Consilium, quantum vix solet esse seni.
Inque dies crevit virtus crescentibus annis,
  Seque tulit gradibus accumulata novis.
Unde & maturo gravior cum accesserat ætas,
  Nam cuncta ex usu mens meliora facit,
Quid mage jam sanctum, vel quid divinius unquam
  Lydius Etrusca vidit in urbe Leo?
Ergo agite, o vates, sublimi insurgite versu,
  Seu libeat natum dicere, sive patrem.
Jam canite altisono Medicum pia carmine facta,
  Queis servata salus sæpe fuit patriæ.
Et si vos patriæ pietas tenet ulla, parentes
  Jam patriæ versu concelebrate novo.

*Ad Xandram.*

Quarta nimis misero mihi jam devolvitur æstas,
Ex qua, Xandra, tuus me male vexat amor.
Talis amor, qualem nec mater sensit amoris
Cum stupuit vultus pulcher Adoni tuos.
Pontica nec qualem sensit male sana puella,
Esonide timuit cum seva juga suo.
Ardebant ambæ miseræ penitusque medullas,
Exurens ibat tosta per ossa calor.
Ad mea si spectes quantæ præcordia flammæ
Involvant, quantis ignibus urat amor,
Ultima jam nostri poterit scintilla caloris
Colchidos, & Veneris exuperare faces.
Me miserum, non ora cibus, non lumina somnus
Intrat, & in toto corpore nulla quies.
Multaque jam fractum quassant suspiria pectus,
Sic miser in luctu tempora nostra tero.
Ah quoties totas gelido subsidere noctes
Egimus ante tuas dura puella fores.
Tristiaque in junctos torquens convitia postes
Lugebam misero limina clausa mihi.
Heu modo vernali suspendi flore coronas
Intexens rubris lilia cana rosis.
Et modo per timam tenui sub voce querelas
Immisi, & tenui verba notata sono.
At cecini surdæ, nam cum tibi carmina dico,
Protinus aspideis auribus ista caves.
Sed jam tam sævo subducere lintea vento
Tempus adest, portum fessa carina petat.
Tempus adest requiem tanto præstare dolori,
Nostraque disrupto solvere colla jugo.
Seu juvat æterno pectus damnare furore,
Altera mi dabitur quæ velit esse mea.
Tu quamvis tibi sim marcenti vilior herba,
Nec nostræ tangant pectora dura preces;
Amissum frustra quondam revocabis amicum,
Ista tibi penitus verba superba cadent.

Novi

Novi ego poscentes semper lusistis amantes,
  Irrisæ cupitis sponte subire viros,
Oenone Paridem nimium patienter amavit,
  Dum putat igne suo posse perire Parim.
Ast ubi Tyndaridos juvenis succensus amore
  Iliacas movit per freta longa rates,
Tum primum damnasse suos male saucia fastus
  Dicitur, & flammis incaluisse novis;
Tum primum penitus non indulsisse furori,
  Et doluit lentæ damna subisse moræ.
Ah quoties patrio recubans resupina sub antro
  Torsit in absentem talia verba Parim:
Men refugis tanto, crudelis, flumine natam?
  Qua sine jurabas posse placere nihil?
Illa ego si nescis sum quam laudare solebas,
  Præferre & cunctis, perfide, Nayadibus.
Nunc aliam sequeris pro qua Trojana juventus
  Occidat, & Priami pergama celsa ruant.
Talibus implebat juga proxima sæpe querelis,
  Et gemitum audierat jam nemus omne suum.
Quin etiam lacrimis fluvios auxisse parentis
  Fama fuit; tantus finibus ardor erat.
Non tamen his lacrimis Phrygiam retinere carinam,
  Nec Paridos potuit sistere vela sui.
Ergo si sapiens fastus fugisse decebit,
  Pulchras, pulchra licet, nulla superba placet.
Quod si jam nobis adversis mitius aures,
  Et flectis precibus pectora, Xandra, meis.
Quod mihi cumque olim dabitur, pulcherrima, vitæ
  Scribam: sic nobis nostra puella dedit.

*Descriptio Montis Asinarii, ad Laurentium Crescium.*

Est mons æternum tribuit cui nomen asellus,
  Quem Tusca octavus signat ab urbe lapis.
Hic idem densis tegitur silvis, & mollibus umbris,
  Floribus hinc virides prata decora novis.

Nec

Nec non & varii passim per gramina rivi,
  Scabra inter rauco murmure saxa fluunt,
Et purum innumeræ circum sua rura volantes
  Effundunt liquido gutture carmen aves.
Verticis at summo Reginæ Virginis aram
  Indigenæ prisca relligione colunt:
Namque ibi miranda constructum ex arte sacellum
  Sancta Sacerdotum, pullaque turba tenet.
Huc nos, dum rapidi ferventia terga leonis
  Altior, & flavas urit Apollo jubas,
Laurenti dulcis sævos ex urbe calores
  Fugimus; hic placido nos fovet aura gelu.
At te, cui patriæ celebres debentur honores,
  Fas erit urbanæ tædia ferre togæ;
Sollicitumque piis pectus componere curis,
  Civibus unde queas consuluisse tuis:
At me, quem magnis sors adversissima rebus
  Inferiore dedit sæva jacere gradu,
Sit satis umbroso viridis sub tegmine quercus
  Ludere Pierio carmina grata choro.
Quod si Castalios nequeam libare liquores,
  Nec folia ex lauro carpere, Phœbe, tuæ,
Quis vetet, imbellesque capras, leporesque fugaces
  Urgere alipedo per juga summa cane?
Aut pingui incautas volucres innectere visco,
  Aut gregis insidias fallere casse lupos,
Ipsaque jam nantes liventi calce supinum
  Pisciculos nobis flumina parva dabunt,
Nuper & emuncto poscenti villica lacte
  Occurret multa rusticitate decens.
O te felicem quisquis civilia temnens
  Munera florentis ocia ruris amas!
Nulla hic mulorum poterit tibi rumpere somnos
  Turma, nec ærato calce recussa silex.
Nec faber ardenti nocturnum forcipe versans
  Ferrum, nec querula stridula plaustra rota.
Et procul hinc aberit, juvat hoc quoque, nec mihi fastus
  Opponet totiens Xandra superba suos.

Non erit ad surdæ cantandum limen amicæ,
Crudelis dominæ jurgia nulla feram,
Totum præteriit, sed quæ sunt præmia? lustrum,
Ex quo Xandra tuus me male vexat amor.
Et tamen interea mitis quandoque fuisti:
Multa sed heu minimo toxica melle bibi.
Nunc quoniam penitus nostro adversaris amori
Inque dies minus est jam tibi cura mei;
Concedam; sed tu, ni me Venus impia ridet,
Flebis adhuc fido verba dedisse viro.

## *Epitaphium Philippi Architecti.*

Qui venis externis fama commotus ab oris,
Virginis ut cernas splendida templa Deæ,
Me quoque tam vasta celebrem testudine fabrum
Hoc tumulo clausum nosce: Philippus eram.

## *Ad Urbem Florentiam.*

Hactenus egregiam niveo candore puellam
Et dominæ lusi lumina nigra meæ.
Nunc tua majori præstans, Florentia, versu,
Dent modo fata viam, fortia facta canam.
Quid juvat antiquas heroum dicere laudes?
Aut quid Thebanos bella nefanda duces?
Nil mihi cum Priamo, nil tecum, fortis Achille,
Tu Paris atque Helene fabula nota vale.
Hæc Grai, hæc Latii quondam cecinere poëtæ,
Tritaque sunt nostris auribus ista satis.
Dicam ego Romanæ florentes urbis alumnos
A patribus numquam degenerasse suis.
Et referam versasque acies, & mœnia celsi
Boniti plano jussa jacere solo.
Et vos, o Pisæ, cantabimus altera nobis
Carthago tandem nostra tulisse juga.
Nec semel adverso jam fractos marte Senenses,
Atque lupam turpi terga dedisse fugæ.

Quid Volaterranis sublimi monte superbis
  Profuit in summis mœnia habere locis?
Dispositasque suis muris armare cohortes,
  Volvereque in nostros saxa superna viros.
Scanduntur rupes, tum denso milite porta
  Frangitur, & medio ponimus arma foro.
Ah quam felici præclaræ mater alumnæ
  Roma fluentina mœnia condis ave!
Hinc manibus nostri procero corpore Chascha
  Foresi moriens sanguine tingit humum,
Chascha unus solitus reginas sistere turmas
  Non tulit Etrusci fortia tela ducis.
Sed nimis heu gracili tam grandia prœlia versu
  Ludo, meos humeros non onus omne decet.
Est furor, est, cymba vasto me credere ponto
  Exigua, fluvios nostra phaselus amet
Sitque satis dominam miseris urgere querelis,
  Mulcere & gracili pectora dura lyrá
Imparibusque modis teneros disponere amores,
  Hæc tibi materies, parve libelle, datur.
Nec tamen exiguum talem dixisse puellam
  Duxeris, hæc laudis gloria magna mea est.
Gloria magna quidem talem dixisse puellam,
  Cui similis quondam nulla puella fuit.
Nam niveos vidi flores, vidique rubentes
  Virgineo mixtos molle decere sinu.
At dominæ faciem si contemplabere nostræ,
  Pulchrius in Xandra est fusus uterque color.
Quale ebur æquabit dentes? quæ rubra labellum
  Purpura? quæ vincent cygnea colla nives?
Fulgeat ut libuit, tersum perfulgeat aurum,
  Non tamen has superet candida Xandra comas.
Ipsa tuis oculis cedet Venus, ipsa Deorum
  Regina incessus optet habere tuos.
Una fluentinis nata es tu gloria nymphis,
  In te congessit quidquid habebat amor.
Sis modo, justa, pero, nostro non sæva furori:
  Hinc laus est formæ tota futura tuæ.

Lau-

Laudamus fateor flavos in virgine crines,
Candidulam frontem, candidulasque genas.
Sed mage laudamus mores in cuncta venustos,
Aut si quam precibus flectere possit amans.
Contra autem fastus qui non odere superbos?
Quamvis pulchra tamen nulla superba placet.
Oderunt superi crudelia pectora divi,
Et trucibus nymphis multa dedere mala.
Heu poteras Phœbo Daphne gaudere marito,
Et conjux talem scandere læta thorum.
Sed dum illum durè refugis, vah stulta puella!
Qui, modo sana fores, ultro rogandus erat.
Candida frondenti tibi sunt circumdata lauro
Pectora, & in ramos brachia versa novos.
Sic hominis veterem penitus mutata figuram,
Flumina nunc arbor facta paterna colis,
Sic Arethusa sui nimium dum sæva querelas
Alphei, & placidas spernit amata preces.
Vel dictu miserum, vitreas mutatur in undas:
I nunc, te Alpheo dura Arethusa nega.
Iphis Anaxaretes nimia feritate repulsus
Ante diem Stygiæ flumina vidit aquæ:
At Venus indignos fastus non passa puellæ,
In lapidem verti candida membra jubet.
Ergo si sapies externis docta periclis
Xandra in me facilis mitia corda geres.
Neve heu sit tanti lacrimas vidisse furentis,
Tristia cum salsus irrigat ora liquor.
Vel tibi vel minimum jubeat nigrescere dentem
Si quis adhuc miserans vindicat ista Deus.

*Ad Musam ut Florentiam, ad Johannem Antonium pergat.*

Curre, sed extemplo Thuscum visura leonem,
Atque fluentinas, candida musa, domos.
Verum ubi sublimem turrim, portamque Senensem
Intraris, recta perge subinde via.

Et Veterem transi Pontem, quem mollibus undis
  Subfluit, & placidis irrigat Arnus aquis.
Ex hinc Sericeas intervectere tabernas,
  Et Mercatorum compita pulchra Fori.
Neve Malum post hæc Callem transire timebis,
  Namque habet hic falsi nomina vana metus.
Neve iter inflectes, quamvis sit propter eundum
  Lustra lupæ: fugit hanc femina nulla viam.
Hinc trivium a Paleis dictum, & Laurentia velox
  Templa petes opibus nobilitata novis.
Non tamen hic vastis moles miranda columnis,
  Inque dies surgens te remoretur opus.
Nec latus in dextrum dum magna palatia magni
  Suspectas Cosmi, pes tibi lentus eat;
Sed breve quod spatium superest decurre, Camœna;
  Sic demum in Gallam musa ferere viam.
Dulcis ubi ædiculas, carique subibis amici,
  In cujus primum fessa quiesce sinu.
Exhinc quammultam memori refer ore salutem,
  Johannemque meum longa valere jube.
At te quid Romæ faciam si forte rogarit,
  Dicito me veterum discere relliquias.
Quas oculis si quis poterit jam cernere siccis,
  Hunc hominis pectus non habuisse putem.

*De Roma fere diruta.*

Et cunctis rebus instant sua fata creatis;
  Et quod, Roma, doces, omnia tempus edit.
Roma doces, olim tectis miranda superbis,
  At nunc sub tanta diruta mole jaces.
Heu quid tam magno præter sua nomina Circo
  Restat, ubi exquilias sola capella colit?
Nec sua Tarpejum servarunt nomina montem,
  Nec Capitolinas Juppiter ipse domos.
Quid Mario, Cæsar, dejecta trophæa reponis,
  Si quod Sylla fuit hoc sibi tempus erit?
Alta quid ad cœlum Tite surrigis amphitheatra
  Ista olim in calcem marmora pulchra ruent.

Nau-

Nauta Palatini Phœbi cantaverat ædes,
  Dic tua, dic, Phœbe, nunc ubi templa manent?
Heu puduit ſtatuas Scopæ ſpectare refractas,
  Hæc caput, illa pedes perdidit, illa manus.
Nec, Praxiteles potuit defendere nomen.
  Quo minus ah putris Herma tegaris humo.
Hanc nec Phydiaca vivos oſtendere vultus
  Arte juvat, doctus Mentor ubique perit.
Quin etiam Auguſto Stygias remeare paludes
  Si licet, & vita rurſus in orbe frui,
Inquirens totam quamvis percurſitet urbem,
  Nulla videre ſui jam monumenta queat.

*Ad Antonium Caniſianum, de primordiis urbis Florentiæ.*

Has omnes lautis opibus quas ſuſpicis ædes,
  Seu ſacra te ſtupidum, ſive prophana tenent.
Nullas Syllanus miles conſpexerat olim,
  Feſuluos cum jam forte teneret agros.
Sed quæ nunc multo ſplendent exculta labore
  Limoſo turpis texerat alga lacu.
Namque retardatus ſpumantis vertice ſaxi
  In ſtagnum pigras verterat Arnus aquas.
Nec pedibus tellus habilis, nec lintribus unda,
  Nec fluvius piſci, nec fuit herba bovi.
Quattuor & nondum ſuſpectans advena pontes
  Tranſibat ſicco flumina recta pede.
Nondum ſublimi in noſtram defluxerat urbem
  Fornice longinquis unda petita locis.
Excelſam ſed nunc ubi tollit Curia Turrim,
  Piſcator nullam fecerat arte caſam.
Et baptiſteri ſacras ubi condimus undas,
  Garrula ranarum voce lacuna fuit.
Nam quis templa Crucis, quis ſaxis ducta ſuperbis
  Viderat Albertûm tot monumenta virûm?
Quis Florentini norat prætoria juris,
  Aut quod te cingit Curia celſa Forum?

Omnia limosa squalebant arva palude,
Quæ nunc erectis molibus astra petunt.
Syllanus primus fugiens asperrima montis
Purgavit nostros arte colonus agros.
Atque Arnum recta contractis undique lymphis
Obice disrupto compulit ire via.
Vicinumque libens primus descendit in æquor,
Ut strueret pulchrum nobilis urbis opus.
Hic Capitolinæ primus non immemor arcis
Romano nobis nomine tecta dedit.
Et fora dispofuit Romano condita ritu,
Romano ritu Curia prima fuit.
Quin & Gradivo longis suffulta columnis
Construxit vario marmore templa Deo.
Et quæ rupta jacent turpi vitiata senecta
Mœnibus adjunxit alta theatra novis.
Alite felici sic prima exordia nostræ
Urbi, & præclaro contulit auspicio.
Ipsaque paulatim sæclo deserta sequenti
Implevit nostras Fesula prisca domos.
Migrantesque viri montis de sede vetusta
Auxerunt opibus mœnia nostra suis.
Quos inter stirpis, generisque novissimus auctor
Affuit, Antoni Canisiane, tui.
Hinc tibi qua maneant patriæ monumenta prioris
Aërea in niveo marmore Luna micat.
Fesuleus Lunam populus gestaverat olim,
Index quæ priscæ nobilitatis erat.
Fesulea Lunam tu qui descendis ab urbe
Insigne antiquæ nobilitatis habes.
Longa referre mora est priscorum stirpis avorum
Si quot erunt nobis enumerare velim.
At tibi, quem simili, Medices, dignemur honore
Nullum quod norim sanguis avitus habet.
Namque inter reliquos tantum domus ista decorum
Egregios cives erigit alta caput;
Quantum Christiphora gaudet quod virgine templum
Molibus exuperat cetera templa suis.

Hinc

Hinc meritisque gravis multa & pietate verendus,
Eloquioque potens Verius exoritur.
Namque hic civiles rabie insurgente tumultus
Pressit, & exortum seditione malum.
Nunquam alias majore fuit plebs concita motu,
Portabatque atras jam fera turba faces.
Tum Medices prævectus equo, quique albus ubique
Signabat maculis candida terga nigris;
Vixque erat aspectus populo, & jam nota furentis
Majestas vulgi presserat ora sui,
Utque fretum hinc Sicula cohibet quod parte Pelorus.
Hinc claudunt Latiæ regia saxa plagæ,
Nunc Scylla illidit scopulis, nunc atra Charybdis
Gurgitibus rapidis ima per antra vorat,
Et vorat & rursus fluctus ejectat in auras
Saxa tegunt spumæ, litora curva fremunt.
At si cæruleos magnarum rector aquarum
Illa Neptunus parte reflexit equos.
Tunc cadit omne maris murmur, rabidosque furentum
Latratus cohibet Scylla maligna canum.
Excipiunt pelagi tunc muta silentia regem,
Ille volat paribus per freta summa rotis.
Sic rabies populi cecidit; taciturnaque cunctis
Jam placuit stupidis ora tenere viris.
Verius at placidis commiscens aspera dictis
Pectora multisonæ plebis acerba domat.
Nam notus pietate sui qui publica semper
Duxit privatis anteferenda bonis.
Insanos multa cum libertate furores
Rettulit in veram Verius ipse viam.
Hæc igitur sumens exempla domestica magnus
Ante omnes Cosmus enumeratur avos.
Dicite vos veterem quisquis laudare senatum
Optarit, patriæ quis bona tanta tulit.
Nemo prior vidit ventura pericula, nemo
Succurrit visis promptius usque malis.
Alter Aristides, alter Cato, publica justo
Munera magnanimus jure gerenda capit.

Dives erat quondam Craſſus, ſed dives avara
Sollicitus vetitas arte parabat opes.
Nec partem poſuitve ſuis inopeſve levavit
Cives, nec ſacris ſtant pia tecta focis.
At diverſa locis ſtruxit quæ Coſmus eodem
Si fundare ſolo ditia templa velis,
Vix Capitolinæ circumdent mœnibus arcis
Tarpejo quondam limina ſacra Jovi.
Adde etiam excelſos urbis decora alta penates,
Quæque tot hoſpitibus tecta benigna patent.
Rebus at in duris illo quid fortius unquam
Cive tulit magnis urbs populoſa viris?
Teſtis erit nobis armis, opibuſque ſuperbus,
Qui ſua Rex Calabris caſtra referſit equis.
Et quicumque gravi Tyrtheni ſceptra Leonis
Auſus erat duro ſubdere Marte jugo
Nam neque magnanimum fregerunt horrida pectus
Bella, nec adverſo prœlia geſta Deo,
Turris ut in ſummi fundata cacumine montis
Immotam ſcopulis ſe tenet alta ſuis,
Et licet hinc Boreas, rapidis hinc flatibus Eurus
Certent, & pluvii flamina nigra Noti,
Sedibus illa ſuis hæret tamen uſque, nec ima
Parte, nec in ſummo vertice pulſa tremit,
Sic ille intrepida quæcumque pericula mente
Excipit, & duris caſibus ante venit.
Hinc igitur felix populus, felixque ſenatus,
Natis & Coſmo ſoſpite, noſter erit.
Ille quidem magnos hoc conſultore tumultus
Reppulit, & mitis otia pacis habet,
Ille etiam Coſmi conductas ære catervas
Inſtruit, & Coſmi militat ære Leo.
Aſpiciteq, o cives, quidquid micat urbe decorum,
Quæ multis annis ædificata nitet.
Hoc decus ille novum populoque urbique paravit,
Ut vetus ingenti creſceret arte decus.
Vos ergo humano geniti de ſemine divi,
Queis nova templa pius Coſmus habere dedit.

Tu Virgo ante alios, tibi jam si rite columnis
Suspendit Medices marmora pulchra Petrus.
Hunc nobis servate senem, date candida Cosmo
Vellera longævis continuare colis.
Ut natos, serum dum jam sub tempus habenas
Tractant, longævus cernat utrosque senes.

*Eulogium in fratrem suum.*

Ergo heu mi misero sine te; nec fata pudebit?
Perpetuus, frater, pectora luctus edet?
Te sine nunc vitæ, frater, pars maxima nostræ,
Cogar in æterna vivere mœstitia?
Nam mihi te teneris durus Mars surripit annis,
Quinta nec ah licuit lustra videre tibi.
Ille etenim octava Saturno a sede malignè
Oppositus vitæ contudit astra tuæ.
Unde & crudeles nimium te sævus in hostes
Impulit irato sidere ferre pedem.
Attamen hunc Stygiæ submersum unda paludis
Bellica qui primus duxit in arma viros.
Qui pacem subito potuit turbare tumultu
Dum movet horrenti martia castra tuba.
Hic adamanta tulit ferrato in pectore durum,
Durius aut si quid esse adamante potest.
Hic miseram nato privavit sæpe parentem,
Et caruit Sponso pacta puella viro.
Hic te subripuit, teque hic mihi, frater, ademit,
Et vita, atque oculis frater amabilior.
Tam dilecte mihi quantum nec Castora Pollux,
Unica nec quantum pignora mater amat.
Sed tamen hæc durum mulcent solatia casum,
Et faciunt tantis me superesse malis,
Quod nihil indignum tam diræ mortis imago
Impulit audaci subiisse viro.
Nec Lusitani vidit te turma tyranni,
Nec Calabrum cunei terga dedisse fugæ.

Sed

Sed pedes adversos equitis jaculatus in armos
  Prendisti occurrens frena fugacis equi.
Nam vires aderant, volucrisque celerrima plantæ
  Quæ posset fluvios exuperare fuga;
Sed frustra heu miseri si nobis fata repugnent.
  Nitimur impositas exsuperare colos.
Jam Lusitanum victus porrexerat ensem
  Hostis, & innexus brachia capta dabat.
Ecce ferox Arago turmam prævectus, & acri
  Auxilio comiti tela inimica quatit,
Et tibi, me miserum, frater, dum vincula nectis
  Captivo & reditus ad tua signa paras,
Improvisus adest, & dextras vulnere costas
  Transigit, & medium pervolat hasta jecur.
Accurrit tum densa cohors, cunctique manipli,
  Et clypeo flentes saucia membra locant.
Ille ubi se certa vidit jam morte teneri;
  Talia magnanimo pectore verba refert.
Sensimus hoc dudum, cum durum in viscera ferrum
  Irruit, extremum lucis adesse diem.
Verum communis veni cum Martis ad arma,
  Noram quas soleat sors variare vices.
Ut duræ immineant quam sæva pericula pugnæ,
  Ut circa fatum militis arma volet.
Nec mihi tum certam statui sperare salutem,
  Aut quod commune est posse carere malo.
Sive igitur quodcumque meæ de stamine vitæ
  Restitit, ante diem sors inimica tulit,
Seu potius certum nec devitabile fatum
  Hoc tantum dederat quod superare nefas,
Intrepidus forti quamvis horrenda subibo
  Quæ natura parens ultima dona dedit.
Nam qui militiæ pulchro rapiatur amore
  Exuat hic omni pectora mollitie.
Vulgus enim, & vilem demulcent prospera plebem
  Quæ sua denervat corda cupidinibus.
Terrores vero mortis, trepidosque tumultus
  Est animi proprium vincere fortis opus.

Non

Non ergo invitus cogar, sequor ecce volensque,
Jamque ego nunc Lethes pocula nigra bibam.
Sed tamen heu cari miserum genitoris imago
Sauciat, atque domus maxima cura soror.
Politianeas nam me dum tristis in arces
Alitis adversæ mitteret ominibus,
Egressum laribus me ad portas usque secutus
Illacrimans fracta talia voce dabat.
Novi ego, quæ sedeat juvenili in corde cupido
Laudis, & egregiæ gloria militiæ.
Quis furor in bello, quam nescia cedere virtus
Viribus inferior maxima sæpe ciens;
Nunc te per nostros annos, lacrimasque seniles,
Quæ nunc ex oculis fluminis instar eunt.
Si pia solicitati flectit te cura parentis,
Atque suum pondus verba precantis habent.
Parce precor, miseroque patri qui dura senectæ
Incolumi nato tædia ferre potest.
Si quis te adversus casus (sed triste recusat
Omen inhorrescens lingua referre metu)
Hoc prius omnipotens cœli qui templa frequentas
Ad Styga terribili fulmine mitte caput.
Ad Styga mitte caput prius hoc, quam dura superstes
Ante diem nati funera conspiciam.
Hæc tunc ille gemens, verum interrupta frequenti
Singultu salsæ flumina fudit aquæ.
Hæc mihi nunc animum: sed mors jam degravat artus.
Deficit in medio frigida lingua sono.
Sic ille, ac stridens crassum vomit ore cruorem
Vulnus, & è gelido sanguine vita fugit.
Proh dolor, at magno quis possit verba dolore,
Musa licet faveat, digna referre satis?
Ille per obscuras fauces graveolentis averni
Ingreditur nigrum non rediturus iter.
Lurida rimosa jam tranat fluminis cymba,
Cernit Echidnei guttura lata canis.
At soror interea [quanta ah caligine rerum
Obruimur!] totis noctibus urget opus.

Utque reverſuro, tenui velamina lino
  Conſulit heu votis fiſa puella piis.
Nocturnum & vario cantu ſolata laborem
  Ad breve qui periit tempus adeſſe putat.
At nobis fuſco velatus ſomnus amictu,
  Heu nimium veris venit imaginibus.
Nam quam porta nigri Plutonis cornea miſit,
  Nota mihi ante oculos affuit umbra tui.
Hæc properans noſtræ frater perſolvimus inquit;
  Transfuga nec venio, munera militiæ.
Nunc reditum (in ſedes mater me arceſſit avitas)
  Lætus & ad patriæ limina priſca paro.
Jamque vale dixit ſimul, & veſtigia torquens
  Elapſa eſt viſus umbra benigna meos.
O me infelicem, nox o mihi prima malorum
  Nuntia, quid potuit durius eſſe mihi?
Excitor infelix, & jam præſaga futuri
  Mens mihi ſollicito pectore concutitur.
At mox fama ruens ſomnique obſcura recludit
  Atque prius dubium narrat aperta malum.
Ex illo binos ſenſi mea lumina fontes,
  Qui mihi perpetuis imbribus ora lavant.
Ex illo curæ mœrentis cordis edaces
  Noctes, atque dies pectora noſtra premunt.
Nec poſſunt docti a luctu ſeducere amici,
  Multa licet vera de ratione ferant.
Nec me longa dies lacrimas quæ ſiccat aniles
  Quæque oblita mali mollia corda levat,
Sed nec Pierides quæ manes conjugis Orpheus
  Demulſit, poſſunt me revocare ſono.
At tu caſta parens felix, quam prævia tanto
  Mœrori eripuit de tribus una, ſoror.
Nam quos heu luctus, gemitus quos dulcis acerbi
  Viventi natus funere concuteret,
Tu tua ſenſiſſes ah! quanto victa dolore
  Viſcera barbarica dilaniata manu.
Cumque tuo æternis lacrimis damnata marito,
  Ærumnas præter quid tibi vita daret?

En-

*Eulogium in Carolum Aretinum.*

Ergo immaturo nec te tua sancta juvabit
  Carle fides? nobis funere raptus abis
Sed vos dum vestri celebramus funera vatis
  Dicite Pierides carmina pauca mihi.
Dicite, sed tanto sintque dicenda poëtæ:
  Efficite ut nostro crescat in ore sonus.
Occidit heu Latiæ lumen, splendorque camœnæ
  Carolus Etrusci gloria magna soli.
Carolus Aonio qui vos de monte vocabat,
  Viseret Etrusca vester ut antra chorus.
Ergo ut defunctum luxit Verona Catullum,
  Utque tuum flevit Umbria nauta rogum.
Lesbos ut Alcæo simul & tibi mascula Sappho
  Legitimas merito contulit inferias.
Sic pia nunc doctum luget Florentia vatem,
  Et quærit tumulo præmia digna suo.
At vos crudeles o ferrea pectora Parcæ
  Ante diem quid vos hunc rapuisse juvat?
Non ego mortali immortalem sorte creatum
  Optabam, aut cervi sæcula longa seni.
Sed veteris ternos Saturni evincere cursus
  Humana potuit conditione dari.
Hoc fas, hoc fuerat jus, sed nunc publica cura
  Heu jacet in gelido corpus inane toro.
Purpureaque toga clarus, Phœbique corona,
  Jam subit obscurum non rediturus iter.
Lucida præcedunt longa funalia pompa,
  Et signa a multis tradita principibus.
Namque sua Antistes tibi dat vexilla latinus:
  Ex illo hoc magni pignus amoris habes.
Aureaque hinc Galli succedunt lilia Regis,
  Illinc Bebriaci signa superba ducis.
Quarta Fluentini sequitur crux rubra leonis,
  Nam sunt hæc populi munera magna tui.
Nam quid ego Arreti quod te patriæque parentem
  Quodque decus dicit, ultima dona loquar.

Ipsa tuum subeunt gymnasia nostra feretrum.
  Doctaque turba pio fungitur officio.
Quattuor adsunt ecce quaterna è classe tribuni,
  Quique decem curant bella gerenda viri.
Adsunt custodes magnæ bis quattuor Urbis
  Quosque Magistratus longa referre mora est.
At vos inprimis Guelfæ quibus inclita sectæ
  Est aquila in viridi facta dracone potens,
Nec non Syllani populariter inde Quirites,
  Certatim celebrant triste ministerium.
Omnia supremo possunt quæ tempore reddi,
  Reddita sunt tumulo, docte Poëta, tuo.
Nec tamen heu quisquam meritos impendere honores
  Sat putat, huic vati quid satis esse potest?
Quis tenuit lacrimas? quis non crudelia dixit
  Astra? quid in tota non fuit urbe dolens?
Sed quod præcipuum est magni suspiria Cosmi
  Et lacrimas tanto vidimus ire viro.
Quin & vicinos dicunt gemuisse leones.
  Et triviis fidos exululasse canes.
Ipsæ per montes sacrataque flumina nymphæ
  Solverunt mœstas in sua colla comas.
Sed tamen ante alias pulcherrima sola sororum
  Ploravit natum Calliopea suum.
Hanc aderant circum Phœbus, doctæque sorores
  Frigida Parnassi quæ juga summa tenent.
Nec liquido ut quondam mulcebant aëra cantu,
  Nec cythara in manibus, nec coma culta fuit.
Squalebant atris in vestibus ipsaque laurus
  Castalii, frondes vidit abire suas.
Quin & gorgonei quas eruit ungula monstri
  Bellorophonteæ delituistis aquæ.
Heu tunc fata pii damnans immitia nati
  Edidit hos questus Calliopea novos.
Quod scelus admisit, vel quo vos crimine Parcæ
  Læserat? an tristis vos quoque livor habet?
Huic ego cum primæ polleret flore juventæ
  Versibus in lyricis aurea plectra dedi.

His

His juvenum curas & nobile pectus amantum
Lusit, & aligeri regna superba Dei
His etiam laudes, rectæ & virtutis amorem
Quem sequitur vera nobilitate decus.
At matura gravem multis ubi fecerat ætas
Artibus, & poterat carmen hiare novum.
Me duce Cyrrhæi vatis deductus in antrum,
Sylva quod horrenti laurea fronde tegit.
Hic tantum a Phœbo suscepit mente furoris
Mæonius quantum cœperat ante senex.
Sic igitur majora sonans jam pectore pleno
Ausus sublimis spiritus alta loqui.
Ausus quod vatum pauci de stirpe priorum
Ausus quod veteres vix potuere patres.
Ut quod Smyrneo cognoscunt carmine Grai
Hoc legerent Italo sæcula nostra pede.
Spes hominum fallax, medio quæ perfida cursu
Sæpe cadens miseris irrita vota facit.
Nam quod jam multos frustra vigilaverit annos
Cum minus heu credes auferet una dies.
I nunc, Cecropiis vigilanti pectore chartis
Insuda ut veterum dogmata prisca legas.
Et nunc Socratici noscas præcepta Platonis
Nunc quod Aristotelis pagina multa docet.
Tu mundi secreta paras atque abdita rerum
Discere, quid cœlum quid mare terra ferat.
Unde genus nostrum vel quo plantaria surgant
Sydere, num cuncta hæc ignis & humor alat.
Unde nives volitent cumque humida grando rigescat,
Qua vi de summo fulmina torta ruant.
Quid natura petat, rectæ quæ munera vitæ,
Et quæ sint animi vera putanda bona.
Scilicet hoc memori divino pectore Carlus
Noctes atque dies advigilabat opus.
Artibus ut post hæc vates suffultus honestis
Mæoniâ posset digna referre tuba.
Jam Danaum morbos, Phœbique furentia tela
Dixerat, & densis funera nigra rogis.

Pelidæque animos, & verba minantis Atridæ,
Quique bonus fuerat. Nestora consiliis,
Sacraque navigiis ad Chrysam vecta Pelasgis,
Redditaque irato pignora cara patri.
Tunc etenim culti torrentem sensimus oris
Qui foret, & quantum surgeret ingenium.
Quantum divini spirarent corda furoris,
Cresceret & quanto lingua canora sono.
Heu jam felici Carlus turgentia vento
Ausus erat vasto credere vela mari.
Jam procul a terra, scopulisque, vadisque relictis
Currebat celeri per freta longa rate.
Ecce autem, infandum! subito nil tale timenti
Mutavit faciem sors inimica suam.
Nam subito fluctu vastaque impulsa procella
Mersa est in mediis naufraga puppis aquis.
Quæ si speratum tetigisset sospita portum
Et pleno intrasset ostia tuta sinu.
Nullo Arnus tantum sese jactasset alumno
Egregios quamvis viderit ante senes.
Talia mœsta parens flebat, sed plura parentem
Non tulit infandus addere verba dolor.
Pluraque dicturæ rumpunt suspiria pectus
Et flendo mediis deficit in lacrimis.
Te Florentini gymnasia docta leonis
Natorum ut luget turba relicta patrem.
Te rebus dubiis nunc publica cura Senatus
Advigilans tanto cive carere dolet.
Intima tu magni noras præcordia Cosmi,
Et quæcumque sacro pectore clausa tenet.
Nec comitem rebus dubiis te respuit unquam,
Consuleret populo cum bonus ille suo.
Tu felix tanti posses qui principis aures
Implere & tanto grata referre viro.
Namque tibi ingenium, veloxque, tenaxque reperti,
Plurima quod posset condere mente, fuit
Adde tot egregias artes, vitæque magistrum
Adde usum, & longa multa notata die:

Le-

Legerat historias omnes, totque eruta prisco
 Noverat annali maxima facta virum.
Nemo quidem melius Romani ænigmata juris
 Solvit, & ambiguis vincula cæca reis.
Nam quid ego æterno labentia sidera cursu,
 Aut referam certis cognita signa locis?
Te maris undisoni, te, quæ gerit omnia, terræ
 Mensorem certa novimus esse fide
Hinc te purpureis sublimem ad sidera pennis
 Docta per ora virum Carole fama levat.
Nec ventura tuas reticebunt sæcula laudes
 Neve teget nomen qui tegit ossa lapis.
Dumque fluentini vestigia magna leonis
 Molibus ostendet curia celsa suis,
Dumque domos Medicum magnique palatia Cosmi
 Suspiciet stupidis advena luminibus,
Usque tui de te dictabunt maxima cives,
 Livida nec poterit lingua nocere tibi.
Elysios igitur lucos, umbrasque beatas,
 Nam sic fata jubent, docte poëta petes.
Illic quos genitor produxit in omnia Nilus,
 Quique artes primum perdocuere bonas.
Quos genuit Persis, quos & Babylonia tellus,
 Doctorum occurrent maxima turba tibi.
Illic Cecropiæ quot jam vidistis Athenæ,
 Et quisquis Latii claruit urbe Remi,
Sed tu Tyrrhenæ gentis contentus honore
 Etruscis cupies semper adesse tuis.
Sunt in secessu liquidi prope fluminis undam
 Quæ rident herbis prata decora novis.
Quot natura tulit, tot habent hæc prata colores,
 Pictaque diverso flore relucet humus.
Non illic Phrygiis suspensa theatra columnis,
 Nec sunt artifici plurima facta manu.
Sponte sua variis consurgit mixta rosetis
 Buxus nativis sedibus unus honor.
Desuper & platani castæ daphnæaque laurus
 Extendunt sacrum fronde virente nemus.

Flumen habet cygnos, at cetera turba volantum
  Permulcent liquidis ruris amœna modis.
Non illic rapidos accendit Sirius æstus,
  Non riget Arcturi sidere tristis hiems.
Sed levibus Zephyris & lenis flatibus auræ
  Æterno ridens tempore vernat ager.
Hic Fesulæ placuit sedem componere genti;
  Huc veniens priscos dinumerabis avos.
Nam qui pulchra tuos cecinit Proserpina raptus
  Prima tenet vates primus in urbe sua.
Cui nec concedit qui terras, sidera, manes,
  Quod stupeant omnes evigilavit opus.
Hunc juxta Gallam Tyrrheno carmine Lauram
  Qui canit & Latio Punica bella pede.
Hic & Bocchacci spectabis nobile nomen,
  Qui pinxit varium doctus amoris opus.
Nec Leonardus abest tibi qui Florentia tantum
  Quantum Romanis Livius ipse dedit.
Enumerare mora est variis quos artibus olim
  Edidit illustres lenibus Arnus aquis.
Hic te certa manet sedes, vitæque laborum
  Hic bene transactæ præmia Carle feres
At nos æterni sint quæ monumenta decoris
  Addemus tumulo carmina nostra tuo.
Urbs tulit Arreti Carolum, Florentia lauro
  Cinxit, at ingenium Calliopea dedit.
Luserat hic lyricos, mox dum convertit Homerum,
  Occidit heu patriæ gloria magna suæ.

*Epitaphium Dantis clarissimi Poëtæ Florentini.*

Nostras qui terras, clari qui sidera mundi
  Dixit & infernos tertia regna lacus;
Ille ego sum Dantes, Tusco me carmine vatem
  Ornavit lauro pulcher Apollo sua.



*Aliud*

*Aliud Epitaphium ejusdem Dantis.*

Mantua Virgilium, Smyrnæ miratur Homerum:
Quippe decus Latiis hic venit, ille suis
Nunc paribus celebret mater Florentia Dantem,
Laudibus; Etruscæ nam decus omne lyræ est.

*Epitaphium Francisci Petrarchæ Poëtæ Florentini.*

Quantum Pindarico vix debet Græcia plectro,
Et quantum Latia vix tibi, Flacce, lyra;
Tantum Etrusca pio concessit musa Petrarchæ,
Quo celebri fama Laura pudica viret.

*Aliud Epitaphium ejusdem Petrarchæ.*

Cantasti patrio Tyrrhena poëmata versu:
Cantasti Latio Punica bella pede.
Hinc te fronde sua Phœbus, Petrarcha, coronat,
Hinc vates Fesula doctus in urbe vires.

*De Farinata Uberto.*

Guelpha meo fateor superavimus agmina ductu,
Sanguine cum rubris Arbia fluxit aquis.
Sed tamen ut priscas teneas, Florentia, sedes,
Sola Farinatæ mens tibi magna dedit.

*Ad Petrum Medicem magni Cosmi filium de laudibus Cl. Viri Poggii, Poëtæ Florentini laureati.*

Jam gelidum nigris subvecta per aëra bigis
Nox maris occiduas prona subibat aquas,
Cum matutina Tethis statione relicta
Oceanum rutilo lucifer exit equo.

Hic mihi Castalii nemoris regina nitentes
  Venit Apollinea fronde revincta comas.
Nulla tamen docto resonabant pollice fila,
  Nec fuit in laeva barbitos ulla manu.
Sed tamen ut mœsto tristis dedit ore querelas,
  Cognita mî vero est Calliopea sono.
Hæc ita? proh vestri scelus atque infamia secli!
  Proh dolor heu musis hiccine venit honos?
Hiccine venit honos musis? quis semper Etrusca
  Supremus fuerat hactenus urbe locus.
Te propter Grajos olim, Florentia, fontes
  Et nemus, & Clarii liquimus antra Dei.
Nec piguit Fæsulos montes, nec claustra Mugelli,
  Neve Casentini visere sæpe juga.
Quin & aquas placidi nobis sacravimus Arni,
  Seque suo castus lavit in amne Chorus.
Ut vobis celebres vates, celebresque venirent
  Rhetores, & quidquid floret in historia.
Hinc Dantes terras, & clari sidera cœli
  Dixit & infernos tertia regna lacus.
Hinc tu divino Petrarcha incensus amore
  Cantasti Lauræ candida colla tuæ.
Cantasti patrio Tyrrhena poëmata versu,
  Cantasti Latio Punica bella pede.
Nam quid Bocchacci lusus, quid docta Colucci
  Dicta Salutati nunc numerare juvat?
At nuper Tuscæ dedimus duo lumina genti
  Quales rara solent sæcula ferre viros.
Gesta Fluentinûm descripserat alter & annos,
  Quæque notanda domi, quæque notanda foris.
Alter Cecropiis imbutus pectora chartis
  Viribus ingenii subdidit artis opus.
Nemo magis dubiis poterat cognoscere rebus
  Utile, nec docto promptius ore loqui.
Ille etiam nostri nemoris pius incola fonte
  Cum biberet tota proluit ora sacro.
Hic cecinit lyricos; mox dum convertit Homerum
  Occidit heu patriæ gloria magna suæ.

His ego Daphnæa populo plaudente corona
Ornavi propria tempora docta manu.
Nam duce me quondam magni secreta Palati
Mandarat tantis Curia vestra viris.
Sic olim vestram semper celebravimus Urbem,
Dum meruit magnus præmia digna labor.
Nunc ne defunctis dignus succeffor abesset,
Instructum egregia misimus arte virum.
Hunc nos irriguis Parnassi eduximus arvis,
Bellorophontei qua fluit unda feri,
Et dedimus gravibus dictis, placidoque lepore
Edere grandiloquo verba soluta sono.
Ergo quis docti divina volumina Poggi
Nesciat & libris cuncta referta suis?
Ah quam præcipiti stultos conturbat avaros
Fulmine! quam vetas imprimit ille notas!
Quamquam asper retegit qui summa in pelle decori
Dum lateant, alacres in scelus omne ruunt.
Hic nihil esse docet miseris mortalibus usquam
Humana majus conditione malum.
Atque docet varios fluxus variosque refluxus
Fortunæ & jussu cuncta movenda suo:
Quamque sit infelix cujusvis principis aula,
Ipsa licet veri nescia turba neget.
Et recte addubitat senibus ducenda sit uxor.
Cum multum teneat utraque causa mali.
At te, nobilitas, generoso pectore veris
Laudibus a vulgo jam procul ipse canit.
Nec te præteriit rerum fortissime Cæsar,
Nec te cui nomen Africa victa dedit.
Sed longum est monimenta viri si cuncta revolvam,
Nec præsentis opus temporis esse reor.
Multa puer, juvenis, descripsit plura, senexque
Plurima, nec salibus nec gravitate caretis.
Quam variis redimita novi sub sidere tauri
Floribus in verno tempore ridet humus,
Tam varia in doctis resplendent lumina chartis,
Tam varius signat splendida verba color.

Ut qui purpurea distinguit veste lapillos,
  Quo referat multum discolor aura decus,
Quin etiam ut veterum erueret monumenta virorum,
  Nec sineret turpem tot bona ferre situm,
Ausus barbaricos populos penitusque reposta
  Poscere Lingonicis oppida celsa jugis.
Illius ergo manu nobis doctissime Rhetor
  Integer in Latium, Quintiliane redis.
Illius atque manu divina poëmata Sili
  Italicis redeunt usque legenda viris,
Et ne nos lateat variorum cultus agrorum,
  Ipse Columellæ grande reportat opus.
Et te Lucreti longo post tempore tandem
  Civibus & patriæ reddit habere tuæ,
Tartareis potuit fratrem revocare tenebris
  Alterna Pollux dum statione movet.
Conjugis at rursus nigras subitura lacunas
  Eurydice sequitur fila canora sui,
Poggius at salvos nigra e caligine tantos
  Ducit ubi æternum lux sit aperta viros.
Rhetora, philosophum vatem, doctumque colonum
  Merserat in nigra barbara nocte manus.
Poggius hos vita potuit donare secunda,
  Dum mira turpi liberat arte situ.
Nec satis est ex se quod scripsit, quodque vetusta
  Eruit e tenebris multa labore suo.
Verum etiam grajos nostro sermone libellos
  Vertit in antiqua nobilis historia.
Et nunc, o mores, o tempora! debitus illi,
  Ferre quis hoc poterit? eripietur honos.
Ah tantum vobis licuit, civilia jura,
  Pieridum casta pellere sede chorum!
Formula quæ vobis, quæ competit actio summum,
  Per scelus audaces inseruisse manus?
Non ego Tyrrhena posco vos pellier urbe,
  Nec sua causidicis præmia digna nego.
Auro cingantur nitido, semperque superbos
  Ingenti titulos ambitione gerant.

 Et

Et pretio ingenti sanctarum ænigmata legum
  Arbitrio veniant discutienda suo.
Denique, si fas est, inter mortalia regnent,
  Illorumque brevis cuncta libellus agat.
A nobis tantum, si qua est reverentia, divos
  Quæ colat, a nobis jam cohibete manus.
Nam quæ vobiscum nobis commercia, quave
  Consimilis vitæ mos ratione fuit.
Nos neque clamores sequimur, nec præmia voci
  Poscimus & casta nil nisi serta juvant.
Vos inter strepitus fas est turbamque sonantem
  Spargere clamoso jurgia multa foro.
Insanasque sequi lites, rabidoque tumultu
  Venali tristes voce citare reos.
Sed quid ego hæc frustra? Cum jam civilia jura
  Per fraudem posito jus sibi jure parent.
Et poterit Medices veteres oblitus amores,
  Oblitusque mei talia facta pati?
Non poterit; neque enim Latiis est alter in oris
  Reddere pro meritis qui magis æqua velit.
Quin & Musarum sacro perculsus amore,
  Et noctes studiis invigilatque dies.
Rhetoras hinc omnes novit, sanctosque poëtas,
  Et veterum callet dogmata prisca patrum.
Hinc etiam doctus doctis indulget amice,
  Atque inopes opibus consilioque fovet.
Nec Mecœnatis fuerat clementia major,
  Communis vatum cui dedit astra favor.
Ergo hujus gremio nostrum nomenque decusque
  Ponimus: hic nobis rite Patronus erit.
Hic etenim fessas e tempestate Camœnas
  In tutos referet restituetque sinus.
Hoc duce nostra pio sedes reddetur alumno,
  Et stabunt doctis præmia digna viris;
Nec tamen immemores dicet nos muneris ille,
  Nec veniet merito gratia parva suo.
Nam surget quandoque meo de fonte poëta
  Qui magnum Petri nomen in astra ferat.

Qui referat magnumque Petrum Cosmumque parentem
 Egregium patriæ lumen utrumque suæ.
Ille modo niveis reddat sua flumina cygnis,
 Impleat ut liquida voce canorus aquas.
Flumina reddantur cygnis, quæ limpida quondam
 Bellerophonteos sint aditura lacus.
Quis nisi præduros adamantas pectore gestet,
 Solerti nidos reddere nolit api?
Reddite jam dulces apibus jam reddite nidos:
 Hinc vobis posthac plurima mella fluent.
Hæc & plura mihi: sed quis meminisse Deorum
 Cuncta queat? mœstò Musa locuta sono est.
Mox sua dum celeri vertit vestigia passu,
 Cuncta, ait, hæc Medici dixeris, atque vale.
Cuncta, ait atque abiens ne quid sibi triste videret,
 Conspectum fugit Curia Tusca tuum.

*Eulogium in Nerium Caponium Gini filium, ad Johannem Canisianum.*

Non ergo immerito tam clari in funere civis
 Sollicitas pectus, Canisiane, tuum.
Cernis enim magno testatus sæpe dolore
 Suscepit quantum publica causa mali.
Nam quid tam miserum jamdudum, tamque dolendum
 Lydius Etrusca vidit in urbe leo?
Nam qui pace bonus fuerat, qui magnus in armis,
 Occidit omne togæ militiæque decus.
Ah quanta in dubiis velox prudentia rebus
 Pectoris impendens vaticinantis erat
Quamque graves casus, quam multa pericula quondam
 Effugit monitis curia nostra suis!
Auctor enim pacis semper fuit, hæc sua virtus,
 Hoc fuit excelsæ nobile mentis opus
At si quem excierat nobis ut bella moveret
 Improba regnandi sæva cupido ducem,
 patre magnanimo Nerius, dum fortia contra
 Arma movet, nusquam degener ipse fuit.

Gal-

Gallia sit testis Gallique horrenda Philippi
  Agmina, & undosi flumina magna Padi.
Testis & Anglari vallis, cum Bracchia turpi
  Piccinine tibi signa relicta fuga.
Testis & Aragonum ductor, Calabræque cohortes
  Et Lusitanis castra referta viris
Hic Fesulos subito sperabat Marte Quirites
  Turpiter insolito subdere colla jugo.
At vigilat Nerius, turmasque opponit amicas,
  Ne manus excultos barbara vastet agros.
Ergo qui nuper nulli cessurus in armis
  Japygiis fuerat usque tremendus equis,
Paulatim vires Fabia delusus ab arte,
  Quæ magnæ fuerant perdidit ille suas.
Hunc Roma inspexit contritis turpiter armis
  Milite vix inopi signa referre domum.
Et dubitem Nerium patriæ us populoque salutem
  Cunctando lenta restituisse mora?
Sed quis in Hesperia locus est, ubi magna Caponum
  Hoc duce non fuerit cognita fama domus?
Sed quis in Hesperia dux est, qui plurima bello
  Consilium Nerii non valuisse neget?
Nec te Sforziade præsens mihi Cæsar in armis
  Hunc comitem bellis sæpe habuisse pudet.
Hujus enim noras divini pectoris artes,
  Et rerum certos in genus omne modos.
Ast heu nunc ipsum, quem fortis Etruria multis
  Deploret lacrimis, abstulit atra dies.
Non ergo immerito tam clari in funere civis
  Sollicitas pectus, Canisiane, tuum.
Nec te magnanimi casus nunc urget amici,
  Actum nec secum durius esse putas.
Nam civis quæcumque potest optare modestus
  Omnipotens illi fors cumulata dedit;
Florenti in patria natus, quæ libera justo
  Tyrrhenas urbes temperat imperio,
Et patriæ magnus dum tractat Cosmus habenas,
  Proxima post Cosmum dignus habere loca:

Adde

Adde genus clarum simul & numerosa nepotum
Nomina & agnatis stemmata plena suis.
Adde & Parrhasiæ Pisano in litore gentis
Inclita victa patris mœnia Marte sui.
Adde animi vires, fortunæ commoda, vitæ
Quæ validus duxit tempora longa senex.
Sed te communis populi jactura, tuæque
Urbis amor magnus, Canisiane, movet.
Tempore nam duro tali privatur alumno
Publica res, qualem sæcula rara ferunt.

---

# ALEXII LAPACCINI

## FLORENTINI.



*Ad Carolum Aldobrandum.*

DUm nos paterni funeris uberes,
Novasque semper, Carole, lacrimas
Siccare nequidquam studemus
Illecebris genialis agri,
Tu Gellianis Noctibus interim
Jam vindicatis a carie & situ,
Caliginosæ oblivioni
Eripis, haud sine laude, nomen.
Hæc te laborum tot vigilum manet
Condigna merces, hæc tibi præmia
Debentur: evades labantis
Perniciem moriturus ævi.
Quamvis nec, o, te, Laure, superstite,
Sit defuturus nunc honor artibus
Sacrisque sortitis patronum
Vatibus, & meliora sæcla,
Agnovit in te nomen, & os avi

Urbs

Urbs nostra, tanti vindicis immemor
Futura nunquam agnoscet olim
Tempora per te eadem beata.
At nos & agro non inamabili,
Atque his serenis, Carole, noctibus
Solabimur longas paterni
Interea tumuli querelas.

*De Comœdia Jacobi Nardii, cui titulus amicitia.*

Legerat hunc Samius qua nescio sorte libellum
Pythagoras veteris grande decus Sophiæ.
Miratusque sales, vitæ & documenta severæ,
Et lepida urbanis scommata carminibus,
Plautinas, inquit, Veneres agnosco jocosque;
Et Latium Thusco vatis in ore decus:
Scilicet haud quaquam nostra est sententia mendax;
Quis namque huic Plauti spiritum inesse neget?

# ANGELI LAPI

## FAVENTINI.

*Ad Magnificum Cosmum Medicem.*

Cosme, vir Etruscos inter clarissime, & ingens
Florentinæ urbis gloria, spesque, salus.
Audio, te multum sacros adamare poëtas:
Si facis id, famæ consulis ipse tuæ.
Quando hominum nequeunt evadere corpora mortem,
Quodque oritur pereat denique oportet idem.
Curandum est illis vivant post funera famæ,
Pulchra relinquantur ut monumenta sui.
Hæc simul atque ævi cursu labente peribit,
Scriptorum si non sustineatur ope.

Et quid ei melius possit succurrere censes,
  Quam vatis cultum carmen Apollinei?
Carminibus reges celebrantur, & inclita regum
  Gesta, & victrici parta trophæa manu.
Carmine lustrantur mores, virtusque virorum,
  Mortales faciunt carmina nempe Deos.
In pretio quondam, magnoque in honore fuerunt,
  Fonte Museo qui pepulere sitim.
Tunc sacer incubuit Musarum, ac nobilis ardor
  Fortius & Phœbi tunc mage culta lyra est.
Hoc etiam invenias (dentur modo premia) vates
  Tempore & hæc ætas non caret ingeniis.
Verum Pierio desunt qui digna labori
  (Hei mihi) fautores emolumenta ferant.
Nuper enim excudi versus, parvumque poëma
  Non absque immenso, Cosme, labore tamen.
Quod cum Florentis patriæ, divique Johannis
  Contineat laudes Astoreumque decus,
Dignius haud vidi dono cui tradere possem
  Quam tibi, nec cui tum gratius esset opus.
Ergo hæc mente hilari, & placido munuscula vultu
  Accipe, quæ nostri pignus amoris habe.
At non purpureas vestes, Indique lapillos
  Æquoris, aut Phidiæ marmora sculpta manu.
Quarum nulla mihi, & magna est tibi copia rerum,
  Nec te aliter tota ditior Italia.
Castalias præbemus opes, quas nescit avarum
  Vulgus, & in quæstu sedula turba suo.
Cosme vale, sacrosque animo complectere vates,
  Auxilio sacris vatibus usque fave.
Quippe tuas illi poterunt intexere laudes
  Versibus, & nomen tollere ad astra tuum.

Cosme, tui mores præstantes, claraque virtus,
Nobilitas, honor, & probitas, clementia, varius
Sacrorum pia cura movet, me scribere carmen
Præsens, & sacro divas deducere colle

Pieridas, pulchro quæ laudes dicere cantu
Usque tuas certent, quas omnis concinat ætas,
Tollent. Cosme, tuum vates ad sidera nomen
Clara per Ausonias urbes, populosque Latinos
Fama tulit nomen Cosmum. Quod protinus ipsum
Efficit, ut vates nullus mereatur haberi
Qui non digna canat cedro; nunc carmina Cosmo
Si non clara tibi cantabunt carmina vates,
Scribere quod possint nil prorsus habebitur illis.
Tollent, Cosme, tuum vates ad sidera nomen;
Non orator erit, qui Cosmica tangere gesta
Non studeat, dignus tali si nomine curet
Esse; sed historiæ finis nunc hic erit omni,
Ni scriptis tua gesta velint mandare superba
Non humili socco tractandaque, non pede Sapphus
Digna, sed altisono jam decantanda cothurno.
Tollent, Cosme, tuum vates ad sidera nomen.
Cosme dedere Dei præstantia prædia, summas
Divitias, gazam, quæ sit miranda poetis,
Non miranda piis, quibus ad clarissima gesta
Utitur in largis impensis, mente benigna,
Relligione Deum, votis patriæ, inque suorum
Rebus amicorum, quorum stat copia magna,
Tollent, Cosme, tuum vates ad sidera nomen;
Cosmo rura Dii statuere ingentia, quorum
Nullus erit numerus, simul alta palatia magno
Sumptu facta, virum magnoque edita [illegible]
Adde simul prolem claram, simul atria semper
Plena cliente novo ac veteri; perque atria multum
Servorum numerum, qui lata palatia complent.
Tollent, Cosme, tuum vates ad sidera nomen.
Cosmus erit pollens fama, clarusque tropheis.
Græce sis Cosmos, Cosmus Latieque decenter
Sic poteris dici, tanto res publica cive
Claret, fama cui toto diffunditur orbe,
Tuscia tota tua fulget virtute tuisque
Moribus. Italiam decoras tu nomine tanto.
Tollent, Cosme, tuum, vates ad sidera nomen.

JOAN-



# JOANNIS LEONIS

## MUTINENSIS.



*Io, in vaccam mutata.*

IN somnis sibi visa parens mea fundere partu
Brutum, hominem; atq; Deam, somnia vana rata est.
Me prit, immutor, renovor, color; in tribus una.
Io Vacca, Isis, brutum, homo, diva fui.

---

# LIGNAMINEI.



*Ad Hieronymam Columnam.*

JUdicium Paridis risit Cytherea, quod ipsa
Nuda Deas forma vicerit una duas;
Abs te nunc vinci dolet, alma Columnia; tanta est
In te nobilitas, gratia, forma, decus.



LAU-

# LAURENTII LIPPI

## COLLENSIS.

*Ad Laurentium Medicem.*

FAstidit magnus numerosa volumina lector,
Post cœnam læta disticha fronte legit.

*Ad Eundem.*

Hic te surripuit patriæ, qui Syrmata misit;
Lemmata qui misit restituit patriæ.

*Eidem.*

Post patriæ curas: post tanta negocia; si fas
Percurras oculis disticha pauca tuis.

*Ad Saccharum.*

Aurea jactatis sic cedere sæcula vobis,
Quid mirum? e cannis dulcia mella fluunt.

*Lactuca.*

Surgentem Venerem mollis lactuca moratur;
Devoret erucas qui cupit esse salax.

*Lactuca.*

Augustus per me relevat fastidia morbi;
Et Lactucinos Roma togata vocat.

Re-

*Rapum.*

Sub prunâ tostum mensis apponere rapum
Non pudeat: tetrico sic placuit Curio.

*Ficus Africana.*

Sum ficus Lybiæ: per me Carthago superba
Corruit: & per me tanta ruina fuit.

*Faba.*

Sum faba, si docti me damnant Pythagorei:
At magnis Fabiis nomina tanta dedi.

*Porrum.*

Sum porrum, valui vocem servare Neronis,
Inque Palatinis me numera dapibus.

*Cucumis.*

Hic tibi sit cucumis, torris dum Sirius ardet:
Tales Tiberius dicitur esse dapes.

*Ad Angelum Siculum. Carduus.*

Carduus in Siculâ mensâ, quem linquit asellus,
Ponitur, i Siculas, Angele, tolle dapes.

*Allium.*

Radicem betæ comedas super igne perustam:
Non animam reddent alia sumpta gravem.

De *Cauliculis.*

Cauliculos teneros, si te delectat Apici,
Præceptum; verno tempore carpe, puer.

*Beta.*

Betis Niliacam poteris confundere lentem:
Ventosam betis, si sapis, adde fabam.

Min-

*Minthe.*

Nunc est herba virens: quondam formosa puella,
Creditur & Stygium detinuisse Jovem.

*Eadem.*

Non essent vobis minthæ redolentia fila,
Ni Pluto ad Stygias me rapuisset aquas.

*Rosa purpurea.*

Per silvas Cytherea suum dum plorat Adonin,
Purpureas fecit sanguine mœsta rosas.

*Purpura.*

Murice consumpto canis ora infecta notavit
Alcides; Tyriæ vellera tinxit ovis.

*Ocymum.*

Ambrosium quamquam spirabunt ocyma odorem:
At cibus ambrosio dirus odore latet.

*Cicuta.*

Rustice, lethiferam moneo vitare cicutam,
Sustulit Actæum dira cicuta senem.

*Hyacinthus.*

Aut puer, aut quondam fueram fortissimus heros;
Nunc flos, & mœstum littera nomen habet.

*Moly.*

Accipias Moly, magno si credis Homero:
Nec lædent animum Thessala philtra tuum.

*Lotus.*

Heu fugias Loton: captos dulcedine Loti
Naricium Socios destituisse ferunt.

*De Cocco quo adulteratur purpura.*

Dant Galatæ cocci gramen pro murice nobis;
Corrupta est cocco purpura jam Galata.

*De Cythiso*

Carpant lascivæ cythisum per prata capellæ:
Sic pastæ referent ubera tenta domum.

*Dictamon.*

Collige Dictamnon Cretæâ providus Idâ;
Tela cadent humeris irrita facta tuis.

*Laurus.*

Missa triumphalem non tangunt fulmina laurum;
Cingant belligeri tempora læta duces.

*Ad Eliseum coquum.*

Pectore Anas, teneris alis Gallina probatur:
Anseris his tumidum, si sapis, adde jecur.

*Eidem.*

Serpyllum, betas, sampsucum, tundis aceto?
Cum tostis micis adde selina, thymum.

*Ad eundem.*

Sume apium, porrum, coriandrum, semen anethi:
Cum sale junge oleum, scorpio sic coquitur.

*Ad Angelum Siculum.*

Est satis ut nostris ponantur olufcula mensis:
Ambrosias habeat mensa Sicana dapes.

*De hortulo posito in fenestra.*

Hortus detineat lati tibi jugera campi:
In nostro sedem vix Ithyphallus habet.

*De eodem horto.*

Pensilis extollant horti miracula gentes;
Fornice sub nostro pensilis hortus erit.

*De palma.*

Pondere non premitur, sed sursum palma resurgit,
Hinc sibi victores signa superba petunt.

*Ad Angelum. De fetu onagri.*

Angele non Libyci capiat me fœtus onagri;
Hortus nativas det mihi delicias.

*Ficedula.*

Quum me ficus alat ficus mihi nomina fecit:
Sumque melancoryphus, quod mihi fuscus apex.

*Fiber.*

Pro carâ cupio testes abscindere vitâ:
Ne pereat, nimium navita jactat onus.

*Elephas.*

Quis tollet Superos? quis Numina sancta negabit,
Quum fera perpetuos sentiat esse Deos?

*Idem.*

Non satis armatas quod porto in bella phalanges,
Mensaque nectareas fulcit eburna dapes.
Fulcra toris, simulacra Jovi do; Numen adoro:
Et mandis callum turba proterva meum?

*Aquila.*

Portavi puerum, qui miscet vina Tonanti:
Ob meritum hoc in me fulmina nulla ruunt.

*Eadem.*

Sola queo Phœbi radios ſpectare nitentes;
Non aciem frangunt lumina clara meam.

*Cervus.*

Vivacem admittant tua ſi convivia cervum,
Peſtiferam febrem non timuiſſe licet.

*Amores Jovis.*

Fit cycnus, taurus, Satyrus, fit Juppiter aurum;
Pro Ledâ, Europaque, Antiopa, Danaë.

*De Amore plurimorum.*

Mavors, Bacchus, Lenæus, Vulcanus amavit
Aſteropen, Creſſam, Nyctiopen, Venerem.

*De Proteo.*

Flamma, leo, taurus, porcus, bos, fit lupus, unda;
Nec rupit vates vincula Carpathius.

*Hiſtoria Troja.*

Phryx ardet; dat vela; Helenam rapit, armat Atrides:
Pugnatur; flammis Pergama victa ruunt.

*Corona triumphalis.*

Texuit auratam melior fortuna coronam;
Nam prius ex lauro texta corona fuit.

*Obſidionalis.*

Obſeſſam Pœno ſervavit milite Romam,
Quinctus nativo gramine ſerta tulit.

*Civica.*

Tullius extinxit naſcentia fulmina belli;
Et data ſunt merito civica ſerta duci.

Ca-

*Castrensis & Navalis.*

Conscendit qui castra prior, volucremque carinam,
Gestabit comptis aurea serta comis.

*Ovalis.*

Ibat ovans Crassus; contemptos vicerat hostes:
Contempta it magno myrthea dona viro.

*De Myrrhinis vasis.*

Myrrhina purpureo candent distincta colore:
Densatur spissus Sole calente liquor.

*De eisdem.*

Myrrhina diversis maculis variata probantur;
Talis venturis imbrifer arcus aquis.

*Crystallum.*

Crystalla, Argivo de nomine jure vocata,
Concreta in magno frigore format aqua.

*De simulacro Jovis facto a Phidia.*

Phidiacæ finxere manus Jovis ora: rogatus
Exemplar; talem finxit Homerus, ait.

*Ad Laurentium Medicem.*

Pyrgoteles gemma sculpsit, sed pinxit Apelles
Pellæum juvenem: quis tibi pictor erit?

*De certamine Zeuxidos & Parrhasii.*

Fallit aves Zeuxis: Zeuxis deluditur arte
Parrhasiii, volucres hic capit, ille virum.

*De Corallio ad Petrum.*

Ista frutex longe lato viret æquore mollis,
Eductus duro cortice, Petre, rubet.

*De Lyncurio.*

Quid sit Lyncurii vox, te junctura docebit,
Urinam resonant nomina juncta lupi.

*Electrum.*

Nunc alni, quondam fratrem lugere sorores,
Nunc electra piis clara fluunt lacrimis.

*Succinum.*

Lucida deliciis est succina gemma puellæ.
Arbore Germana succina gemma fuit.

*Adamas.*

Non adamas flammis, nec dura incude domatur,
Laurenti, hircino sanguine conteritur.

*Jaspis.*

Tu magno in populo facundo pectore dices,
Quum digitis junctus pulcher Jaspis erit.

*Ad Bernardinum Theologum.*

Quantula sunt hominum corpuscula, tantula rodit
Sarcophagus: molles heu fuge delicias.

*De Chernite lapide pio, & Sarcophago impio.*

Chernites pius est, defunctaque corpora servat,
Impius absumit corpora Sarcophagus.

Eche.

*Echeneis quæ remora.*

Pellebant velis, pellebant remige navem;
Ventus erat; cœptam sum remorata viam.
Sola ego & Actiacam potui retinere carinam;
Et potui Cai rostra tenere ducis.
Semipedalis ego, quis nam hæc corpuscula credat
In cursu tantas detinuisse rates?

*Nautilus piscis.*

Per freta dum cautus deducor imagine navis,
Æsonides didicit ducere vela ratis.

*De Delphino.*

Mulcetur cithara delphin, mulcetur amore:
Testes stelligeri sidera clara poli.

*De torpedine pisce, ad Angelum.*

Angele, quis credat? fœda torpedine tactas,
Contractas perhibent obriguisse manus.

*De Phoca, qui vitulus marinus.*

Carpe soporiferam pennam, pellemque rigentem:
Jam dormi, & nusquam fulmina torta time.

*Sepia.*

Atrum purpureo pro sanguine fundo liquorem:
Devoror: & nostro sanguine charta madet.

*De Polypo.*

Paciferam polypus cupide corrodit olivam,
Atque pedes, brumæ tempore, segnis, edit.

*Lucerna piscis.*

Est lucerna mihi nomen, quod lingua refulget:
Si noctu aspicias, lumina vera putes.

*De Trygone seu Pastinaca.*

Pestifer a caudâ mucro se tendit acutâ;
Hoc Ithacum narrant occubuisse malo.

*De Dactylo pisce.*

Dactylus illustrat radianti lumine pontum;
Apponas mensæ; lumine mensa nitet.

*De Echino, & Echeneide.*

Imbres, & ventos cautus præsagit echinus;
Sistit parva natans ast echeneis onus.

*De Echino pisce.*

Spicula me volvunt totum defixa per orbem.
Sed liquor infracto cortice gratus erit.

*Rana.*

Dum caro deformis poteras dixisse gyrinum;
Mox formata, magis garrula rana vocor.

*Thynnus.*

Quum fueram fœtus, primo cordyla vocabar:
Post ego pelamis, & post ego thynnus eram.

*Squatina piscis.*

Non satis est nostri quod mandunt membra gulone.
Et niveum tergit aspera pellis ebur.

*Ad Angelum Siculum.*

Te lupus Etrusci delectat vernula Tybris;
At mihi murænam Sicelis unda ferat.

*Eidem.*

Angele, Memphiticis tibi sit coracinus ab undis;
Arnus millenos dat mihi pisciculos.

Scor.

*Scorpius piscis.*

Exagito stimulis magnum delphina recurvis:
Quem cogo magnas transiluisse rates.

*Acipenser.*

Infelix quod me mensæ coluere priores:
Nunc felix, quod sum gratia nulla gulæ.

*De Scaro.*

Mensarum laus alma scarus; quod ruminat herbas,
Nec proprium gaudet dilaniare genus.

*Idem.*

Quondam Carpathii fueram pius incola ponti:
Nunc sum Campanis incola litoribus.

*De eodem.*

Si cibus herba mihi; si sparsi sanguine numquam
Dentes; cur laceras mensa gulosa pium?

*De Siluro.*

Appetit omne animal grassator dente silurus:
Et summa nantes per freta mergit equos.

*Scombrus.*

Sulphureus videor liquidis cum cernor in undis:
Extra undam apparent squamea terga mihi.

*Mugilis.*

Quum caput est tectum, credo mea membra latere:
Per Venerem, prædæ femina, virque sumus.

Mu-

*Mullus.*

Vix duo sum pondo: lautæ sed gloria mensæ
Crispinus pro me millia multa dedit.

*Salpa.*

Salpa obscœnus ego dicor, nec decoquar unquam,
Ni ferulâ cædens verbera multa dabis.

*Mæna.*

Candidulus brumæ sum tempore: Sole calente
Ostendam vobis squamea terga niger.

*Draco piscis.*

Sum draco: de media surgunt mihi cornua fronte.
Sæpe vides rostris antra cavata meis.

*De Ariete pisce.*

Cornu aries pugnax pisces speculatur euntes;
Squamigerum perdunt cornua sæva genus.

*De Urticâ.*

Postquam pisciculos passâ sub fronde recepit:
Corrugat frondes pisciculosque vorat.

*Spongia piscis.*

Incrementa mihi, & sensum natura paravit;
Nam parvas conchas, pisciculosque voro.

*De Loligine, milvo, & hirundine piscibus.*

Loligo, milvusque rapax, & mitis hirundo;
Ut celeres volucres, per freta summa volant.

De

*De Cancris.*

Vere novis renovant cancri sua tergora crustis;
Exuviis positis læta juventa redit.

*De Lepore pisce.*

Adducit vomitum tactu lepus: hanc fuge pestem.
Laurenti; secum dira venena gerit.

*Stella piscis.*

Sum similis stellæ candenti fervidus igne:
Uruntur callis omnia tacta meis.

*De Locusta inimica polypi.*

Formidat tantum polypum miseranda locusta,
Aspectu ut polypi læsa repente cadat.

*De Cochlea.*

Contrahit, exertat parvâ cornicula fronte;
Et nudâ ingreditur contegiturque domo.



# JACOBI LUBRANI NEAPOLITANI.

*America vermiculi, vulgo Coccimiglie, Purpuram tingunt.*

SAucia puniceum revomunt Conchylia coccum:
Regius, est sanies sanguinis, ille color.
Americis nunc Erucis lux additur ostro;
Fulget & exuctis Purpura reptilibus.
Tam prope sunt nudum mortalia vota sepulchrum.
Vermis olent adipem serica, verme rubent.

*Philippus IV. Hispaniarum Rex, in adversis constantissimè magnus.*

Pingere quæ pingi nequeunt olim ausus Apelles,
Æolon, & celeri fulmina rauca sono.
Vincere quæ vinci nequeunt, laus magna Philippi,
Improba fortunæ versilis arbitria.

*De Crellio Plautum lectitante.*

Sedulus in Plauto noctuque diuque terendo
Crellius, haud Latios eruit inde Sales.
Non nisi derosas abava rubigine voces
Carpit, & in rugas desita verba putres.
Æmula Virgilio laus hæc præpostera certat.
Ex auro Plauti stercora colligere.

Ad

*Ad Carolum Celanum, principis Ecclesiæ Canonicum eruditissimè sapientem.*

Celane, o Patriæ elegans voluptas,
Cui summæ studium eruditionis,
Et vis ingenii sagax, disertos
Excussit Tripodas scientiarum.
Non Aristotelis latent recessus;
Divinæ quoque Pallados Theorus,
Et Mystes Themidis, Fori, Polique
Mentem judiciis habes paratam.
Cursorum* resides & involutas
Perscrutans schedulas Tabellionum,
Quantam moribus exhibes palæstram?
Derides vel ineptias supinæ
Turbæ, vel Procerum jocos & iras;
Et sannas Sciolorum, & obsoletum
Fortunæ male blandientis astrum.
Argutique Sales, & eloquentes
Delectant lepido, docentque Phœbo
Per Compendia Curiositatem.
Nunc Censor, rogo, candidus sine ullo
Palpo, corrigere hos velis libellos.
Si vel pauca probaveris, probabor.
Celano placuisse, summa laus est.

*Ad Fasanum de Torquati Tassi poëmate in Neapolitanum sermonem translato.*

Arma piumque Ducem, atque assertam Numinis urnam
Vix imitandum Itali nobile Vatis opus;
Das iterum famæ, patriisque tumescere musis
Bella Sioneis jam celebrata tubis.
Tantaque in arguta latet ars & gratia linguâ,
In numeris tantam vim Gelasinus habet;

Ma-

* Librùm edidit, cui nomen *Avanzi delle Poste*.

Major ut Autographo se assurgere gaudeat; & plus
Nescio quid lepido in carmine Tassus amet.

*In eruditam floridamque D. Petri Casaburi Poesin.*

Aonidum decus, ac Tusci lux maxima Pindi,
Cui fluit in lepidos Castalis unda Tagos.
Imperiosum animis afflant tua carmina Phœbum,
Dant prope divinos musica plectra modos.
Omnia par Orpheo; superas quin Orphea cantu:
Ille Feras traxit, tu trahis & Charitas.

*Carolus V. abdicat Imperium.*

Hospitem ubi votis ingentem, armis Tropæuchum
Thebais Austriadem vidit Ibera Ducem,
Obstupuit, tenui possetne angusta recessu
Abdere, cui geminus non satis Orbis erat?
Nil faciem sylvæ, nil Carolus horruit umbram,
Laurigerum assuetus jam coluisse nemus.
Cùm paruit, Reges sese super extulit omnes;
Se super, & major Cæsare, cùm latuit.

*De eodem.*

Victricem Imperio dedisse lucem
Felix Austria Carolum fatetur.
Europen, Libyenque tot triumphis,
Quot bellis domuit; jugoque Reges
Pressit Dux animo, manuque Miles.
At dum cauta receptui tubarum
Virtus concinuit sono, vel ipsum
Cœlum vincere visus, abdicatis
Regnorum phaleris; suasque Sortem
Risit sphæromachon: fugæque laus hæc
Heroæ, præiit subactam & Arcton,
Thracumque, Batavumque, Pannonumque.

Et

Et victum Americæ latentis Orbem:
Omnes ante Duces, Avosque, Magnum
Angusti laris incolam, atque Eremi
Primum ex Cæsare regium Satorem
Felix Austria Carolum loquetur.

*Ab impuris libris maximum honestis feminis damnum.*

Sedula Amadisios relegit Claudina libellos.
Cum præeat primas castior illa nives.
Jamjam miscebit Venerem mollissima curis;
Ingenio jam jam, credite, Lais erit.
Effluet in chartas sensim pudor omnis amantes;
Et patruas discet ludere vafra minas.
Quamquam oculis aditum sera claudat & auribus omnẽ,
Vernula quæ loquitur pagina, lena domi est.

*De Nothippo Pindarum carpente.*

Bacchi verna, lanista poculorum,
Quadris, deliciis, cadisque natus,
Nothippus sitit, & bibit sub uno
Haustu multiplices meri diotas.
Idem thyrsigero facetus œstro,
Grajæ Pindaron uberem Suadæ
Insulsum vocat, & malum Poëtam.
Causam quæris? Aquam optimam canebat.

*Bissextilem Annum 1688. Neapoli fatalem ob Terræmotum queritur.*

Anni intemperiem dolemus omnes,
Siccam passi hyemem, rigente bruma,
Ver Austris tumidum, imbribusque mersum.
Æstatem Medici febriculosam,
Et nigram tunicam minantur ægris.
Heu quantis premimur malis! hiantes


Nam

Nam spectavimus in sepulchra terras,
Mortemque ante pedes: ubique iactus,
Et terror, nihil est in urbe tutum.
Rimis saxa crepant revulsa, & Aræ
Fecerunt vitium: piacularem
Ulciscente Deo fidem, & profusam
Sentinam scelerum. Pudet fateri;
Inter præcipites adhuc ruinas
Lascivire vacat: procax in ipsis
Fatorum Venus excubat lacunis,
Ut mos est pueris per angiportus
Jactis ad numerum ossibus jocari.
Væ, væ Parthenope tibi, tuisque.
Pœnæ immane genus, miserrimumque est,
Peccare admonitam, imminente & Orco.

*Industria, & labore opus est ad Sapientiam.*

Nemo sapit teneris instructus ab unguibus infans:
  Quàm rudis ad cunas vagiit ipse Plato?
In nemus e parvo se semine parturit arbos;
  Ros fuit in conchis Indica gemma suis.
Ingenium labor addit, & hac venale sub hasta est.
  Doctaque solertes poscit arena viros.
Archytæ * Platagen molire, & deinde Columbam.
  Quæ sudata venit gloria, magna venit.

* Crepitaculum terrendis pueris ab ipso inventum.



# BERNARDINI LUCATELLI
## CREMONENSIS.



Dum movet in Venetos classem novus ille Pharaon,
 Æquora sub tanto pondere fessa gemunt.
Hanc tamen Omnipotens spumantibus æquoris undis
 Obruit, ut scires vere adamasse suos;
Omnes exiliant, & Bacchanalia vivant,
 Nam quoque lætitiæ signa dat ipse polus.
Lumine majori fulserunt Sidera Olympi,
 Ipsaque, sidereo lumine terra gravis;
Exhibet innumeros hiemali tempore flores,
 Et matura suis poma leguntur heris.
Aurea Saturni jam nobis sæcla redibunt,
 Jam sine præfixo limite campus erit,
Mella dabunt quercus, necnon bis messis in anno,
 Bis erit in campis luxuriosa seges;
Conspicientur oves nullo custode reverti
 Sæpe domum, insidias nec timuisse lupi
Tanta erit in toto cœli clementia mundo.
 Veris ut æternum tempus adesse putes.
Sidera cum fuerint tantorum caussa bonorum,
 Quis neget a superis inferiora regi?
Ne tamen astra colas, solum venerare Tonantem,
 Qui regit Imperio cuncta creata suo.
Hic Venetum ventis implevit vela secundis,
 Et tulit auxilium, dum ferus hostis adest,
Fudit & hic acies Turcarum, denique classem
 Æquoreis tantam perdidit ipse vadis.

Ne timeas hostes, adversus tela Tyranni
Cum Duce tam forti miles inermis eas;
Victor eris tandem, & spoliis Orientis onustus
Cincta triumphali tempora fronde geres.
Turcica lex Bromii dulces vetuisse liquores
Dicitur, (o quantum lex erat ista gravis)
Quin fuit illicitum Turcis duxisse choreas,
Illecebrisqte capi, quas amat alma Venus,
Sed modo cœperunt venerari numen utrumque,
Numina sunt cordi Bacchus, & alma Venus,
Atque ideo exoptant Cypri sibi subdere regna,
Ut possint vita liberiore frui,
Huc volitant; verum pro spreto numine Bacchi
Non bona vina bibent, sed vada salsa maris;
Illecebræque Deæ Paphiæ, dulcesque cachinni,
Oscula blanda illis spicula Martis erunt.

*Ad Leonem Venetum.*

Gloria quadrupedum quid cessas perdere gentes?
Mentior, hæ potius sunt Orientis oves.
Arripuere fugam, partem modo Thracius abdit
Bosphorus, infernas pars adiere domos;
Sterne gregem invalidum, superi tua cepta secundant,
En tibi se comitem sacra Columna facit,
Exhibet omnipotens volucrem, quæ tela ministret,
Dirigat atque tuum, quo libet ire pedem.
Eja age rumpe moras, dirum jam tolle magistrum,
Qui grege de nostro semper abegit oves.
Illius aspicias stillantem sanguine cultrum,
Illius aspicias cæde tepere lares;
Non tibi tantus honos, dum quondam raptus ad astra
Sidus eras; terris nam modo numen eris.

*In laudem Augustini Barbadici.*

Pro patria extinctum te ferunt ardua cœli
Sidera, sideribus nam bene notus eras;

Pie-

Pierides nunquam tales fudere querelas,
Nec tantum gemuit Sol Phaëtonta suum;
Charus eras Musis, te Mars, ac Phœbus amabat,
Gloria Pieridum, gloria Martis eras.
Non Augustini, o Venetum fortissime ductor,
Ceu prius, Augusti sed tibi nomen erit.
Nam velut Augustus pacatum reddidit orbem,
Sic tu parta orbi pace relinquis humum;
Ac velut ille Polum quondam conscendit, & inter
Sidereos proceres conspiciendus erat,
Sic tua te virtus extollet ad astra, sedebis
Inter & Heroas, Semideumque choros.
Pierides tumulum sacris ornate coronis,
Est opus hoc vestrum, vester alumnus erat;
Tu quoque Mars clypeum, necnon hic pone sagittas,
Nam tua cum tanto est fama sepulta Duce.

Quis modo Cypriacæ casum non defleat urbis?
Quis tam mentis inops, Heroum maxime Mechni,
Qui non in clades regni suspiret adempti?
Hactenus ipse quidem curarum oppressus acervo,
Non potui sacros Heliconis adire recessus
Hæc fuit una mei diuturni causa silenti.
Namque ubi Turca metum magno ferus incutit orbi,
Et bello ad cunctas terrarum fulminat oras
Victor, & in victos populos furit impius armis,
Incepi trepidare metu; nam mente revolvo
Facta nefanda, viros jam nulli parcere suetos.
Hi dulces jugulant natos ante ora parentum,
Invalidosque senes, nec quicquam tale timentes
Ante aras, ante ora Dei (miserabile visu)
Ensibus obtruncant, lacerantque miserrima membra.
Non ignota loquor, nam nulli incognita Cyprus
Insula, dives opum, Venetorum maxima messis
Hic erat, hac capta, magno clamore ruentes
Non secus, atque lupi, fœdarunt cuncta cruore.

O scelus horrendum! innuptas violare puellas
Non satis est, gladios penitus in viscera condunt,
Dejecere aliæ sese de turribus altis
Præcipites, aliæ transfixæ corpora telis
Procubuere suis, ne vim paterentur ab hoste.
Heu lacrimæ impediunt numerum memorare Camœnis
Tantorum scelerum, quæ dira in mœnibus hostes
Commisere manu: satis est ex millibus unum
Dicere, quo nullum toto est truculentius orbe,
Et quod mille feri vix invenere Tyranni.
Dux fuit in Cypro Regum de stirpe creatus,
Quo non majorem bello Sol vidit, & armis.
Hunc ubi sternentem primos ex agmine Turcæ
Conspexere, ruunt, & collo vincula nectunt,
Diductasque illo mox implent pulvere fauces,
Machina quo belli cava concutit oppida, & arces
Deiicit horribili sonitu, cœlique fragore.
Faucibus imponunt ignem, tunc ora repente
Sunt lacerata sono ingenti, ceu fulmina quando
Juppiter omnipotens cœlo jaculatur ab alto.
Non Geta tam sævum, nec tam crudele tulisset
Solvere supplicium, foret hic si captus ab illo.
Non hoc Sylla nefas siccis spectasset ocellis,
Non Phalaris, non ipse Nero illo immanior angue,
Quem pede pressit humi æstivo sub Sole viator.
Spero equidem tanta pœnas pro cæde daturos
Quamprimum, superis si sunt mortalia cordi,
Et superis equidem sunt hæc mortalia cordi;
Nam simul ac Veneti victricia signa per orbem
Ferre vident Turcas, genus insuperabile bello,
Legatos subito ad Regem misere Philippum,
Pontificemque Pium, quos intra tecta vocatos
Rex tandem verbis sic est affatus amicis.
Ite viri, & nostris sociis hæc dicite nostro
Nomine, jam pavidum mittant de corde timorem.
Cernitis instructas acies, classemque paratam
Gurgite cæruleo, totum quæ terreat orbem?
Milite nunc Venetos armato, opibusque juvabo,
Nam

Nam mihi jamdudum conjuncta est foedere dextra
Cum Venetis; eadem Roma responsa feretis,
Nam Pius auxilio vestrum fovet usque Senatum;
Sit Deus omnipotens custos, classemque gubernet;
Pellere quò possint scelerata a sede Tyrannum,
Utque iterum terras pax exoptata revisat;
Cana fides, probitas, ac pleno copia cornu.



Una avis in terris, quà Cynthius aureus exit,
 Ponit odoratos interitura rogos,
Stat super, & pennis rutilantibus extitat ignem,
 Uritur, in cineres vertitur inde novos.
Prodit ab his tandem formosior altera Phoenix,
 Se novat hoc pacto, sicque perennat avis.
Sic modo Turcarum Regi transmissa virago
 Fecerat, Ægæis dum veheretur aquis.
Namque ubi captivam ventosa per æquora duci
 Se videt, & collo vincula nexa suo;
Protinus ad socias sese convertit, & istam
 Vosne ignominiam ferre potestis, ait?
Selino ut cunctæ diro servire velitis?
 Ah potius salsis commotiamur aquis;
Dixit, & in puppem ardentes jaculata favillas
 Se comitesque suas, divitiasque cremat.
Non perit omnino, post mortem est fama superstes,
 Dignior & coelo reddita vita sibi;
Altera ceu Phoenix terris est facta perennis,
 Altera ceu virgo est facta beata Polo.



Viderat alma Venus vastari Cypria regna,
 Atque suas sedes obsidione premi,
Omnia Turca ferox ferro perdebat, & igne,
 Omniaque humani plena cruoris erant.
Martem adit expansis per eburnea colla capillis;
 Vix ah vix teneris parcit & illa genis.


An ne ego post multas cædes his finibus, inquit,
Pellar? & amissis sedibus exul ero?
O dolor, o pietas, tam barbarus hostis habebit
Oppida delitijs facta superba meis?
Ah pereat potius, Mars optime: perde cohortes,
Urbibus e nostris hanc cito tolle luem.
Pro te bella geram, faciam quodcumque jubebis,
Mars ait, amplexus hoc meruere tui.
Pone metum Cytherea: tuos tunc credimus hostes
Victores, quando Mars quoque victus erit.

*De Hieronym. Columnâ.*

Viderat in somnis imâ a tellure Columnam
Surgere Pan, sensim mox tetigisse polum.
Imposita huic etiam cunctis ex urbibus una
Inclita Parthenope, magnus & orbis erat.
Hanc servare Dei, exitio ne forte sub uno
Tandem cum geminis orbibus illa cadat.
Nam quoque Parthenope: tantum caput extulit, ut non
Nomina conveniant urbis, at orbis, ait.

*Aliud.*

Sæpe ferunt Lunam nimio Endymionis amore,
Non tamen hoc mirum est, deseruisse polum.
Hoc mirum, cunctis ad se si evocat astra Columna,
E cœloque omnes allicit una Deos.



# NICOLAUS MACHÆROPOEUS

*De Rosis Autumnalibus.*

UNde rosas Venetis alieno tempore apricos
Sponte per Autumnum picta remittit humus?
Has non Flora parit, nec Cypro mæsta relicta,
Nempe suo in luctu, donat habere Venus.
Barbadicus classis ductor, Mars alter, in alto
Occidit, & moriens prima trophæa tulit,
Dumque pios Cives folium Jovis ante recenset
Ex acie, sparsos arma cruore sacro,
Angelicæque manus detergunt sanguinis undas,
Parsque abit in nubes, quas rutilare vides;
Pars delapsa solo, Adriacis collecta Napæis
Perfudit niveos rore, & odore sinus;
Scilicet hic sanguis, luctus solamen acerbi,
Fit rosa, quæ Venetum nata cruore rubet.



# CAROLI MALATESTÆ



*Nereidum cantus, ad Joannem Austriacum.*

Litore cùm primum classem deduxit Ibero,
Et cursum Hesperiæ magnæ convertit ad urbes,
Invicti soboles pulcherrima Cæsaris Heros
Austriacus; mediis illi Nereides undis
Lætitiâ oblatæ ingenti, plausuque fremebant.
Alma quibus myrrhæ Tethys fragrantis odore
Sparserat effusos humeris a vertice crines,
Et studio incumbens cultuque ornaverat omni;
Muscosos subter thalamos, & murmure rauco
Assiduè flantis Zephyri, fluctuque strepentes,
Quos intra æquoreæ celebrant convivia Nymphæ,
Oceanoque patri cœlesti nectare libant;
Unde abeunt lætæ; si quando è gurgite vasto
Prodire, egregiisque viris occurrere gaudent:
Ut perhibent culto divini carmine Vates
Argolicis illas Heroibus occurrisse,
Qui primi indomitos ausi transmittere fluctus,
Et tumidum curvâ pelagus sulcare carinâ,
Velleris aurati spolium, laudemque petentes:
Utque ferunt multis manifeste in lumine visas
Auditasque simul, Carolo trans æquora vecto
Dum comites irent, quascunque adverteret ille,
Austriadum famam protendens victor, ad oras.
Illæ igitur magni memores Herois, ut ipsum
Viderunt juvenem gemmis, ostroque decorâ
Inductum chlamyde, atque auro fulgentibus armis;
Quem

Quem proceres circumstabant, & lecta juventus,
Actutum agnovere; alacresque estollere voces
Exorsæ, has illi referebant ordine laudes,
Aonio late mulcentes æquora cantu:
Advenis optatus nobis Dux inclite votis
Omnibus: ac lætam venienti assurgere jam nunc
Italiam cernes, quo te laus excitat ingens;
Instructumque opibus summis, & classe potentem
Auspicio Divum quò te Rex maximus Orbis
Mittit, ut auxilio populis florentibus adsis,
Præsidiis auctos, vestro pro fœdere, qui se
Cùm videant tantis, jungant quas protinus omnes
Expediunt nusquam dejecti in prœlia vires.
Tum qui muneribus, durisque laboribus acti
Militiæ præstant obeundis, undique claro
Exciti sonitu, coëunt insignia læti
Sub tua, quæ media præfers extantia puppi.
Hos animi præstans inter, pulchrisque sub armis
Conspectus sese Farnesius inferet Heros,
Romulidum commista Duci de sanguine claro
Quem soror in lucem simul edidit, ac, tua; partu
Felici Æneadumque Urbem. & Latium omne beavit.
Hunc gladiis accincta phalanx comitatur acutis,
Et juvenum magna primi cinxere caterva,
Bellandi studio quoscunque aut Martia Roma
Instructos ferro primis eduxit ab annis.
Assueti quicunque graves obiisse labores
Venantum, rapidoque feras prævertere cursu
Eridani latis campis, seu rupibus altis,
Præcipiti fertur quas inter flumine Tarus.
Ipsa tibi auxilio transmittit & Umbria pubis
Læta Ducem, floremque suæ, quem laudis avitæ
Accendit stimulis haud mollibus æmula virtus.
Ultro aderit magni monitis, opibusque parentis,
Tum propria fidens virtute ac pectore forti,
Tyrrheno exultans jam nunc & litore sistit
Advectus celeri montana per oppida cursu.
Huic & amore pari, cognato & sanguine junctus

It comes insigni forma, & florentibus annis
Spectatus puer. Etrusci gens accola ponti
Quem studio observat multo, placidoque parentis
Læta sub imperio, nec segnes exigit annos.
Gens dura, & manibus duros convellere montes
Rupibus, immanesque excindere sueta columnas,
Quæ Parium vincant marmor candore nivali.
Quin Tiberis pulchra comitatus ad ostia classe,
Cælatam clypeo fulgenti ex ære Columnam
Arduus attollens, sese feret obvius Heros
Inclitus; haudquaquam mentis confidere sanctæ
Consilium veritus Pater est cui Maximus ille,
Plurima quem sacri penes est custodia cultus;
Necnon & præstantem animi dimittere ad urbem
Egregiam, Adriaci egregiam decus æquoris Urbem,
Nimirum invigilat sancto dum fœdere Patris
Provida mens Urbi Regem adjunxisse potentem.
Nunc etiam voti compos, hunc omnibus auctum
Auxiliis, ducis & defunctum munere summi,
Victorem bello toties, clarumque triumphis.
Cominus auspiciis lætis immittit in hostem
Quisque igitur quanto divinæ laudis amore
Accensus magis, hoc propius, fortissime Ductor,
Ille tuis comitem properat se adjungere signis:
Seu pulchra Ausonia, regnisve oriundus Iberis,
Quos tu consilio prudens moderabere multo,
Et tua per benefacta oculos volventibus illis,
Ardua quæque dabunt Divi superare ferendo.
Sic tibi magnanimi fuerint monimenta parentis
Obvia, flectenti quæcumque ad litora classem.
Tum memori recolenti animo sua fortia facta
Invia nulla tuæ virtuti erit æquoris unda,
Obstabuntque tuis nullæ conatibus urbes,
Extremos donec protendas victor ad Indos
Austriadum nomen terris fatale regendis.
Ite igitur summi ductu Ducis, ite frequentes
Invicto Proceres spectati robore, & armis.
Quaque viam virtus aperit, quà gloria vobis
Mon-

Monstrat iter, spondet quà Jupiter ipse triumphum.
Hostibus insignem victis, contendite cursu.
His dictis finem facerent cum deinde canendi
Nereides, zephyrique implerent vela faventes,
Continuò nova lux pelago, terraque refulsit;
Heroumque Chorus candenti in lumine cœli
Astitit, ac roseum demisit ab æthere nimbum.
Felices animæ mortalis tempora Lucis
Defunctæ. quæ nunc vita meliore fruuntur:
Rodulphus generis clari, Regumque Ducumque
Austriadum priscus pater, ac felicibus olim
Romanum Imperium fatis sortitus, & alter,
Quod toties pugna victor superaverit hostes,
Jure triumphator pulchro cognomine dictus.
Proximus huic, verùm spatio haud ita proximus æquo,
Justitiæ, pacisque ante omnia cultor, & æqui
Longævus Federicus, & hunc prope filius, Orbis
Imperium æque Justitia tutatus, & armis,
Connubio felix nati, felixque nepote,
Post patrios Reges cui dives Iberia cessit
Austriaco commissa Deum haud sine numine, Regi.
Tum gemini fratres ævi duo lumina nostri,
Palladis, & magni Carolus Mavortis alumnus,
Qui totum implevit factis illustribus orbem,
Augustæque recens sobolis decus, & pater, & Rex
Optimus, ac veterum nulli virtute secundus
Ferdinandus, ab ætheriis qui sedibus omnes
Pro regali ostro, gemmisque, aurique corona
Cæsariem stellis redimit, ac luce decori
Ostendunt sese interdum mortalibus: & nos,
Nostraque nunc etiam solita pietate tuentur.



HO-

# HORATII MALEVOLTI
## SENENSIS.

*De Delia.*

ANte mihi cara; at postquam me cœpit amare,
  Carior est multò Delia facta mihi.
Ante mihi pulchra; at postquam me cœpit amare,
  Pulchrior est oculis Delia visa meis.
Diligat illa magis; mihi tunc carissima fiet:
  Atque mihi fiet Delia pulchra magis.
Quod si ut cara mihi fiat, me nolit amare,
  Saltem amet, ut fiat Delia pulchra magis.

---

# ANTONII MANCINELLI
## VELITERNI.

*Mors malorum finis.*

DUm vitâ frueris, numquam dicare beatus:
  Fortunæ ancipiti subjacet omne genus.
Felicem reddit fati sors ultima quemque.
  Nam mors venturi finis & ora mali.
Felices igitur minimo qui tempore vivunt,
  Cùm mors felicem reddere sola queat.

For-

## *Fortunæ simulacrum.*

Fortunam pedibus carere dicunt.
Hæc alas retinet, manusque solum
Palmis fert Regimenque Copiamque:
Extensis manibus repellit alas,
Hinc est lubrica semper, hincque cedit
In sphærâ residens, ut inquieta.
Ergo nec manibus, nec illa duris
Vinclis, ni placeat, tenetur unquam.
Qui paulùm sapiunt, minusque cernunt,
Invitam quoque se tenere credunt.

## *De eadem.*

Tempore non omni vultu Fortuna sereno
Arridet: caveas ergo superbe tibi.

## *Malorum portus.*

Qui miser est, aliena suis graviora retractet:
Fortius excipiet quæ mala cumque cadunt.

## *Amygdala.*

Cyrus, & Alcinous, vel Adonis poma tulissent
Aurea: nos tantum Phyllidis ista damus;
Utque etiam atque etiam valeant tua tecta subire
Utque magis sapiant, copia parva datur.

## *Quis bonus?*

Qui nulli noceat; prosit cuicumque valebit,
Ille bonus, similis dicitur ille Dei.

## *Cimicibus fugandis.*

Felle boum, lectica simul spargatur aceto;
Cimice vix unquam læserit illa putri.

*In rabidum.*

Jam mihi lustra decem; mihi nec bonus obtigit ullu,
Quàm tu qui passim carpere quemque soles.

*De Paschali Tertio. Ilcino.*

Qui tibi constantem vel fidum quæris amicum,
Credere cui tutò mystica sæpe queas,
Paschalem Ilcinum cunctis præponito fidis:
Alter enim Damon Hyrtacidesve tibi.

*Julii Secundi Pontificatus.*

Julius pacem dabit & quietem,
Copiam rerum, Cereris, Lyæi:
Æquitas nulli poterit deesse:
Vivat idcirco Pylii senectam.

*De Livore.*

Seria Mæonidæ Livor detrectat & odit,
Ausonium vatem nec sine labe canit.
Quid mihi venturum mediter? quid? dum tamen ista
Qualiacunque legant, quid mihi Livor iners?
Lividus adlatrat passim quoscumque peritos,
Ast in secessu clam tegit, atque legit.

*Ad Festum filium.*

Ingenium, viresque tuas cognosce; priusquam
Incipias aliquid, turpe est desistere coeptis.

Doctrinam citiùs quàm aurum tibi delige fili:
Est cunctis opibus melior sapientia rerum.

Si tibi ſit natus, doctori trade perito.
Perdocet indoctus, quæ dedoceantur oportet.

Hære illi valeat, qui reddere te meliorem:
Admittes, quem tu meliorem reddere poſſis.

Doctorem, veluti ſanctum venerare parentem;
Laudando ſemper, probris offendito numquam.

Ludendi ſpatium puero concede modeſtos:
Fortior ad ſtudium mens oblectata redibit.

Ut tibi donetur prudentia; nocte dieque
Deſidiam vites, ſtudioque impende laborem.

Dulcis doctrinæ fructus: radicula amara eſt:
Ut valeat, quis non ſuccos potabit amaros?

Eſt ornamentum rebus doctrina ſecundis.
Rebus in adverſis doctrina eſt portus & aura.

Illâ, quam novit, ſe quiſque exerceat arte:
Uſus enim egregius rerum præceptor habetur.

Adſpectus veluti deducit ab aëre lumen,
A diſciplinis animo lux venerit ampla.

Cor-

Corvis innumeris quàm blando occurrere mallem.
Devorat hic vivos: projecta cadavera corvi.

Debenti nummos ubiquam ſuccedere nolis:
Sæpe ſolent vades inopem deducere vitam.

Si facis invitus; levior res, aſpera ſurgit,
Res dura apparet mollis, ſi ſponte labores.

Ad ſummum niteris adſcendere; conſpice, ne tu
Cum ramis recidas quos jam comprenderis altè.

Solus iter facito numquam: ſecurior ibis.
Sunt graſſatores, ſunt mille pericula caſus.

Infamis fuerit ſcortum qui nutrit, inopsque;
Magna pudicitiæ laus eſt: ne ſpreveris illam.

Perfidus haud ullis meritis placabitur umquam:
Amittes igitur quidquid donaveris illi.

Quæ ſunt ad victum, debes multò ante parare
Quam tibi defuerint; conſtabunt quippe minoris.

Juſtitiæ radix fundamentúmque ſit illud.
Ne facias ulli, quia tu tolerare nequires.

Si

Si quis inauditis ambabus partibus ullum
Judicium profert, justum licet; extat iniquus.

Denegat auxilium misero quicunque petenti,
Quæret idem frustra: meminerunt omnia cœli,

Depositum quodcunque tenes, servetur amicè:
Turpe magis nihil est homini, quàm fallere amicum:

Dilige præcipuè patriam, post deinde parentes,
Hinc natos, totamque domum, carosque propinquos.

Cordis eget, mentisque bonæ, qui spernit amicum.
Dives erit, multos quicunque est nactus amicos.

Alter amicus ego est; anima una in corpore bino:
Ad plenum felix, verum qui nactus amicum.

Irasci domino noli reprehensus: amatur
Ab domino quicunque suo, reprehenditur idèm.

Noli vindictam: sæpe obfuit ultio facta.
Magnanimus parcit; vindictâ femina gaudet.

Tædia non refugit, cupiens virtutis honorem.
Qui studium, curamque fugit, spernetur ubique.

Tam firmum nihil est, cui non aliquando noceri
Possit ab invalido, perimit vel araneus anguem.

Promptior ad pugnas animum pro laude parabis
Quàm pro divitiis quærendis sive tuendis.

Qui pariter peccant, pariter punire memento,
Nec statuas ulli majorem crimine pœnam.

Invisum imperium longo non tempore durat,
Non aurum, sed amicus erit custodia regni.

Id solum petito quod nulli jure negares.
Quod tibi concedi malles concede roganti.

Pauca loqui prudens, audireque plurima debet,
Os unum, binasque aures idcirco tenemus.

Suscitat ingentem prædurus sermo furorem,
Terribilemque iram frangit responsio mollis.

Quale lucrum fuerit, talis tibi cœna paretur.
Ne plus impendas, patitur quam curta supellex.

Laudibus extollant alii tua gesta: tacendum
Est tibi: sordescit proprio laus ore relata.

Uxorem quicunque suam cupit esse pudicam
Improbus est, nisi servat idem quod poscit ab illâ.

Parturiens hominum conspectum vitat asella.
Committunt homines vulgò turpissima quæque.

---

# OCTAVIANI MANINI

## UTINENSIS.

*Ad Principes Christianos, ut opem ferant equitibus Divi Joannis contra Turcas.*

QUæ vos longa tenet mora Reges? barbarus hostis
Urget agens, equitesque premit, terraq;, marique,
Qui pauci Melitæ clauduntur finibus arctis:
Cædibus absumpti plures, dum fortia bello
Pectora barbarico opponunt; rutilantibus armis
Dum nullos ictus, & vulnera nulla feroces
Præmetuunt; non fatum ipsum, dum signa tuentur
Insignita Crucis veneranda & imagine Christi.
Hostis habet primas arces, munitaque portus
Claustra suo victor numero; instantique tumultu
Invicti cecidere viri, noctesque, diesque
Oppugnati usque, ah miseri! cecidere frementes,
Turcarum quoque jam ipsæ acies, peditesque, ducesque.
Quidnam vos tandem expectatis? tempora pugnæ
Quæ opportuna magis? quænam momenta saluti
Sunt magis apta virûm, qui templa, Deosque tuentur?
Si pereant ope nunc vestrâ, auxilioque carentes
Egregii bellatores, fortissima pubes

Undique collecta, heu quæ vos infamia passim
Perstringet cunctos? quæ vos maledicta sequentur?
Quas demum clades, quæ damna extrema subire
Omnes inviti cogemur? protinus oras
Invadet Siculas, parvo distantia tractu
Litoraque & mediis positas regionibus urbes.
Immanis visto, Scythica feritate timendus
Sardiniam, Cyrnumque petet. Campania quis te
Proxima defendet? Calabras quis proteget arces?
Daunia quanta tuis tempestas imminet agris,
Quanta tuis Latium? quanta heu tibi Tuscia? clare
Quanta Ligur, tibi? ni latum jam classibus æquor
Cuncta tuens comples, & Turcas fluctibus imis
Obruis, hostiles demergens gurgite puppes.
Nec te perpetuò tutam Phæacia tellus
(Perpetuo tutam cupio) Dominosque potentes
Crediderim: nec, quas longo sua brachia tractu
Hadria porrectus tot claras sublnit urbes,
Tot claras urbes fallens tentare timebit
Publicus ille hostis, numquam pacatus, acerbis
Insectans odiis Turca? hanc Di tollite pestem.
Quare agite unanimes Melitæ succurrite cuncti.
Sancte Pater, cui relligio nunc credita soli,
Cui pietas & sacrarum custodia legum,
Tolle moras omnes, obsessosque eripe morti.
Et tu qui imperio flores, Germania summum
Quem colit insignem proavorum stemmate longo
Insignem, domitis tot gentibus, atque tropæis,
Induperatorum prolesque, neposque piorum,
Immitte infractas in castra inimica phalanges.
Hispani, qui tot populos, tot regna, tot urbes
Imperio subjecistis victricibus armis;
Qui non contenti patriâ, terraque fretoque,
Ignotos fines, incognita litora longo
Æquore quæsistis, quæsitas legibus æquis
Formastis gentes. Christi & statuistis ad aras.
Effigies tu vera patris, suprema Philippe,
Spes gentis Christi cultricis, maxima regna

Qui

Qui sancta ditione tenes, patiere tuorum
Usque dolos vitæ meditari impune furentes
Immanes Aquilone Scythas, & rupibus ortos
Frigoribus duris, incultos, moribus aspros?
Nec te immortalis nunc tanget gloria patris
Quam non ulla dies Lethæis obruet undis?
Magna patris magni soboles: jam classibus æquor
Nec mora longa, novis jam comple, & fluctibus hostes
Sterne tuis: vel longinquas procul ejice in oras
Attritos altè, & tua jam, quæ nescia vinci,
Arma animis possint semper sine fine timentes.
Est Melite patris munus: nam Carolus olim
Hanc dedit ejectis, longo post tempore bello
Turcarum Rhodiis ducibus, Magnoque Magistro.
Nunc quoque sit Melite munus, Rex magne Philippe,
Sit munus; Rex magne tuum, florentibus armis
Militibus nostris, tua quos nunc vivida virtus
Servat ab exitio minitantis dira Tyranni.
Gallorum princeps, Galli proceresque, ducesque,
Invicti Gallorum equites, peditumque manipli;
Excidet ex animis vos Christi insignia primos
Defendisse acres ferro, Solymosque recessus
Infractos penetrare ausos, sanctumque Sepulchrum
Supremi Regis cœli cultoribus olim
Restituisse piis, spoliis Orientis onustos
Non semel in patriam claros retulisse triumphos?
Publica res agitur: Christi est injuria veteris
Ulciscenda armis: dubitabitis omnia adire,
Ut vetus egregiæ renovetur gloria gentis?
Æquoris Hadriaci rectores, edita priscis
Martigenis, gens haud ulla mersabilis unda.
Italiæ specimen, lux libertatis avitæ,
Cujus gesta ævo numquam obscuranda futuro;
Ni vos firma fides servandi fœderis arctis
Nexibus obstringit, vestras nunc promite vires,
Quæ toties Asiæ vastarunt litora, & urbes,
Quæ toties pressis satiarunt classibus æquor,
Quæ toties sancta pro relligione micarunt.

Vester honos, vestri hæc victoria muneris esto.
Quotquot nunc estis diâ virtute colendi,
Seu noti ditione patrum, seu fortibus ausis,
Seu prope, sive procul, mediis vel finibus orti
Terrarum, Oceani vel fluctibus interluti,
Si vos relligio, si cultus Numinis alti
Permovet, & claris quæ debita præmia factis;
Obsessos equites nunc vestro robore fortes
Eripite instanti letho, Turcamque fugate:
Barbarus est fessus, facilis victoria Christo
Auspice, & æternos victurum nomen in annos.

## *Ad Lectorem.*

Excitus antiquæ studio pietatis ad ausus
Magnanimos hortor quo licet ore duces.
Classica sint utinam mea carmina, & arma ministrent
Pro sanctâ invictis relligione viris.

## *Ad Equites Melitenses.*

Cœlo alto demissæ animæ, dignissima cœlo
Lux invicta virûm, lux nobilitatis, ab armis
Turcarum Meliten quæ fortiter ausa tueri,
Territa non acie horrenti, non mille carinis,
Sævitiâ aut dirâ Scythicæ impietatis: ab alto
Mirantur Superi fortissima pectora, ab alto
Demittet (contemne minas, & barbara tela)
Speratum meritò auxilium. Victoria tandem
Excipiet fessos, claroque reponet Olympo
Heroas inter, melior quos protulit ætas.
Quod si fata velint patriæ pro mœnibus acres
Pugnando tantos demum finire labores,
Quid melius, quam pro patriâ procumbere fortes?
Pro fanis, arisque sacris? cui gloria major
Contigit? aut ullo potis est contingere sæclo?
Victores, victi, semper vivetis in omne

Tem-

Temporis æterni spatium: perque ora virorum
Semper honos, semper clarissima gesta sonabunt.

*Preces pro equitibus Divi Jacobi, obsessis a Turcis in Insula Melitâ.*

Dii Servatores hominum, qui dura pericla
Semper ab innocuis avertitis; illa supremo
Si Pietas cœlo quondam bene cognita vivit,
Si Virtus, si cana Fides; si cetera cordi
Sunt benefacta virûm: Melitam spectate faventes
Obsessam innumeris Europæ, Asiæque maniplis.
Hic invicta manus, delecta ex omnibus oris,
Constitit, & sanctâ pro relligione tuendâ,
Pro templis, arisque Deum pro luce piorum
Excubat, & nullis cedit fortissima damnis.
Sed non densa cohors, ceciderunt fortibus ausis
Oppressi instantis Turcarum fraude Tyranni
Multi sæpe viri, loca dum sibi credita servant.
Parva manus superest, casura heu mole malorum,
Barbarus ah fessos dum nocte, dieque fatigat.
Ille Rhodo clarâ prius exuit omnia passos.
Ille etiam Melitâ coget migrare relictâ,
Si modo qui migrent superabunt; Numine dextro
Cælicolæ adsitis: restat spes una supremi
Auxilii cœlo missi; quando omnia desunt
Humana heu miseris frustra sperata, Deûm Rex
Respice placatus summo de culmine cœli
Hunc equitum florem, nostræ hæc insignia gentis.
Roboris antiqui neu nigras ire sub umbras
Relliquias patiare Pater, tua dextera servet
Æterna dignos vita, æternisque triumphis.

*De Victoriâ contra Turcas.*

At Latio tandem pallentes dispulit umbras
Exoptata dies, & lucem reddidit almam,
Jam rediit vigor, & bello jam vivida virtus

Ad resides animos, desuetaque corda triumphis.
Vicimus, & largo fœdarunt sanguine fluctus
Jonios sceleratæ acies invisaque Divis
Agmina pontus habet. Sol ô pulcherrime salve,
Salve nobilibus gaudens Victoria palmis,
Et sæcli melior tandem surgentis Origo.
Quid primum memorem? quâ linguam in gaudia solvam
Voce prius? natat ecce mari disjecta profundo
Atque Asia atque Oriens, & vasto gurgite fractæ
Threicii jactantur opes. & sceptra tyranni.
Ipse autem longè vacuâ turbatus in aulâ,
Nuncius excidii ut tanti gravis impulit aures,
Qualis ubi ante aras percussus colla securi
Procubuit taurus, mugitibus aëra complet;
Abscinditque humeris vestem, projectaque calcat
Tegmina Achæmeniæ capiti direpta tiaræ:
Et nunc multa fremit, jactatque minantia verba,
Nunc gemit, & tristi secum sub pectore versat,
Quas condat sese in latebras, quæ limina quærat,
Riphæasne petat glacies, Tanaimque nivalem;
An campos Nomadum arentes; stipante suorum
Annè manu magnâ, an solus cum remige solo
Trajiciat fauces inglorius Hellesponti.
Ille quidem ad rapidi nuper vada concitus Hebri
Italiam contra flammantia lumina torquens,
Sanguineamque aciem, bella horrida bella ciebat,
Poscebatque, nefas! magnæ sibi mœnia Romæ,
Adriacæque urbis sedes, atque aurea sceptra.
Demens qui vires alias, & numina Divûm
Defensura pias acies non crederet, aut tot
Posse coire manus æterno fœdere junctas.
Ah nonnè indignum fuerat tot stare per annos
Infandi caput hoc monstri implacabile terris?
Perfidus hic prædo; cui nec fas, nec pudor ullus,
Nec pietatis honos, nec dulcis pignora pacis,
Sed tantum imperii, & cædis scelerata cupido,
Victor ovans tot regna armis, & divite cultu
Fortunata olim, dum rex stetit Itala, bello

Ever-

Evertit? lateque premens parere coëgit?
Interea Europa infelix discordibus armis
Certavit? propriamque amens in viscera dextram
Condidit? ille ferox amplâ regnavit in aulâ,
Impune heu nostris ereptâ Regibus aulâ?
At sceptris etiam nondum contentus avitis?
Quod superest, inhians animis, vastabat opimam
Periurus Cyprum, jamque arces culmine summo
Jam dederant Divûm, atque hominum tecta alta ruinam.
At parte ex aliâ spumabant cærula remis,
Pineaque Ægæum moles medium impellebat,
Thraciam in Italiam portans, & tristia fata.
Qualis ubi hiberno consurgens turbine nimbus
Incubuit pelago, tempestatemque sonoram
Agglomerans equitat fluctus, & litora vento
Ingenti plangit: jam fœdam instare tremiscunt
Agricolæ stragem campis; ruet ille, labores
Prosternet lætos effusâ grandine, & anni
Spem longi franget. Sed quæ sine numine divûm
Stent vires? Superûm auspiciis hinc Itala virtus,
Et vis consilii haud expers, & robora pubis
Hispanæ cursu placido maria alta secabant.
Tuque adeo cœlo juvenis demisse sereno,
Altera progenies, magnum & patris incrementum,
Augusti imperiis jam nunc ingentibus aucte,
Cui moles, & summa rei commissa Latinæ.
Tune decus nostri, & donum mirabile sæcli?
Tune velut clarum procedis Cæsaris astrum?
Et tremulum roseo perfundis lumine pontum?
I quo te virtus vocat, & fortuna secunda,
I felix, i: major avis, atavisque redibis.
Jamque mari magno tota hinc Europa vehit se,
Barbaricas acies contra mirantur & undæ,
Miratur Nereus vastas innare carinas,
Tritonesque feri se fluctibus exeruerunt,
Et procul è saxo spectant immania monstra.
Est locus Jonio in medio spumantia contra
Litora Naupacti, quo sese plurima cogit
Ar-

Atque Ithacæ scopulis illisa remurmurat unda.
Huc actæ coïere utroque ab litore gentes,
Actius Eoas hic rursum adspexit Apollo,
Hesperiasque manus armis concurrere, rursum
Instructo adspexit Leucaten fetuere Marte.
Altera classis erat Stygiis damnata tenebris;
Altera lætantes jam jam visura triumphos.
Ista Deos secum placidos in prœlia ducit;
Illa importunâ prognatas Nocte sorores.
Hinc celsâ ætheres custos, & janitor aulæ,
Illinc Tartareus residebat navita puppi.
Quo ruitis diræ heu pestes? quo lintea venti
Plena ferunt? jam jam adversa reflabitur aura
Carbasus, hæc horæ momento mille trophæa
Detrahat, hæc victis ingens dabit unda sepulchrum.
Et jam constiterant imitantes cornua Lunæ
Hinc atque hinc geminæ Classes, jam fluctuat æquor
Ære repercussum; dubiis jam sævus in armis
Horrebat Mavors, intentaque tela tenebat,
Quam nostras super advolitans Victoria puppes,
Quid dubitatis adhuc, ô nata ad fortia dextræ,
Magnanimi Heroës, crudelem exscindere gentem?
Ferte faces, remos impellite, vincite, vobis
Ipsa adero, ingentique duces sub cuspide frangam.
Dixit, & ipsa manu signum dedit, ipsa carinam
Impulit, ipsa gravem prima hastam intorsit in hostem,
Venturamne diem audistis, quæ subruat arces
Orbis, & emoto volvantur cardine cuncta
In præceps? montesque novo rapiantur in altum
Impete? non aliter tunc agmina concurrerunt.
Non aliter fragor horribilis ferit æthera, credas
Ismaren, aut Rhodopen vasto concurrere Olympo.
Fumidus ad cœlum densâ caligine nimbus
Volvitur, ex oculisque diem eripuere tenebræ.
Et jam pronus equos agitabat Phœbus anhelos;
Tum vero horrificæ penitus patuere ruinæ.
Et fera Tisiphone, luctusque & mortis imago,
Heu diræ facies medio in discrimine visæ,

Fra-

Fragmina remorum passim, fluitantia passim.
Transtra natant, proras demersis æquora rostris
Ima bibunt; superant flammæ quibus unda pepercit.
Corpora jam tot volvit aquis quot pontus arenas.
Singula quid memoro? longa est mora, gaudia nec mo
Plura sinunt: vicere pii, gens impia pœnas
Expendit: numero ex omni vix una superstes
Puppis ad ignotas contendit remige terras.
Necte humeris, pedibusque novas age nuncia tantæ
Fama rei pennas: & nubila transvola & Euros,
Quaque diem condit Vesper, qua promit Eous
Et maria, & terras his lætis vocibus imple,
Advenisse diem, qualem longæva vetustas
Non unquam vidit, non speravere minores;
Viribus eximiis regnorum, & corpore toto
Europamque, Asiamque inter discrimine magno
Certatum, palmam tanti, pretiumque laboris,
Post superum Regem quis proxima sceptra teneret,
Barbaricam nostra excussam cervice securim;
Et juga sub pedibus nostris perfracta jacere.
Quæ nuper veriti fumus, ô felicia sæcla!
O quam nos faustum Superi servastis in ævum!
Surge triumphales age victrix indue cultus
Ausonia, & gemmis splendente, auroque coronâ
Regales ornata comas solemnia vota
Exsequere, in primis solemnes instrue pompas;
Velentur lauri victrici fronde per urbes
Omnibus in templis aræ; nec munera desint,
Quæ metit Assyrius cultor felicibus arvis.
Omnibus in templis castâ cum virgine mater
Et conjux reducem jam jam amplexura maritum,
Solvite quæ toties fudistis pectore vota
Sollicito, procul hinc curæ, & dolor omnis abesto.
Quòd si cui dulces reditus patriosque negavit
Fortuna adspectus (neque enim Mars omnibus æquus)
Non hujus velut extincti lacrimabile fatum,
Non hujus fas est in funere solvere crinem,
Aut manibus lacerare genas, aut pectora pugnis,

Vi-

Vivitis illustres animæ, quæ sanguine vestro
Servastis patriam; nec vos ulla auferet ætas;
Lethææ rapient, nec muta silentia ripæ,
Atque ipse, ô utinam! vestri pars una fuissem,
Et meus ingentes inter nunc spiritus umbras
Erraret tenuis, per vulnera pulchra profusus.
O quali exceptus plausu vos credimus! ô quos
Credimus amplexus, & gaudia quanta fuisse
Per nemus Elysium secura in sede piorum!
Teque adeo te magne Heros, cui cærula Doris,
Et centum Hadriaco formosæ in litore Nymphæ
Dona suprema ferunt, ut nunc mirantur! & altis
Circumfusi humeris astant decora illa Latina
Scipiadæ, Decii, Fabii, magnique Camilli!
Utque pari conferre gradu vestigia gaudent!
Vulneraque illa lavant, queis stat Victoria nostra!
Et fluidum siccant generosa per ora cruorem!
Sed quo mens abiit mihi nunc? aut quo feror? unde
Hæc nova vis animo? quis mi calor æstuat intus?
Fallor? an æthereas concepi pectore flammas?
Ante meos oculos hinc raucâ Bosphorus undâ,
Cumque suis latè versatur Thracia campis;
Illinc Armeniæ fines, atque altus Araxes,
Et populi Europæ superandi, & litora rubra.
Haud bellum exhaustum est: haud hic vestigia plantæ
Figunt certa meæ, plus est quod mente revolvo.
Majus opus meditor, pugnatum est alite dextro,
Et virtus lato patefecit limite campum,
Quod reliquum, expugnate alacres, & pergite porrò
Ductores magni, & cœptum decurrite munus.
Ipsa adeo, soliumque superbum, atque aula tyranni
Urbs antiqua ingens, magnæ quondam æmula Romæ
Ultro sese offert, vincendaque mœnia servat.
Quæ mora? quid tandem cœptis felicibus obstat?
Quin age surgamus genus omne, & quicquid ubique est
Gentis Romanæ, quicquid sub vindice mundi
Candida signa sequi gaudet; properemus ad unum
Hoc caput; hoc nobis est denique perviciendum:
Nec

Nec prius inceptum fas eſt dimittere curſum,
Quam ſe perpetua ſolvant formidine terræ,
Accipiantque iterum leges, melioraque jura,
Atque equidem, ni vana animum præſagia fallunt,
Quos jam concurſus? quanto terramque polumque
Turbine miſceri video? jam jam ultima pulſu
Bactra gemunt, fremit hinc Boreas, ſeptemque triones,
Hinc Zephyrus; trepidant ſeptem Nili Oſtia, & Auſter
Nubibus, attonitus longe ſtupet arduus Atlas.
Scilicet hanc olim venturam certa canebant
Fata diem, quâ cœleſtum contemptor, & orbis
Everſor Latiæ ſubjectet colla cathenæ,
Suppliciterque pias humilis procumbat ad aras
Aut deſolatâ cadat ingens truncus arenâ.
Nec mora, ſubjectas omnes longo ordine gentes,
Proſpicias, Romane pater, tua templa petentes,
Poplite ſubmiſſo ſacris ferre oſcula plantis.
O ne mors fuſcis caput hoc circumvolet alis,
Noſtra nec extremâ claudantur lumina nocte,
Dum videam, quæ nunc confuſus imagine miror;
Et plectro graviore canam venientia fata,
Virtuteſque, viroſque, & tanta exordia rerum:
Omnia quæ referens operoſo carmine texam
Leminis ad patrii ſacrum caput, aut ubi dictam
Varmius ipſe ſuo de nomine prænotat arcem,
Naïade cœleſti fortunatiſſimus amnis.
Ipſe canam; ſecura meis dabis otia Muſis,
Tu Grimane Heros, quo tellus ſilvia gaudet
Principe, quo melius nobis nil fata dederunt;
Et modò quæ canimus tua ſunt non mollia juſſa.
Atque utinam magni te cœli regia terris
Non prius invideat, quàm cernam ſæcula condi
Aurea; nam pars hujus eris tu magna laboris,
Tarpejoque Jovi propior propiora tenebis.
Quare ades, & placidè aſpira majoribus orſis:
Huc ades, atque animum præſenti Numine firma.

*De intempestivo rosarum ortu.*

Flore novo, & variis hyberno frigore Virgo
   Adrias effundit plena canistra rosis,
Datque inter gelidæ canentia munera brumæ
   Intempestivas cernere veris opes.
Quid premere Imperio nequeas pulcherrima Virgo,
   Si cedit rerum jam tibi magna parens?
Arbitrioque tuo se permittentia, cursus
   Atque vices obeunt ipsa elementa novas?

---

# FULVII SIGISMUNDI MANNII SENENSIS.



*In laudem Cosmi Medici Ducis.*

SAlve, Cosme Pater, lux o clarissima prolis,
   O decus, o Patriæ gloria summa tuæ.
Inclite Cosme, tuum Musa hæc mea numen adorat,
   Et gaudet sceptro quod tua dextra tenet.
Italides Musæ merito te carmine dulci
   Extollunt semper thura dabuntque tibi.
Et tua odorato tangunt nunc labra liquore,
   Orantes Phœbum quo tua facta canat;
Qui blandus cytharam plectro dum pulsat eburno
   Nil majus terris quam tua, Cosme, canit,
Te celebrant pariter cunctæ, justissime Cosme,
   Musæ, quæ Cynthum, Castaliumque colunt.
Te duce te gaudent, post magni incendia belli
   Optatam pacem, justitiamque coli.

At-

Atque viros regesque simul succumbere paci,
  Armaque in obscuro condere cuncta loco.
Hoc tempus venisse boni jam denique gaudent,
  Quo pœnæ meritum des homicida caput,
Menteque qui recta patriam nunc diligat, omnis
  Vivat contentus munere, Cosme, tuo.
Tum gaudent Nymphæ Tuscis in montibus æquè
  Tingere nunc lymphis corpora posse suis.
Cum prius haud possent umquam se mergere tuto,
  Nudaque desertis credere membra locis.
Hincque tibi dignas semper persolvere grates,
  Dum poterunt, quærent, carmine, voce, lyra.
Nunc ego quid de te referam, dignissime Cosme?
  Quæ faciam sceptro carmina digna tuo?
Tu decus æternum, spes es clarissima mundi,
  Nos pietate tua, justitiaque regis.
Cum tu sis clemens, nulli pietate secundus,
  In terris nota, sidereoque Polo.
Certior at Senæ spes es fidissima rebus,
  Quod digno tandem fata dedere tibi.
Etruscæ gentis Dux ex, dignissime regno
  Italiæ, atque omnis, quem tenet Orbis, agri.
Te cives Senæ, pueri, juvenesque, senesque
  Extollunt merito, te dominumque canunt.
Atque ego tum natos semper, pulchrosque nepotes
  Dicam, dum vitam fata, Deusque dabunt.
Sed majora tibi summus concedit Olympus,
  Quodque potes vitæ jam superesse tuæ.
Nataque Chironis divino afflata furore
  Prædixit prolem jam fore, Cosme, tibi.
Quam Phœbo similem prædixit in orbe futuram
  Qui sua diffundit lumina clara Deus.
Vive diu felix (statuunt id sidera) natis
  Nempe relicturus maxima regna tuis.



De

*De tempore sui primi Amoris allegorice in Virtutem.*

Tempore, quo pueri incensis de more furentes
Urbe vagabantur facibus, Bacchumque vocabant,
Juniperum ardentem gestans, mea Praxia pulchra
Ibat, eratque simul multis comitata puellis.
Aurea cui roseam cingebat fibula vestem,
Atque comas myrtus comptas ornarat odora.
Arte sua positæ pendebant pectore gemmæ,
At forma comites superabat pulchrior omnes:
Tunc primum injecit flammas, curasque Cupido
Ossibus inde meis, ac fregit pectora telo
Aurato, ast illam potuit transfigere plumbo:
Hinc fugit illa, sequor, nec me vult sæva videre,
Illa meos numquam tristes miserata dolores.
Uror, & assidue consumit flamma medullas;
Nec tamen his gravibus curis hæc dura movetur.
Ergo quæ nobis est spes injecta salutis,
Ni tu, magne Puer, nostros miseratus amores
Auxilio tantas depellas pectore curas?
Fac igitur Veneris flammis teneatur eisdem,
Atque animum precibus deponat dura superbum.

*Ad Franciscum.*

Non semper fortuna favet, nec blandus Apollo
  Auratos arcus tendit, amice, tuos.

*Laudatur constantia in studiis.*

Turpia, chare puer, quod liqueris ocia, lætor,
  Atque operam studiis des, animumque bonis;
Namque tibi recte sic consulis, ocia prosunt
  Ecquid? non multis sunt alimenta malis?
Non bona cuncta parit studium laudemque reportat,
  Non fama illustres tollit ad astra viros?
Fac pergas igitur, quando constantia palmam
  Affert, & doctis munera summa parat.

Re-

*Remittendum esse studiis diebus Canicularibus.*

Cur puer nullum studiis remittis
  Tempus, et curis animum fatigas
  Semper invictum, vacuum labore
    Nec finis unquam?
Nunc tibi quamvis faveat caterva
  Docta Musarum, celebretque miras
  Nunc tuas laudes, feratque ad astra
    Carmine dulci.
Teque jam Pallas doceat sagacem,
  Non tamen semper licet hoc calore
  Lucidis doctis animum [illegible]
    Ut facis, [illegible]
Non decet semper penetrare cunctos
  Mysticos sensus, variosque libros,
  Quod solet tandem, [illegible] laborum
    Praemia [illegible]
Siste nunc ergo, prohibent amici,
  Id tibi ardentes prohibent calores,
  Nosque defessos nimio labore
    Sirius urget.
Et bibens laetus bona vina [illegible]
  Cum lyra dulci, gravibus relictis,
  Et canas Phoebi fugiens sub umbra
    Lumina, et aestus.
Otium tempus tamen [illegible],
  Quod mali multis alimenta praebet,
  Et vitii fovet labes, atque famam
    Praecipit omnem.



# MARCELLI JACOBI MANNII SENENSIS

*Ad Cives, dissensionibus disjunctos, ut in patriam revertantur, cohortatio.*

CRedite, nunc tandem tenebris, & nubibus atris
Defessi cives, longum deponite bellum,
Et sponte imperium Cosmo deferte benigno:
Solvite jam cœca miseri formidine mentem,
Et manibus castis superis persolvite grates;
Lætus enim nunc finis adest, requiesque laborum,
Quam pater omnipotens jam nos miseratus ab alto
Detulit in terras, regesque quiescere jussit
Non equidem vereor, quin vobis omnia demum
Præsidia exciderint variis tot casibus actis
Cum vos cœcus agat furor, vesana libido.
Linquere num generos fas est, miserasque parentes,
Uxores, patriamque simul, charosque nepotes?
Qui lacrimis tristem vultum, pectusque rigantes,
Assidue junctas tendunt ad sidera palmas,
Atque orant pacem, & dextris conjungere dextras
Expectant avidi, coramque audire loquentes.
At si tantus amor [illegible] sua pectora cogit,
Nec pietas agitat patriæ gentique dolores,
Ultimum at exitium moveat, cædesque futuræ.
Rumpite, quæso, moras, vestrasque revisite sedes,
Eripite his nebulis, atra & caligine mentem,

Nec vos pœniteat patrios placare penates.
Bella procul fugite, & terris avertite vestris:
Exigit hoc pietas, ut cives pace fruantur.
O utinam numquam Galli, Hispanique petissent
Italiam, & numquam tetigissent litora Etrusca,
Non afflicta foret nostrum hæc tot cladibus ætas,
Nec longe a patria raperet discordia cives.
Pacem ergo optate, & belli contemnite pestem,
Jungiteque officiis animos per mutua nexis.
Cosmus erit vobis dux, quo nec justior alter,
Nec pietate fuit major, nec clarior armis,
Hic decus Italiæ, lux est clarissima Mundi,
Hic populos æquè cives complectitur omnes.
Hem legite hunc patrem vobis regemque benignum;
Vulneribus Medicum vestris adhibete peritum.
Omnia jam mitis peraget, curasque levabit.
Tales namque illi vires jam fata dederunt.
Quare agite ex bello cives impune recepti
Nec bona, nec patriam, nec pacem temnite vestram.

*Ad puerum, ut onera sibi aqua suscipiat, ex Phaëtontis fabella.*

Parve puer properans onera intentata subire,
  Quæque vides humeris non satis apta tuis;
Aspice quàm misere puer hic Clymenejus audax
  Munera obire patris, fulmine tactus obit.

*Pro amico, ab amica deluso.*

Expecta, expecta dicit mea Delia semper,
  Namque ferent lætam tempora longa diem.
Torqueor interea, veniunt hæc tempora numquam.
  At veniet, quando mox periturus ero.

*De Lydiæ dolo in Cupidinem.*

Candida per densas iret dum Lydia silvas,
  Venit, quo vario flore nitebat humus:
Illic defessum fontis prope murmura natum
  Conspexit Veneris, sævaque tela simul.
Altus forte sopor pueri tum membra tenebat;
  Clam celeri pharetram subripit illa dolo:
Et dixit fugiens: jam nunc tua tela nocebunt
  Impia, quæ soleant lædere sæpe viros.

*Quod ad amores redeat invitus.*

*Pro amico.*

Nuper a cæco fueram solutus
  Igne, spinosis, gravibusque curis,
  Nec Venus duris misere premebat
    Colla catenis.
Nec pharetrati pueri sagittæ
  Pectori hærebant [illegible]
  Sic meam vitam, volucrique ducta
    Vulnera ferro.
Sed quod ingratam posuere legem,
  Et trahunt duræ mea fila Parcæ,
  Quodque sic optant mihi fata sæva,
    Reddor amori.
Cor meum semper [illegible], quod olim
  Deliæ a vinclis fuerat revulsum,
  Deliæ infelix rediit sub [illegible]
    Pectora rursus.
Ut sub angustam caveam reversus
  Psitacus, parco fruiturque cœlo,
  Nescius, quantum valeat potestas
    Libera vitæ;
Sic miser quodvis dominæ jubenti

Car-

Carcere incluſus ſubigor ſuperbus,
Cujus aſpectu graviora pendent
Vulnera mille.
Certè ego ad luctus, laqueoſque duros,
Ad graves flammas, Veneriſque curas
Natus, illius fera ſemper ardens
Juſſa ſubibo.

*Ad Octavianum Portiguerram, Muſis amicum.*

Cur meos doctà celebras Camœna,
Debitos vere tibi nunc, honores?
Sic tuum tollis melius reſurgens
Nomen ad aſtra.
Sic ſacros dulci ſuperas Poëtas
Barbito, & Phœbus tibi ſemper æquus
Intimos pandit latices ſororum,
Tectaque Divum.
Ceteros ſumas celebrare dignos.
Impotens tantas refugit palæſtras
Ipſe, cui Phœbus dedit arte mira
Condere verſus.

*Queritur amorem non eſſe mutuum. Pro amico rogante.*

Quid mihi Gradivus ſi Mars, Bellonaque certent,
Et pariter Reges horrida bella gerant?
Quid mihi, ſi pereant homines, armenta, gregeſque,
Aut nunc ſit cunctis faucibus atra fames?
Quid mihi ſi totum penitus nunc corruat æther
Cum terra, & totas ſorbeat unda domos?
Hæc mihi num poſſent tantos lenire dolores,
Et mulcere ſimul vulnera quæ patior?
Nam Cytherea Venus nunc, alatuſque Cupido
Contra me miſerum tot ſua tela movent.

Nec secus ac flammâ Æthnææ, Vesuliique favillæ
  Mens mea nunc flagrat, cor animusque simul.
Lydia nec sentit, nulloque accenditur igni,
  Mutuus haud duro pectore vivit amor.
Viveret o utinam, similique calesceret æstu;
  Ac esset cunctis ossibus ignis edax.
Quam leviora forent mihi jam mea vulnera, quam nunc
  Imperium possem ferre Cupidineum!
Sed nobis nec pectus amor transfixit eodem
  Telo; nam solum pars mea vulnus habet.

*In laudem cujusdam Accensi.*

Diva Musarum Jovis alma proles,
  Cui pater vocem tribuit sonoram,
  Tange nunc docto cytharæ sonantis
    Pollice chordas.
Et modis paulum gravibus relictis,
  Nunc velis mecum leviore plectro
  Hujus e caro numero poëtarum
    Edere versus.
Majus hic Phœbi decus, hic latinæ
  Et decus Musæ, ac Heliconis ornat,
  Dum velint Parcæ tetricæ, nec atra
    Stamina ducant.
Hunc parens Divum Cybele disertum
  Inter Accensos alit, ut sacratæ
  Sit suæ Pinus odor, atque fructus
    Notus in orbe.
Spiritum clarum dedit huic Apollo,
  Carmen & doctum, ingeniumque præstans
  Omnibus Musis, superisque tandem
    Fecit amicum.
Hic feros angues, rapidasque Tygres
  Lenit, hic rivos celeres morari
  Cogit, hic ducit scopulos, Notosque
    Carmine mulcet.

Quin

Quin sono dulci movet atra reges
Tartari, & manes stupeant, interque
Æacus justas fide blandienti
Deserat artes.

Cerberus ponens furiale centum
Anguibus diris caput, inter umbras
Cessat, & Pluto recubans supinus
Stertit in antro.



# JO: BAPTISTÆ MANTUANI

## BUCOLICON AD PARIDEM CERESARIUM.

### FAUSTUS. Ecloga Prima
### De honesto Amore, & felici ejus exitu.

*Fortunatus, Faustus.*

*Fo.* FAuste precor gelida quãdo pecus omne sub umbra
Ruminat, antiquos paulum recitemus amores.
Ne si forte sopor nos occupet, ulla ferarum
Quæ modo per segetes tacite insidiantur adultas,
Sæviat in pecudes: melior vigilantia somno.
*Fau.* Hic locus, hæc eadem sub qua requiescimus arbor
Scit quibus ingemui curis, quibus ignibus arsi
Ante duos, vel ni memini male, quatuor annos.
Sed tibi quando vacat, quando est jocunda relatu,
Historiam prima repetens ab origine pandam.
Hic ego dum sequerer primis armenta sub annis,
Veste solo strata sedi, jacuique supinus,
Cum gemitu, & lacrimis mea tristia fata revolvens.
Nulla quies mihi dulcis erat; nullus labor; ægro
Pectore sensus iners, & mens torpore sepulta.
Ut stomachus languentis erat, quem nulla ciborum
Blandimenta movent, quem nulla invitat orexis.
Carminis occiderat studium, jam nulla sonabat
Fistula disparibus calamis, odiosus & arcus,
Funda odiosa, canes odiosi, odiosa volucrum
Præda, nucum calices cultro enucleare molestum.
Texere fiscellam junco, vel vimine, piscem

Pallere, scrutari nidos, captare palumbes,
Sortiri digitis res iniucunda, voluptas
Magna prius, tamen dum mens erat inscia morbi,
Colligere agrestes uvas, & fraga perosus,
Mœrebam ut pastu rediens Philomela, cibumque
Ore ferens nati, vacuo sua pignora nido
Cum sublata videt, rostro cadit esca remisso,
Cor stupet, & contra nidos suppos, arboris altæ
Fronde sedet plorans infelices hymenæos.
Seu velut amisso partu formosa iuvenca,
Quæ postquam lacrimis altis mugitibus agros
Complevit, residens pallenti sola sub umbra,
Gramina non carpit, nec fluminis attrahit undam.
Sed quid circuitus per'o tibi pedia longo?
Dum sequor ambages, & verba, & tempora perdo.
Summa hæc, vitales auras invitus agebam.
Quod si forte volens cognoscere singula dices,
Fauste, quis istius Author tecum pegerat istas?
Me mea (verum etenim tibi Fortunate fatebor)
Me mea Galla suo sic circumvenerat ore,
Ut captam pedica circumdat aranea muscam.
Namque erat ore rubens, & plena turgida vultu,
Et quamvis oculo pene esset inutilis uno,
Cum tamen illius faciem mirabar, & annos,
Dicebam Triviæ formam nihil esse Dianæ.
*For*. Ludit amor sensus, oculos perstringit, & aufert
Libertatem animi, & mira nos fascinat arte.
Credo aliquis Dæmon subiens præcordia, flammam
Concitat, & raptam tollit de cardine mentem.
Nec Deus (ut perhibent) amor est, sed amaror, & error.
*Fau*. Adde quod optatis nec spes erat ulla potiri,
Quamvis illa meo misereri faveret amori,
Monstraretque suos oculis, ac nutibus ignes.
Nam quocunque iret, semper comes aspera, semper
Nupta sequebatur soror, & durissima mater.
Sicque repugnabant votis contraria nostris;
Non secus ac muri cattus: illic insidere portis
Nititur, hic rimas oculis observat acutis.

*For*.

*For.* Qui satur est pleno laudat jejunia ventre,
Et quem nulla premit sitis est sitientibus asper.
*Fau.* Tempus erat curva segetes incidere falce,
Et late albebant flaventibus hordea culmis.
Adfuit (ut mos est) natis comitata duabus
Collectura parens, quæ præterit hordea messor.
Ignorabat enim, vel dissimulabat amorem.
Dissimulasse puto, quoniam data munera natæ
Noverat, exiguum leporem, geminasque palumbes.
*For.* Pauperies inimica bonis est moribus, omne
Labitur in vitium, culpæ, scelerumque ministra est.
*Fau.* Farra legens, ibat mea per vestigia virgo
Nuda pedem, discincta sinum, spoliata lacertos,
Ut decet æstatem, quæ solibus ardet iniquis.
Tecta caput fronde intorta, quia sole perusta
Fusca fit, & voto facies non servit amantum.
Jam tergo vicina meo, laterique propinqua,
Sponte mea delapsa manu frumenta legebat.
Nec celare suas nec vincere femina curas,
Nec differre potest, tantum levitatis in illa est.
*For.* Quisquis amat levis est, nec femina sola, sed ipsi
Quos sapere, & præstare aliis mortalibus ajunt.
Quos operit latus fulgenti murice clavus.
Quos vidi elatos regali incedere passu.
Tu quoque sic affectus eras dementior illa,
Forsitan, & levior: virgo data farra legebat,
At tu farra dabas. dic quæ dementia major?
Perge, opus est verbis aliquando arcere soporem.
*Fau.* Continuo aspiciens, ægre tulit aspera mater.
Et clamans, quo dixit abis? cur deseris agmen?
Galla veni, namque hic alnos prope mitior umbra,
Hic tremulas inter frondes immurmurat aura.
O invisa meis vox auribus, ite precabar,
Ite, malam venti celeres dispergite vocem.
Siquis pastor oves ad pinguia pascua ducat,
Et veter adductas præsens decerpere gramen,
Vel si jam pastas potum compellat ad amnem,
Et sitibundo ori salientem deneget undam,

Non

Non ne importunus? naturæ inimicus, & excors?
Illa mihi vox visa Jovis violentior ira,
Cum tonat, & pluvius terris irascitur aër.
Non potui, & volui frontem non flectere; virgo
Demissis aliunde sui velaminis oris,
Me aspiciens motis blande subrisit ocellis.
Id cernens iterum natam vocat improba mater.
Galla operi magis intendens audire recusat.
Ut pede sic animo sequitur, tum providus ipse,
Namque dolos inspirat amor, fraudesque ministrat,
Nunc cantu, nunc sollicitans clamore metentes
Velamenta dabam sceleri, quo credere possent
Et soror, & mater, non audivisse puellam.
Falce repellebam sentes, ne crura sequentis
Levia, ne teneras ausint offendere plantas.
*For.* Quisquis amat servit, sequitur captivus amantem,
Fert domita cervice jugum, fert verbera tergo
Dulcia, fert stimulos, trahit & bovis instar aratrum.
*Fau.* Tu quoque, ut hinc video, non es ignarus amorum.
*For.* Id commune malum semel insanivimus omnes.
*Fau.* Hoc animi tam triste bonum, tam dulce venenum
Cottidie crudele magis crescebat in horas,
Ut calor: in nonam dum lux attollitur horam.
Pallebam attonito similis, lymphaticus, amens,
Immemor; insomnis, nec erat res ardua morbi
Nosse genus; frons est animi mutabilis index,
Ut pater advertit: mitem se præbuit ultra
Consuetum quod & ipse suos expertus, amorum
Sciret onus, blandoque loquens humaniter ore,
Dic inquit, dic Fauste, quid hoc quod pectore volvis?
Infelix puer; hæc facies testatur amorem.
Dic mihi, ne pudeat curas aperire parenti.
*For.* Sit licet in natos facies austera parentum,
Æqua tamen semper mens est, & amica voluptas.
*Fau.* Ut facilem pater affectum præ se tulit, ultro
Rem confessus opem petii, promisit, & ante
Quam brumale gelu borealibus arva pruinis
Spargeret, agnati unanimes cum patre puellam

De.

Despondere mihi, nec adhuc sine testibus illi
Congrediebar, eram medio sitibundus in amne
Tantalus, o quoties misso cum bubus aratro
Ut vacuis aliquando esset sola ædibus ibam.
Omnia causabar, stivam, dentale, jugumque,
Lora jugi, rastrum, deerant quæcumque petebam,
E soceri lare, sola tamen deerat mihi, virgo.
Non deeram mihi, piscator, venator, & auceps
Factus eram, & sollers studiis intermissa resumpsi.
Quidquid erat prædæ, quidquid fortuna tulisset
Ad soceros ibat, gener officiosus habebar,
Nocte semel media subeuntem limina furtim,
Sic etenim pactus fueram cum virgine, furem
Esse rati, invasere canes, ego protinus altam
Transiliens sepem vix ora latrantia fugi.
His tandem studiis hyemem transegimus illam.
Ver rediit, jam silva viret, jam vinea frondet,
Jam spicata Ceres, jam cogitat hordea messor,
Splendidulis jam nocte volant Lampurides alis.
Ecce dies genialis adest, mihi ducitur uxor.
Sed quid opus multis? nox expectata duobus
Venit, & in portum vento ratis acta secundo est.
Tum bove mactato gemina convivia luce
Sub patula instructis celebravimus arbore mensis.
Adfuit Oenophilus, multoque solutus Iaccho
Tempestiva dedit toti spectacula vico.
Et cum multifori Tonius, cui tibia buxo,
Tandem post epulas, & pocula, multicolorem
Utriculum sumpsit, buccasque inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit, ciliisque levatis,
Multotiesque altis flatu à pulmonibus hausto
Utrem implet, cubito vocem dat tibia presso.
Nunc huc, nunc illuc digito saliente vocavit
Pinguibus à mensis juvenes ad compita cantu.
Saltidicoque dulcique diem certamine clausit.
Et jam tres hiemes abiere, & proximat æstas.
Quarta dies rapidis (sique est bona) præterit horis.
Si qua placent, abeunt; inimica tenacius hærent.

Fer.

*For.* Fauste vides? vicina pecus vineta subintrat:
Jam (ne forte gravi mulcta taxemur) eundum est.

## FORTUNATUS. Ecloga Secunda.

### De Amoris insania.

*Faustus, Fortunatus.*

*Fau.* Cur tam serus ades? quid te, jam septima lux est,
Detinuit, gregibusne nocent hæc pascua nostris?
*For.* Fauste Padus nostros qui præterlabitur agros
Creverat, & tumidis ripas æquaverat undis.
Nos curâ gregis omissâ privata coegit
Publicaque utilitas ripam munire dehiscis
Nocturnisque operis, fluviumque arcere furentem.
*Fau.* Forte Padus [illegible] mala sæpius omina, noster
Tityrus est auctor, qui pascua dixit, & arva.
*Fo.* Forsitan id verum, quando extra tempora, & ultra
Mensuram, atque modum, subito concreverit æstu.
Nunc autem id poscit tempus, jam liquitur altis
Nix hiberna jugis, implent cava flumina montes.
*Fa.* Se exonerant fluviosque onerant, sic flumina rursum
Se exonerant, pelagusque onerant, hominumque mos est
Quæ nos cumque premunt, alieno imponere tergo.
*For.* Sed jam contractum revocat sinus devius amnem.
*Faust.* Decrescente Pado, (dictu mirabile) nuper,
Fortunate, locus majoribus æstuat undis;
Urbs natat, obscuræ sunt cellaria fossæ.
Lintre vados adeunt, [illegible] ad vina ministri
Ridet, et imis fertur [illegible]
Multa, licet nati fuerint melioribus horis,
Multa, & magna ferunt aliquando incommoda cives.
*For.* Commoditas omnis sua fert incommoda secum.
Et sorti appendix est illætabilis omni.
Hactenus Eridanus: nostros repetamus amores,
Quandoquidem nunc alma Venus movet omnia, cœlum
Luce tepet nitida, tellus viret, arva volucres
Cantibus exhilarant [illegible], nunc omnia [illegible].

Tu

Tu tua lusisti, sed nos aliena sequamur.
Namque tibi nostri referam pastoris amores,
Ut doceam Veneris nihil esse potentius igne.
Pauper & infesto sub sidere natus Amyntas,
Sex vitulos, totidemque pares ætate juvencas,
Armentique patrem ducens in pascua taurum,
Venerat ad coitum, nitidis ubi Mincius undis
Abluit herbosos fugiens perniciter agros.
Arx nova propter aquas pinnatis ardua muris
Est coitus, campo moles fundata palustri.
Hic igitur recubans, vitrei prope fluminis undam,
Vitis ubi amplectens longis dumeta lacertis,
In vada curvatæ ripæ supereminet umbra,
Piscibus insidias tendebat arundine, & hamo.
Messis erat: soles rapidi violentius campos
Sciderant arentes, finem Philomela canendi
Fecerat, & neque lux passim morientibus herbis
Pascere oves poterat, neque nox humore cicadas.
Dumque incumbit aquis, studioque intendit inani,
Taurus (ut auditum est) primum vexatus ab œstro,
Mox canibus, demum fugari a milite fictis
Abditus, ex toto confestim evanuit agro.
Quod puer ut novit, tumulum conscendit, & alta
Voce bovem clamans, longo iam omnia visu
Prospicit: ut frustra niti se comperit, arcum
Corripit, & pharetram, sequiturque per invia taurum.
Illum per caulas, & per stabula omnia quærens,
Per colles Benace tuos, per consita olivis
Jugera, per virides ficis, & vitibus agros
Venerat ad sublime jugum, quod sulphuris arcem
Sustinet, & longis aperit prospectibus illinc
Benacum, hinc campos longe lateque patentes.
Lux ea sacra fuit Petro: frondente sub ulmo
Mixta erat ex omni pubes post prandia vico,
Ducebatque leves buxo resonante choreas.
Fau Rustica gens, nulla genus arte domabile, semper
Inrequietum animal, gaudet sudore peracto,
Mane sacra festa (quando omnibus otia) luce

Ipsa

Ipsa otii, ac satiis impatiens epulatur, & implet
Ingluviem, audito properat tibicine ad ulmum:
Hic furit, hic saltu fertur bovis instar ad auras,
Quam rastris versare nefas, & vomere terram
Calcibus obduris, & inerti mole fatigat,
Ac ferit, & tota Baccho facit orgia luce,
Vociferans, ridens, saliens, & pocula siccans.

*Fo.* Stulte quid haec faris? solatia rustica damnas
Rusticus ipse? tuis malus es, tibi pessimus ipsi.

*Fau.* Dicta joco fuerint, nostrum repetamus Amyntam.

*Fo.* Continuit gressum, baculoque innixus aestu
Intermisit iter, donec mitesceret aestus.
Ah puer infelix, aestus te major in umbra
Corripiet, nudam videas ne in fonte Dianam:
Claude oculos, blandis neu dea Sirenibus aurem.
Sors tua Narcisso similis, Narcissus in undis
Dum sedare sitim properat, sitit amplius: at tu
Exteriorem aestum fugiens intrinsecus ardes.
Quam melius fuerat (nisi te sic fata tulissent)
Ad reliquum rediisse pecus, servasse juvencas,
Amissi bovis aequo animo dispendia ferre,
Quam dum conaris nil perdere, perdere te ipsum.

*Fau.* Sed post jacturam quis non sapit? utile non est
Consilium post facta, dari quod oportuit ante.
Consilium post facta, imber post tempora frugum.

*Fo.* Una puellares inter pulcherrima turmas
Virgo erat, flava comas, aliis procerior, annos
Nata quater quinos, vel circiter, ore nitenti
Urbanis certare potens, & vincere Nymphis.
Aureolis radians guttis ad tempora limbus
Ibat, & ad pectus clausum velamen aheno
Claviculo, mediam fulgenti fibula ferro
Stringit in angustum; nova candidat instita lapsa
Linea rugosa, pedibusque allabitur imis.
Hanc puer ut vidit, periit, flammasque tuendo
Hausit, & in pectus caecos absorbuit ignes:
Ignes, quos nec aquis perimi potuere, nec umbris
Diminui, neque graminibus magicisve susurris.

Obli-

Qualiscunque greges, & damna domestica totus
Uritur, & noctes in luctum expendit amaras.
Sæpe gravescentem verbis compescere flammam
Nitebar, & insanum juvenis cohibere furorem.
Dicebam, miserande puer, quis te Deus istas
Misit in ambages? sed non Deus, immo Satanas
Pessimus, ex illis quos noctibus atque diebus
Ter tribus in terras fama est ab æthere lapsos.
Dic age si nosti quenquam, reminiscere, quem sis
Vidisse hoc pacto ditescere, surgere in altum,
Dilatare domum, majoribus addere census,
Complere his studiis? extendere latius agros,
Multiplicare greges, acquirere pascua bubus
Inter tot populos, quot habet [illegible]
Sunt qui nostra [illegible] mensis epulanda [illegible]
Corpora, & humanos absumunt dentibus artus.
Sunt in quaque [illegible].
Sed nullum est tam immane genus [illegible] nunquã
Gens, quæ [illegible] non exerceat [illegible]
Hinc veniunt risus, veniunt & jurgia [illegible]
Sæpe etiam dirus multo cum sanguine [illegible]
Hinc quoque delectis eversis mœnibus urbes
Ipse etiam leges, [illegible]
Clausa vetant scelera hæc, & [illegible].
Ut leges audivit, ad hæc respondit Amyntas
Civis enim factus puer, & versatus in urbe
His monitis prudens, & circumspectus haberi
Niteris, & sensu tetricos antire Catones.
Error hic, hæc passim sapiens dementia regnat.
Ipse sibi blanditur homo, [illegible] putat
Vult animal, tamen incautus sibi multa tetendit
Retia, & in foveam cecidit, quam fecerat ipse.
Liber erat, servile jugum sibi condidit ipse.
Pondus id est legum (vidi ipse volumina) quod nec
Antiqui potuere patres, nec possumus ipsi,
Nec servare ætas poterit ventura nepotum.
Aspice quam stulta est hominum prudentia, cælum
Sperat, & esse sibi [illegible] credit.

Forsi-

Forsitan in volucrem moriens transibit, & altum
Spiritus assumptis tranabit ad æthera pennis.
Tunc ego quid latras? legum Deus auctor, & ipsis
Non parere, sapit magnam nimis impietatem.
Grandia de magnis hæc sunt certamina rebus.
Quid fuerim reris? quamvis pannosus, & asper
Sim modo, tunc animo, tunc vi, tunc ore valebam,
Nec mihi sese alius poterat componere pastor.
*Fau.* Nunc quoque si rectus vultu gradiare supino.
Alter eris Marius, raso ore videbere Carbo
*For.* Talia respondit sic objurgatus Amyntas.
Facto homini, Deus invidit, concessa voluptas
Visa bonum nimis excellens, & vota repressit
Legibus inventis, ut equi ligat ora capistro,
Ne quocumque libet flectat vestigia, sessor.
Quæ mea sit me cogit amor, sententia, fari,
Liberaque ora facit, qui non communicat usum
Conjugis, invidus est livorem excusat honestas
Introducta usu longi livoris iniquo.
Nam dum quisque sibi retinet sua gaudia, nec vult
Publica, communis mos, ac longævus honestas
Factus, & hunc morem fecit dementia legem.
Invida res amor est, atque invidiosa voluptas.
Tunc ego non audens hominem contendere contra
Amplius, insano rediens ab amante recessi.
*Fau.* Cernis ut hic malus affectus sic lumina mentis
Claudat, in errores ut sponte feramur apertos?
*For.* Cernis ut a summo liventia nubila Baldo
Se agglomerent? oritur grando; ne forte vagantes
Tempestas deprendat oves: discedere tempus.

## AMYNTAS. Ecloga Tertia.
### De insani Amoris exitu infelici.

*Faustus, Fortunatus.*

*Fau.* Illa hesterna ruens baldi de vertice grando,
Fortunate, fuit nobis innoxia: divis

Gratia, nostrarum quibus est custodia frugum.
Sed veluti ex illis veniens ait Harculus oris,
Veronensem agrum pecudes & ovilia, sic est
Demolita casas, & pastoralia tecta:
Sic evertit, ut agricolis spes nulla supersit.
Agricolis etenim pecus est substantia & arva,
His subjecta malis; grandi thesaurus in arca
Civibus est, quem nulla queat confundere grando,
Nulla pruina, gelu nullum, nullæ aëris iræ.
*For* Nescio quis ventos, tempestatesque gubernat.
Id scio, sed neque si scio, iam scio, sed tamen ausim
Dicere, quid vita, ne ideo multabor in ipsa?
Numina si (ut perhibent) orbem moderantur ab alto,
Æstimo nil duros hominum curare labores.
Aspice quo tenuem victum sudore paramus.
Quot mala pro grege, pro natis, pro conjuge pastor
Fert miser, infestis æstate caloribus ardet,
Frigoribus riget hibernis, dormitur ad imbrem
Cotibus in duris, vel humi, contagia mille,
Mille premunt morbi pecudes, discrimina mille
Sollicitant, latro insidias intentat ovili,
Atque lupus, milesque lupo furacior omni,
Ut manus assiduo detrita incalluit usu,
Squalluit os, barba obriguit, cutis aruit æstu.
Una repentino rapit omnia turbine grando.
Hos superi faciunt, quibus inclinamur ad aras,
Et quibus offerimus faculas, & cerea vota.
Nescio quæ pietas, & quæ clementia tantis
Cladibus involvat pastores omnium egenos.
*Fau.* Fortunate, scelus nobis hæc omnia nostrum
Ingerit, ætherei sententia judicis æqua est.
*For.* Quod scelus? an fuimus Christi vitæ insidiati?
*Fau.* Jurgia, furta, iræ, Venus, & mendacia, rixæ.
*For.* Quid meruere boni? nec enim scelus obruit omnes.
Et tamen una omnes pariter pessundat Erinnys.
*Fau* Heu nescis: male de superis sentire nefandum.
His igitur quæ scire nefas, nescire necesse est,
Posthabitis, curas iterum repetamus Amyntæ.

Quas sumus experti, quas ignorare negatum est;
Res vulgatis amor, studium commune juventæ.
*For.* Mœror, & affectus alii de cardine mentem
Sæpe levant, animo fermo venit æger ab ægro.
*Fau.* Intellecta licet pro re, pro tempore fari.
Sic habitus Cosmas sapiens, incognita numquam.
*For.* Fauste sapis, notos igitur repetamus amores.
Restat Amynteos postrema in fata furores
Ducere, & in misero lacrimas impendere casu.
Præteriens illac parvo post tempore rursum
Insanire hominem video, & miseratus amantem,
O iterum, dixi, mens inconsulta veneno
Ebria fatali, populo jam fabula factus
Non resipiscis adhuc, & adhuc in amore sepultus
Te tuis, atque tuos, pecus, atque mapalia tecum,
Ut quondam moriens rapuit secum omnia Sampson?
Cum senio curvatus eris, si forte senectam
Fata tibi dederint, quis sustentabit inertem?
Somni plenum, inopem, cum jam defecerit omne
Robur, & ingenium, sensusque recesserit omnis?
Hæc tibi cuncta feret, nisi mors prævenerit, ætas.
Esto domi vigila, observa, super omnia semper
Prospice quo tendas, & quo venisse dolendum est,
Ire cave, discerne vias, hominemque memento
Non ad delicias, non ad muliebra natum
Blandimenta levi tam perniciosa juventæ.
Ipse ego cui pecudes, cui lac, cui caseus, ægre
Vitam ago, tanta agros omnes invasit egestas,
Tot duri rerum eventus, incommoda passim
Tanta, tot adversis totus consolvitur orbis.
Accipe rem non auditam, non tempore factam
Præterito, sed quam lux hæc mihi protulit ipsi.
Ut mos, autumno pecudes crescente totondi.
Mane foro exposui lanæ venalia pondo,
Sexaginta hodie, grande æs conflare putabam.
Vix vitam gregis eduxi, vix pabula possum
Mercari hibernis nivibus: quo cetera pacto
Sit victura domus, nondum mihi constat, Amynta.

Quisquis amat, dominæ munuscula mittat oportet.
Tu vero cui vix tectum fortuna reliquit,
Sub quo luce habitat, sub quo pernoctat egestas,
Quid poteris cupidæ gratum donare puellæ?
Mittere mala decem satis esse solebat amanti.
Purpurei flores, & raptus ab arbore nidus,
Gramen odoriferum, memini quo tempore magnæ
Credebantur opes, ventum est a gramine ad aurum.
Regia res amor est hac tempestate, recessit
Mos vetus, & quædam mala lex inolevit amandi.
Talia suadenti torvo mihi rettulit ore.
Si cupis optatam mihi Fortunate salutem,
Da quod amo, nostro hæc una est medicina dolori.
Cetera quæ memoras, mihi sunt tormenta, revelli
Ex animo furor iste nequit, mea pectora imago
Virginis obsedit, mecum est, mecum itque, reditque,
Excubat, & dormit mecum, caput, ossa, medullas,
Cor, complexa potest cum sola excedere vita.
Ac veluti quoties aliena ex arbore secto
Surculus inseritur trunco, natura duorum
Jungitur, & misto coalescit corpore virga.
Sic dominæ dilecta mihi se immersit imago,
Et fecit duo corda unum, duo traxit in unum
Pectora, sensus inest nobis, & spiritus idem.
O me felicem, si cum me mea fata vocabunt,
In gremio, dulcique sinu, niveisque lacertis
Saltem anima caput hoc languens abeunte jaceret.
Illa sua nobis morientia lumina dextra
Clauderet, & tristi fleret mea funera voce.
Sive ad felices vadam post funera campos,
Seu ferat ardentem rapidi Phlegetontis ad undam,
Nec sine te felix ero, nec tecum miser unquam:
O Dryades, florumque Deæ, nymphæque decentes.
O memorum Silvane pater, servate precamur.
Collibus in vestris, gelidisque in vallibus omne
Silvarum, rurisque decus, circumdate saltus
Sepibus, & prohibete pecus, ne floribus obsit.
Ista precor dominæ servate in funera nostræ.

Tunc

Tunc omnis ſpargatur humus, redolentia ſerta
Texite, quæ circa tumulum, ſupraque jacentem
Componantur heram, triſtes ad buſta puellæ
Pierides aderunt, & lamentabile carmen
Ore canent madido, ſignataque verba relinquent
Iſta ſepulturæ relegenda nepotibus olim
Hic tegitur virgo, cui nil quin diva vocari
Debuerit, deerat, niſi dura fuiſſet amanti.
O virgo ſi te tantus conſumeret ardor,
Per centum Scyllas ad te, per mille Charybdes
Tranarem laturus opem, tu ſævior Hydra
Me fugis, at culpæ nihil eſt in virgine, nam me
Neſcit adhuc; ſi ſciret enim, ſuccurreret ultro,
Nec puto ſub miti tam ferrea pectora vultu.
Signa tamen vultus fallacia ſub cute molli;
Mens fera, ſub blanda ſunt corda immania fronte.
Alloquar, & faciam noſtros intelligat ignes.
Si tamen illa meos vultus averterit, ibunt
In lacrimas oculi, triſte in ſuſpiria pectus.
Oderit illa licet ſemper, fugiatque ſequentem,
Iſta tamen quocumque ferar, me cura ſequetur.
Ite procul medicæ (non ſum ſanabilis) artes.
Ite procul magico qui (quod nec credere dignum eſt)
Carmine pallentes animas revocatis ab Orco.
Ite procul vanis precibus qui flectere divos
Creditis; adverſum eſt, & inexorabile cœlum.
Me rapit impatiens furor, & juvat ire per altos
Solivagum montes, per luſtra ignota ferarum.
Talia jactantem verbis conabar amicis
Flectere, ſed vulnus nihil inſanabile curat.
Illum per campos nox intempeſta ſilentes,
Illum exorta dies inter dumeta videbat
Inſomnem ſemper, raro ſilveſtria poma
Carpentem, & potu contentum ſimplicis undæ
Poſt longos gemitus, exhauſtaque lumina fletu
Aſſiduo, poſt lamenta, & convulſa frequenti
Pectora ſingultu moriens finivit amores.
Exanimum corpus tumuli ſine honore relictum

Nocturnæ absumpsere feræ, volucresque diurnæ.
*Fau.* Heu funesta lues, fatalis machina passim
Corda venenatis penetrans humana sagittis,
Æquiparans hominem pecudi: quæ pocula Circe,
Quæ pejora unquam potuit dare Philtra Galypso?
Quæ Styx, quis Phlegethō gravior, quæ major Erinnys?
O stulti quicunque Deum dixistis amorem
Num natura nocens Deus est? ubicumque locorum
Sit Deus, est homini clemens, innoxius, æquus.
*For.* Heu miserande puer tenera sublate juventa,
Quæ tibi nascenti luxerunt sidera? quæ tam
Noxia pars cœli est, ut te nil tale merentem
Læserit; & primis infortunarit ab annis?
Nec tamen omnino cœlum tibi defuit; omne
Carmen, & argutis quidquid modulamur avenis
Doctus eras; nisi te mors immatura tulisset,
Dignus eras hederis, dignus Parnasside lauro.
Nec melius cecinit pugnas, ac tristia bella,
Hordea, & agrorum cultus, & pascua noster
Tityrus a magno tantum dilectus Alexi.
Namque tui præcox animi sollertia nobis
Cognita jampridem magnam producere frugem
Cœperat, & specimen tuleras virtutis, & artis
Non vulgare tuæ, poteras jam gloria dici
Ruris, & ætatis decus indelebile nostræ.
Te Padus, & noster lugubri Mincius ore
Cum Nymphis flevere suis, ut Thracius Hebrus
Orphea; te tristes ovium flevere magistri,
Ut Daphnin luxisse ferunt; te pascua, & agri
Undique, & audita est totis querimonia campis.
Spargite pastores tumulum redolentibus herbis:
Atque sacerdotum cantus, ac thura quotannis
Ducite, & æternam requiem cantate poëtæ.
*Fau.* Tu tamen arva tenes patriæ melioris, & altum
Incolis Elysium, nos hic te flemus Amynta.
*For* Flendum hodie nobis fuerat; nam tristia nocte
Nescio quæ mœstis cernebam insomnia formis.
Sed jam vesper adest, & Sol se in nube recondens

Dum

Dum cadit agricolis, vicinos nuntiat imbres.
Cogere, & ad caulas pecudes convertere, tempus.

## ALPHUS. Ecloga Quarta.
### De natura mulierum.

*Alphus, Janus.*

*Al.* Anne caper (video) macer est tuus? esse solebat
Acer, & elatis in cœlum cornibus ire.
Nunc dejectus humi, flaccis piger auribus herbam
Olfacit, & summis attingit gramina labris.
*Jan.* Languet, & ex isto languore facetia surgit,
Quæ quoties memini, risum eiet, edita nondum est.
Edita cum fuerit, totus mirabitur orbis.
*Al.* Jane soles narrare sales lepidissime, & ore
Suaviloquo, dic ergo tuus cur langueat hircus.
*Jan.* Res non ficta, Deus testis, sed facta recenter.
At dulce id facinus non est narrabile gratis.
Quid pretii sperare licet? quæ dona reporto?
*Al.* Jane ubi congessit nidos Philomela, docebo.
*Jan* Qui leviter spondet, promisso eludit inani.
*Al.* Qui non credit inops fidei; sed pignore tutum
Te faciam, duo tela mea deprome pharetra.
*Jan.* Incipiam, Nymphæ Parnassides ora movete.
Et memorate mei dira infortunia capri.
Ac Philomeleos Alpho concedite nidos.
Conductus mercede puer præfectus ovili
Assidue pascebat oves, caprum, atque capellas.
Servitium nobis pueri fuit utile, donec
Virgine conspecta, quæ tum huc veniebat aquatum,
Tabuit; ex illo vecors jam tempore factus
Frigidius curare gregem, contemnere caulas
Cœpit, & exhausto subvertere cuncta cerebro.
Cum sopitus erat, poterat vigil esse videri:
Nugabatur enim, quando vigilabat, inerti
Corporis officio, volvebat somnia mente:
Hunc ergo in falsu ludens per cornua caprum

Viminibus validis inter dumeta ligarat,
Quarta dies hodie, tentans an vincula possit
Vincere cervice, ac præduræ robore frontis.
Quæsitum interea nidos nemus omne pererrat,
Corda subit virgo, dilecta recogitat ora,
Ora, sinus, & quæ fari pudor, omnia volvit,
Lux fugit interea, capri redit immemor, alta
Nocte recordatus surgit, pavidusque per umbras
Dum graditur, ruit in foveam, quæ fronde saligna
Captandis obducta feris, & stramine sicco
Instar erat putei fundo irremeabilis alto.
Est caper in vinclis, puer est in carcere, pastor
Nullus oves curat, jam tertia luxerat hora.
Miror, oves resero, ac numero, caprumque requirens
Obstupeo, puerum clamo, magalia lustro.
Vera loquar: magicis ne forte liquoribus unctus,
Extimui, ascenso migrasset in aëra capro.
Namque Striges tali (fama est) ope nocte vagantes
Ad quædam longinqua procul convivia ferri.
Attonitus tandem pecudes ad pascua duco.
Dumque pedum meditans subeo nemus, ecce per umbras
Ecce procul caper in dumis strepit, atque reluctans
Cornibus adversis contra sua vincula pugnat.
Terruit incautum subito feralis imago,
Et nil tale ratum, firmato pectore tandem
Nosco animal, subjensque rubos seco vincula rupta.
Sero domum rediens, video per pascua longe
Turbam exultantem risu juveniliter alto.
Ut prope constitimus, meque agnovere, salutant.
Et tuus ecce ajunt puer hic o Jane luporum
Erutus è foveis, dum nocte perambulat agros,
Incidit in casses, & sic inventus uterque
Et caper, & pastor, caper hæc incommoda passus.
Languet adhuc, puer imprudens insanior hirco est.
Virgo superbivit, mox ut se audivit amari,
Et pueri simulans curam ignorare, pudorem
Fingit, ut ad formam faciat pudor, ora, sinumque
Or-

Ornat, & in terram versis incedit ocellis
Callida, vulpina rem simplicitate gubernat;
Hæc studia, hi casses, hæc sunt muliebria arma.
Ille suæ sperans Galatea aliquando potiri,
Contempta mercede suos sectatur amores.
Propterea plaustro, stiva, bubusque relictis
Ad pastoris opus redeo, subjecta furori
Ista juventutis levitas rura omnia vexat.
*Al.* Quod nequit ingenium casus facit, ò stupor, ò sors
Ingeniosa, ò res risu celebranda bimestri!
Jane fides servanda, tibi Philomela laborat.
Sed quod tam vafro memoras de virginis astu
Rettulit in mentem, quæ psallere sæpe solebat
Carmina femineis olim de fraudibus Umber,
*Jan.* Dic Umbri, dic siquid habes, meditare parumper
Et verba, & numeros, Umbri est memorabile carmen.
*Al.* Est ut ais, sed non gratis, memorabile carmen.
Quas referes grates? & quid mercedis habebo?
*Jan.* Accipe, promissis absolvo, & spicula reddo.
*Al.* Dum vado ad ventrem post hæc carecta levandum.
Jane meum tu coge pecus, ne vitibus obsit.
*Jan.* O aries, aries, qui tortis cornibus atrum
Dæmona præsentas, semper vineta subintras.
Non sapies, donec fossa tibi lumina fronte
Eruero, non sunt porrecta in jugera centum
Pascua sat, nisi pampineos populeris & agros.
*Al.* Jane recordatus redeo, sed plurima forsan
Nondum nota tibi referam, cognoverat Umber
Omnia, quæ fas est homini perdiscere, cœlos,
Sidera, tellurem, ventos, mare, flumina, fontes,
Viderat & Rhodopen, atque alta Ceraunia, & Ossam,
Gallica regna, Ararim, Rhodanum, Tyberimque, Padumque,
Attica Romanis referebat carmina verbis,
Ore utroque potens, & lingua primus utraque,
Hunc unum nobis invidit Græcia, & ipsi
Arcades, & Thracum saltus, & Thessala Tempe.
Si quid erit quod forte velis tibi notius esse;

Can.

Candidus illius semper documenta sequutus.
Non procul hinc, hæc ille tenet, nos ille docebit.
Sed jam septiforem flatu experiamur avenam.
Ante tamen Nymphas precor, ut Liberthrides adsint.
Præsertim quæ plus meminisse Polymnia fertur.
Femineum servile genus, crudele, superbum,
Lege modo, ratione, caret, confinia recti
Negligit, extremis gaudet, facit omnia voto
Præcipiti vel læta jacet, vel concita currit.
Femina, semper hyems, atque intractabile frigus,
Aut canis ardentes contristat sidere terras.
Temperiem numquam, numquam mediocria curat.
Vel te ardenter amat, vel te capitaliter odit.
Si gravis est, mœret torvo nimis, horrida vultu.
Si studeat comis fieri gravitate remissa,
Fit levis, erumpit blando lascivia risu,
Et lepor in molli radiat meretricius ore.
Flet, ridet, sapit, insanit, formidat, & audet.
Vult, non vult, secumque sibi contraria pugnat.
Mobilis, inconstans, vaga, garrula, vana, bilinguis,
Imperiosa, minax, indignabunda, cruenta,
Improba, avara, rapax, querula, invida, credula, mendax.
Impatiens, onerosa, bibax, temeraria, mordax.
Ambitiosa, levis, maga, lena, superstitiosa.
Desidiosa, vorax, ganeæ studiosa, palatum
Docta, salax, petulans, & dedita mollitiei.
Dedita blanditiis, curandæ dedita formæ.
Iræ, odijque tenax, in idonea tempora differt.
Ulciscendi animos, infida, ingrata, maligna.
Impetuosa, audax, fera, litigiosa, rebellis,
Exprobrat, excusat tragica sua crimina voce.
Murmurat, accendit rixas, nil fœdera pendit,
Ridet amicitias, curat sua commoda tantum.
Ludit, adulatur, defert, sale mordet amaro.
Seminat in vulgus nugas, auditaque lingua
Auget, & ex humili tumulo producet Olympum.
Dissimulat, simulat doctissima fingere causas.

Or-

Ordirique dolos, fraudique accommodat ora;
Ora omnes facili casus imitantia motu.
Non potes insidias evadere, non potes astum
Vincere, tantæ artes, sollertia tanta nocendi.
Et quamquam videas oculis præsentibus, audet
Excusare nefas; potis est eludere sensus
Sedulitate animi, nihil est quod credere possis.
Et nihil est quod non (si vult) te credere cogat.
His facient exempla fidem: quæ crimina non sunt
Feminea tentata manu? dedit hostibus arcem
Decepta ornatu brachî Tarpeja sinistri,
Sæviit in natos manibus Medea cruentis.
Tyndaris Ægæas oneravit navibus undas.
Scylla hostem sequitur patri furata capillum.
Fratrem Byblis amat, subicit se Myrrha parenti,
Concubitus nati longæva Semiramis ardet.
Causa necis vati conjunx fuit Amphiarao.
Occidere viros nocturnis Belides armis.
Orphea membratim Cicones secuere poëtam.
Cognita luxuriæ petulantia Pasiphaeæ,
Phædra pudicitiam contra crudeliter ausa est.
Decepit Judæa virum Rebecca, suamque
Progeniem, velans hircino guttura tergo.
Porrigit Alcidæ conjunx fatale venenum.
Decipit Hippodame patrem, Lavinia Troës
Implicat ancipiti bello, Briseis Achillem
Depulit è castris, demens Chryseide factus
Fulminat Atrides, & sentit Apollinis iras.
Eva genus nostrum felicibus expulit arvis.
Credite pastores, per rustica numina juro,
Pascua si gregibus vestris innoxia vultis,
Si vobis ovium cura est, si denique vobis
Grata quies, pax, vita, leves prohibete puellas,
Pellanturque procul vestris ab ovilibus omnes,
Thestylis & Phyllis, Galatea, Neæra, Lycoris.
Dicite quæ tristem mulier descendit ad Orcum
Et rediit? potuit si non malesana fuisset
Eurydice revehi, per quas descenderat umbras

Rapta

Rapta sequi renuit fessam Proserpina matrem.
At pius Æneas rediit, remeavit & Orpheus.
Maximus Alcides, & Theseus, & duo fratres
Unus equis, alius pugnis bonus, atque palæstra.
Et noster Deus, unde salus, & vita resurgit.
Hæc sunt pastores, hæc sunt mysteria vobis
Advertenda, animi fugiunt obscœna viriles,
Femineas loca delectant infamia mentes.
Ut semel in scopulos vento contortus, & unda,
Nauta scit incautis monstrare pericula nautis,
Sic senior longo factus prudentior usu
Præteritos meminit casus, aperitque futuri
Temporis eventus, vitæque pericula monstrat.
Si fugiunt aquilam fulicæ, si retia cervi,
Si agna lupum, si dama canem, muliebria cur non
Blandimenta fugis, tantum tibi noxia pastor?
Est in eis pietas crocodili, astutia hyænæ.
Cum flet, & appellat te blandius, insidiatur.
Femineos pastor fugito (sunt retia) vultus.
Non animis, non virtuti, non viribus ullis
Fidito, non clypeo, cujus munimine Perseus
Vidit saxificæ colubros impune Medusæ.
Monstra peremerunt multi, domuere gigantas,
Evertere urbes, legem imposuere marinis
Fluctibus, impetui fluviorum, & montibus asperis.
Sacra coronarunt multos certamina, sed qui
Cuncta subegerunt, sunt a muliere subacti.
Rex qui pastor erat funda, spolioque leonis
Inclitus, & Natus, qui templa Syonia fecit
Primus, & excellens invicto robore Sampson,
Femineum subiere jugum: minus officit ignis,
Saxa minus, romphæa minus, minus hasta, minus mors.
Nec formæ contenta suæ splendore decorem
Auget mille modis mulier, frontem ligat auro,
Purpurat arte genas, & collocat arte capillos.
Arte regit gressus, & lumina temperat arte.
Currit, ut in latebras ludens perducat amantem.
Vult dare, sed cupiens simplex, & honesta videri,

Dene-

Denegat, & pugnat, sed vult super omnia vinci
Femina: Cæciaoo (res mira) simillima vento est.
Qui trahit expellens mendaci nubila flatu.
Quisquis es, expertus moneo, tentare recusa
Dum licet, hic fragilis quot habet fastidia sexus.
Immundum natura animal, sed quæritur arte
Mundities, id luce opus est, ea somnia nocte.
Deglabrat, lavat, & pingit, striat, ungit, & ornat.
Tota dolus, tota ars, tota histrio, tota venenum.
Consilio speculi gerit omnia, labra movere
Discit, & inspecto vultum componere vitro.
Discit blandiri, discit ridere, jocari.
Incedens humeros discit vibrare, natesque.
Quid sibi vult nudum pectus? quid aperta superne
Rimula, quæ bifidam deducit in ubera vallem?
Nempe nihil, nisi quo virus penetrabile sensum
Plus premat; & stygiæ rapiant præcordia flammæ.
Hi juvenum scopuli, Syrtes, Scyllæ, atque Charybdes.
Hæ immundæ Phinei volucres, quæ ventre soluto
Proluvie fœda thalamos, cœnacula, mensas,
Compita, templa, vias, agros, mare, flumina, montes,
Infestare solent, hæ sunt Phorcynides ore
Monstrifico, extremis Lybiæ quæ in finibus olim
Aspectu mutare homines in saxa solebant.
Carmina dociloqui cursim recitavimus Umbri.
Quæ si visa tibi nimium prolixa, memento
Ipsius id rei vitium non carminis esse.
Non longum est carmen, mulierum amentia longa est.
*Jan.* O memorande senex, quo se vetus Umbria tantum
Jactat, & ipse tuæ Tyberis conterminus urbi;
Martia non ab re tantum te Roma vocabat.
Ipsa tuas artes, & non trivialia norat
Carmina, te vita functum flevere Latinæ
Naiades, & Grajæ: tua molliter ossa quiescant
Semper, & in summo mens aurea vivat Olympo.



CAN-

## CANDIDUS. Ecloga Quinta.
### De consuetudine divitum erga poëtas.

*Silvanus, Candidus.*

*Sil.* Candide nobiscum pecudes aliquando solebas
Pascere, & his gelidis calamos inflare sub umbris.
Et miscere sales simul, & certare palæstra.
Nunc autem quasi pastores, & rura perosus
Pascua sopito, fugis, & trahis otia, cantu.
*Can.* Vos quibus est res ampla domi, quibus ubera vaccæ
Plena ferunt, quibus alba greges mulctralia complent,
Cymbia lacte nivent, & pinguia prandia fumant,
Carmina laudatis, si quid concinnius exit,
Plauditis, ac læti placidas extenditis aures.
Pro tantis meritis vacuas laudes, & inania verba
Redditis, interea pastor sitit, esurit, alget.
*Sil.* Nonne potes curare greges, & dicere versus,
Cum vacat, & positis vitam traducere curis?
*Can.* Omnem operam gregibus pastorem impendere oportet,
Ire, redire, lupos arcere, mapalia sæpe
Cingere, mercari paleas, & pabula, victum
Quærere, nil superest oti: laudabile carmen
Omnem operam, totumque caput Silvane requirit.
Grande utrumque opus est, & nostris viribus impar.
Cum cecini sitio; sitienti pocula nemo
Porrigit, irrident alii, tibi pendula, dicunt,
Candide, trita, genu nudum, riget hispida barba.
Jam silvæ implumes, & hyems in montibus albet.
Irascor, doleo, nil ignoro, fert omnia victus,
Lanitium, fœtusque mares, non vendimus agnas.
Sed quia lac pascunt, premitur nihil, ubera siccant.
Pœnitet ingenii, si quid mihi, pœnitet artis,
Pœnitet & vitæ, postquam mihi nulla secundant
Ex tot sideribus, quot sunt in nocte serena.
Hactenus ut nosti, gratis cantavimus, ætas
Indiga paucorum merces fuit, altera longe
Con-

Conditio senii, quod nunc subit, omnium egenos
Reddit, & extinctis lucri spem viribus aufert.
Mox erit utendum partis, modo quærere tempus.
En formica brevis, sed provida bestia condit
In brumam nova farra cavis æstate latebris.
Neve renascantur, fruges secat ore sepultas.
*Sil.* Scire Genethliacos fatalia sidera dicunt.
Hi sub Mercurio vates, & sub Jove reges,
Magnatesque locant, istis dat Juppiter aurum,
Atque magistratus, dat Majæ filius illis
Ingenium, linguam, citharas, & carminis artem,
Hæc tua sors: quid quæris opes? Deus omnia in omnes
Dividit, ut melius nobis videt esse futurum.
Sorte tua contentus abi, sine cetera nobis.
*Can.* Sunt tibi divitiæ, mihi carmina: quid petis ergo
Carmen? & invadis partes Silvane alienas?
*Sil.* Non tibi surripio carmen, nec Apollinis arma:
Sed dare dulcisonis aures concentibus opto.
*Can* Si gaudere meis igitur concentibus optas,
Nos gaudere tuis opibus Silvane decorum est.
*Sil.* Ille meis opibus gaudet qui diligit, odit
Invidus, atque animo bona fert aliena molesto.
*Can.* Sic quoque tu nostris absens gaudere camœnis
Sat potes, hæc artis sat sint tibi gaudia nostræ.
Carmina sunt auris convivia, caseus oris.
Si cupis auditu, fac nos gaudere palato.
Hoc amor, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia non dat
Omnibus, ut nemo sibi sit satis, indigeatque
Alter ope alterius, quæ res conjungit in unum
Omne genus, Gallos, Mauros, Italos, & Iberos.
Sidera jungamus, facito mihi Juppiter adsit,
Et tibi Mercurius noster dabit omnia faxo.
Pileolum, virgam, citharas, nodum Herculis, alas.
*Sil* Vana supervacuis inculcas plurima verbis.
*Can.* Vana inquis, quæ damna tuis inferre videntur
Divitiis: si vis nostras audire camœnas,
Erue sospitam de sollicitudine mentem.
Vult hilares animos, tranquillaque pectora carmen.

Tor-

Torpeo, ut esuriem patiens, & frigora milvus.
Jamdudum mihi scabra cutis, situs occupat ora,
Nec pecus in stabulis, nec in agro farra, nec aurum
In loculis; & vis positis me vivere curis?
Non facit ad nostros talis medicina dolores.
Fac alacrem, tege, pasce, gravi succurre senectæ.
Invenies promptum versu & cantare paratum.
Plena domus curas abigit, cellaria plena.
Plena penus, plenique cadi, plenæque lagenæ.
Horrea plena, greges læti, gravis ære crumena.
Tunc juvat hibernos noctu vigilare Decembres
Ante focum, & cineri ludos inarare batillo.
Torrere, & tepidis tostas operire favillis
Castaneas, plenoque sitim restinguere vitro,
Fabellasque inter nentes ridere puellas.
Tityrus (ut fama est) sub Mæcenate vetusto
Rura, boves, & agros, & Martia bella canebat
Altius, & magno pulsabat sidera cantu.
Eloquium fortuna dabat: nos debile vulgus,
Pannosos, macie affectos, farragine pastos,
Aoniæ fugiunt Musæ, contemnit Apollo.

*Sil.* Si sperata mihi dederit fortuna quod opto,
Candide, præsenti te sollicitudine solvam.

*Can.* O utinam Silvano foret tibi tanta voluntas,
Quanta est hac etiam tibi tempestate facultas.
Non ego divitias Cosmi, non serica posco
Pallia, non Tyrias chlamydes, non prandia regum,
Non patinam Æsopi fameo, clypeumve Minervæ.
Nil opus est Regis laribus, cui ferrea nomen
Tradidit, aut si mens non fallitur, ænea barba.
Hæc me jampridem memini didicisse sub Umbro.
Postulo vestitum, peto victum sub lare parvo,
Certior istud opis tori non defore vitæ.
Sint mihi Pythagoræ mensæ, Codrique supellex.
Sæpe alios qui spem dederint invenimus ore
Magnificos, sed re modicos: tibi fidimus uni:
Tu mihi si fueris mendax, præciditur omnis
Spes, ut solstitio fiam Philomela reverso

Mu-

Mutus, & elinguis, suspendere postibus arma
Tempus erit, clausoque abigi spectacula circo.
*Sil.* Candide vidisti Romam, sanctique senatus
Pontifices, ubi tot vates, ubi copia rerum
Tantarum? facile est illis ditescere campis.
*Can.* Deciperis me velle putans ditescere, vesci
Et lupus, omne animal, crudis existimat escis.
Tuque putas alios quo tu pede claudere passum.
Non ego ditari cupio, sed vivere parvo.
Fac habeam tenuem sine sollicitudine victum:
Hoc contentus eam: Romana palatia vidi.
Sed quid Roma putas mihi proderit? o Silvane
Occidit Augustus nunquam rediturus ab Orco.
Si quid Roma dabit, nugas dabit, accipit aurum,
Verba dat, heu Romæ nunc sola pecunia regnat.
Exilium virtus patitur: sperare jubemur
Undique; & in toto vates spe pascimur orbe.
*Sil.* Dic pugnas, dic gesta virum, dic prœlia regum.
Vertere ad hos, qui sceptra tenent, qui regna gubernāt.
Invenies qui te de fordibus eruat istis.
*Can.* Inveniam qui me derideat, & subsannet,
Tempestate ista reverentia tanta poësi,
Quanta lupanari: quid me Silvane lacessis?
*Sil.* Non decet obscœnis vatem prorumpere verbis.
*Can.* Non possum non vera loqui, si vera taceri
Forte velis, levibus me parce lacessere dictis.
*Sil.* Utile consilium præstare, lacessere non est.
Consilii locuples ego, sed pauperrimus auri.
Qui pugnas, qui gesta virum, qui prœlia regum
Dicet inops vates, cui nec quo fistula possit
Aptius incidi, fierique foramina, culter?
Aspice ut excussis luxata manubria clavis,
Ut dentata acies, veterique simillima serræ.
Hoc leve, sed mensæ grave, & intolerabile damnum.
Utile consilium firmat, sed inutile mentem
Frangit, & extenuat vires, animumque retundit.
Magnates dare parva pudet, dare magna recusant.
Adde quod & nostri curant ita carmina reges;

Ut frondes aquilo, mare hiems, vineta pruinæ.
Ipsi ad delicias reges, & ad otia versi,
Quod celebrant, laudari optant; hinc carmina mandant
Perdita de studio Veneris, de garrulitate,
De ganea, de segnitie, de infamibus actis,
Quæ castum capitale nefas celebrare poëtam.
At qui dura manu gesserunt bella potenti,
Fortiter utentes ferro, non molliter auro,
Dilexere graves musas & heroica facta.
Qui faciunt reges, heroica carmina laudant.
Ut cessere viri fortes, & mascula virtus,
Dicendum altiloqui nihil invenere poëtæ.
Occidit ingenium vatum, & ruit alta poësis.
At si forte aliquis regum gerit aspera bella,
Et decus armorum studiis belloque paravit,
Nil genus externum venturaque sæcula curat;
Laude suæ gentis satur, & præsentibus annis,
Barbarus est, neque carmen amat, vel avarus in auro
Mergitur, atque Midæ curis flagrantibus ardet.
Est, & apud reges, rudis, invida, rustica turba,
Mimus, adulator, leno, assentator, adulter,
Histrio, scurra, quibus virtus odiosa, poëtas
Mille modis abigunt, ut quando cadavera corvi
Invenere, fugant alias volucresque, ferasque.
Sunt etiam vates quidam sine lege petulci,
Qui sine lege alti, sine præceptoribus audent
Quidquid amant reges, & amant infamia solum,
Scribere, nam vates etiam dementia vexat.
Hi se nescio qua mentis levitate poëtas
Esse volunt, postquam trivialibus ora cicutis
Applicuere, sibi applaudunt, sua carmina jactant
Insulsi, illepidi, indociles, improvidi, inepti.
Qui solet his vacuas præbere ambagibus aures
Id vitium commune putat, doctisque resistit
Vatibus a vero indoctus discernere falsum.
*Sil.* Candide, per superos, per olympica numina juro
Me tibi (si venti veniant ad vela secundi)
Laturum auxilium: meliora in tempora vive.

Nec

Nec paulisper adhuc mecum sperare recusa.
*Can.* Si mihi sic optas, tibi sit Silvane quod optas.
*Sil.* Opto equidem, dictumque fides non sera sequetur.
*Can.* Vade malis avibus numquam rediturus avare;
Et facias subito quidquid tractaveris aurum
More Midæ, quando virtus tibi vilior auro.

## CORNIX. Ecloga Sexta.

### De disceptatione rusticorum, & civium.

*Cornix, Fulica.*

*Cor.* Ringit hyems, mugit Boreas, a culmine pendet
Stiria, depositis bubus requiescit arator,
Dormit humi, clauso pastor tunicatus ovili
Cessat iners, sedet ante focum formosa Neæra,
Atque polenta coquit, prius intollerabilis æstas
Nunc laudatur, hyems æstu laudata molesto
Displicet, optatum damnat præsentia frigus.
*Ful.* Omne bonum præsens minus est, sperata videntur
Magna; velut majus reddit distantia lumen.
*Cor.* Delicias habet omne suas, & gaudia tempus.
Aspice ut imberbi tritaque in veste ligati
Cæde suum pueri exultant, inflatur in utrem
Immissis vesica fabis, sonat, & micat acta
Nunc pede, nunc cubito, stricto nunc obvia pugno.
Si cadit attollunt, cursu labor atque recursu
Brumam abigit, glaciale gelu pila rustica vincit.
Nos tamen hic melius tepido sub stramine foti
Transigimus tempus, dum lac coit igne recoctum.
*Ful.* Pauperiem declarat hyems: improvida certe
Turba sumus juvenes, securi æstate vagamur
Immemores hyemis, nostrum æs tibicinis omne est.
Ut redit è Scythia Boreas, nidosque volucrum
Frondibus ostendit nudata cadentibus arbor,
Frigemus nudi scapulas, dorsum, ilia, plantas.
Stultitiam declarat hyems, sapientius urbes
Congeriem nummûm accumulant, & ad ilia vulpes

Melotasque trahunt, maculosaque tergora lyncis.
*Cor.* Desipiunt omnes, nec nos in crimine soli.
Immo ipsos vexat gravior dementia cives,
Verum illis mater, nobis fortuna noverca.
Nos premit, infelix sors est dementia, fac sim
Fortunatus, ero locuples, ero primus in urbe,
Audiar, assurgent omnes, me vertice nudo
Vulgus adorabit, me plebs, me consulet omnis
Turba, magistratus etiam, populusque, patresque.
*Ful.* O Cornix Cornix, non est fortuna, sed ipse,
Quo sapiunt homines, animus; Fortuna potentem
Non facit, immo Deus, causam recitabat Amyntas.
*Cor.* Est fortuna Deus, sed quid recitarit Amyntas
Dic precor, in causis erat ingeniosus, & acer.
Ante tamen paulum pecus, & præsepia vise.
Vade, redi, calor est post frigora dulcior, ito.
*Ful.* Attingit nix alta genu, vix tecta resistunt
Tanto oneri, sublimis apex in vertice furni
Pyramidem fecit, metaque assurgit acuta.
*Cor.* Da pecori cordum, stipulisque foramina claude,
Si paries hiat, & rediens lætamine muni,
Limina nulla gregi gravior quam frigora pestis.
Jam ne ades? oh quæ nam hæc solito properantia major?
*Ful.* Sollicitum me reddit hyems in frigore, & igni.
Maxima strenuitas, feno recubare calenti,
Abscondique cavo accubitu post frigora dulce est.
*Cor.* Incipe, & enarra discrimina ruris, & urbis
*Ful* Hoc igitur tantum ruris discrimen, & urbis,
Taliter exortum noster recitabat Amyntas.
Principio rerum, primaque ab origine mundi
Cum muliere marem sociali fœdere jungens
Cœli opifex (sic namque Deum appellabat Amyntas)
Nomen adhuc teneo, natos producere jussit.
Atque modum docuit, fieri quo pignora possent.
Se accinxere operi, mandata fideliter implent,
Sicque utinam & pomi esu servata fuissent.
Femina fit mater, puerum parit, atque puellam.
Atque puerperio simili fecunda, quotannis

Au-

Auxit in immensum generis primordia nostri.
Post tria lustra Deus rediit, dum pignora pectit,
Femina, prospiciens venientem a limine vidit.
Adam aberat, securus oves pascebat, adulter
Nullus adhuc suspectus erat, sed multiplicatis
Connubiis fraudata fides, sine cornibus hirci
Facti, & Zelotypo conjunx suspecta marito.
Nam quæ quisque facit, fieri sibi furta veretur.
Erubuit mater, nimiæque libidinis ingens
Indicium rata tot natos, abscondere quosdam
Accelerat, fœno sepelit, paleisque recondit.
Jamque lares Deus ingressus, salvere penates
Jussit, & huc dixit mulier tua pignora profer
Femina majores natu procedere mandat.
His Deus arrisit, velut arridere solemus
Exiguis avium pullis, parvisve catellis.
Et primo lætatus ait, cape regia sceptra;
Rex eris: at ferrum, & belli dedit arma secundo,
Et dux inquit eris, fasces, populique secures
Protulit, & vites, & pila insignia Romæ.
Jamque magistratus celebres partitus in omnem
Progeniem, humanos tacitus volvebat honores.
Interea mater rebus gavisa secundis
Evolat ad caulas, & quos absconderat, ultro
Protulit, hæc, dicens, nostri quoque pignora ventris:
Hos aliquo pater omnipotens dignabere dono.
Setosum albebat paleis caput, hæserat armis
Stramen, & antiquis quæ pendet aranea tectis.
Non arrisit eis, sed tristi turbidus ore
Vos fœnum, terram, & stipulas Deus inquit oletis,
Vester erit stimulus, vester ligo, pastina vestra.
Vester erit vomer, juga vestra, agrestia vestra
Omnia, aratores eritis, pecorumque magistri.
Fœnisecæ, fossores, & nautæ, atque bubulci.
Sed tamen ex vobis quosdam donabimus urbe,
Qui sint fartores, lanii, lixæ, artocopique.
Et genus hoc alii soliti sordescere semper.
Sudate, & toto servite prioribus ævo.

Taliter omnipotens fatus repetivit Olympum.
Sic factum est servile genus, sic ruris, & urbis.
*Cor.* Inductum discrimen ait Mantous Amyntas.
Mirabar, si quid recti dixisset Amyntas.
Civis erat, semper nobis urbana juventus,
Cui nihil est præter stulta hæc commenta negoti,
Ludit, in agrestes semper jaculantur, & urbis
Talia garrulitas, & vaniloquentia fingit.
At neque de superis pudet has componere nugas.
Iste jocus manifesta gerit convicia secum.
Sed tu tam rudis es, tam pleno inflatus omaso,
Ut neque perpendas isto te scommate carpi.
Nos quoque paulisper mentem extendamus ad urbis
Stultitiam, ne forte putes sapientius illos
Vivere, qui splendent auro, qui murice fulgent.
His oculis vidi tunicis plerosque superbis
Vestiri, atque foro regali incedere gressu,
Quos secreta fames premit, atque domestica egestas.
Stultius his certe nihil est, opulentia ficta,
Paupertas, & segnities, & inertia vitæ
Vera, quid est aliud quam desipientia vera?
Vidi etiam patres [o rem indignam, atque nefandam]
Dum segnes dormire volunt, & vivere laute,
Prostituisse suas vulgo cum conjuge natas.
Quid pejus? quid perfidius? quid stultius unquam?
*Ful.* Quid si vitam alio nequeunt traducere pacto?
*Co.* Cum totidem, quot nos, habeant animasque, manusq;
Dic cur vitam alio nequeant traducere pacto.
Est etiam cujus vecors industria vanas
Quærat opes, ubi nullus opes invenit ab ævo.
Æs lavat herbarum succis, & vertere in aurum
Æstimat, ac nigra semper fuligine pallet.
Est, qui dum tellure latens desiderat aurum,
Dat magicis operam studiis, & tempora perdit.
Quid levius? quid futilius? quid inanius unquam?
Omnia ne veniant ad opus telluris, & agri,
Omnia pertentant; ut agant nihil, omnia versant.
Semper agunt, numquam peragunt, ex fœnore victum
In-

Infamem extorquent; vi, fraude, dolisque laborant.
Mille viis opibus, mille insidiantur honori.
Nos capras, & oves, armentaque pascimus, illi
Accipitres, catulos, & equos, & cercopithecos.
Rusticus est ovium pastor, volucrumque, canumque
Civis, utrum melius te judice, nobiliusque
O fulica, utilitas unde, atque opulentia major?
*Ful.* Si venit ex nostris operis opulentia major,
Civibus unde igitur tantarum copia rerum?
*Co.* Ex vi, fraude, dolis, vi, fraude dolisque laborant.
Nonne vides insana ut nos crudeliter urgent?
Quo capiunt astu? nos irretire loquendo
Sacrum efferre parant, & opus sublime, piumque;
Huc aures, oculosque adigunt, huc ora manusque.
*Ful.* Unde urbanarum tibi tanta peritia rerum?
*Cor.* Hæc didici, quondam ductis in mœnia capris,
Cum lac vociferans ibam venale per urbem.
Mansi apud artocopum; sapiens, & ad omnia promptus
Furta erat, & crudum ferro subradere panem.
Ipse ut erat mores urbis doctissimus, ista
Tradidit, affirmans nihil esse nocentius urbe.
Se quoque furari didicisse ajebat ab urbe.
Sunt etiam qui parta ab avis patrimonia fundunt
In meretricum usus: quid fœdius? improbiusque?
Dic ubi mœchandi ars, homicidia, seditiones?
Non ne inter cives, atque intra mœnia regnant?
Quid reges, qui regna hominum per vulnera quærunt
In mortemque suos adigunt? quid pectora miles
Obiiciens telis, per mille pericula vadens?
Pro stipe dat vitam; nulla est insania major.
Gloria præfertur vitæ, quid gloria? quid laus?
Quid fama est? quid honor? voces, & opinio vulgi.
Omnia longa dies abolet; cum vivere cessas,
Omnia sic abeunt, ut lux cum sole recedit.
Qui mare sollicitant remis, cum vivere possint
In patria, stulti: vento qui credit, & undis,
Stultius: divitiæ cui sunt, & negligit uti,
Stultus: qui ut natis cumulet patrimonia, partis

Abstinet, & genium fraudat, stultissimus, & qui
Quæ facere ipse potest, natis faciunda relinquit.
Qui numerant stellas, & se comprehendere fata
Posse putant, stulti; verum dementior istis
Naturam quicunque Dei scrutatur, & audet
Figere in immensam lumen tam debile lucem.
Nostra fides melior, civis ratione coactus
Difficile assentit, nudis nos omnia verbis
Credimus, & plures faculas accendimus aris.
Civibus est infida fides, inquirere numquam
Mente sinunt arcana Dei: si numina scire
Esset opus, poterant nobis se ostendere; verum
Quando latere volunt, quid vestigare necesse est.
Quæ nos scire negant ipsi qui cuncta gubernant?
Nostra etiam pietas pietate potentior urbis,
Namque viri qui sacra canunt templisque ministrant
Quanta legunt ruri paucis alimenta diebus?
Vidi ego quæsitas ex rure in mœnia plenis
Puppibus inferri (pietas ea rustica) fruges.
Stultorum est aliud genus immedicabile quoddam
Causidici latratores, rabulæque forenses,
Nummorum aucupium docti, legumque tyranni.
Ære patrocinium vendunt, producere causas
Et lites pendere diu, vindemia quædam est.
Sunt & equestre genus medici, qui tangere venas
Nonnumquam illicitas audent, & ponere quædam
Non intellectis temeraria nomina morbis.
His, etsi tenebras palpant, est facta potestas
Excruciandi ægros, hominesque impune necandi.
Qui vero in populis præsunt, hominesque gubernant
Quo plus juris habent, quantoque licentia major,
Insanire solent tanto amplius: o ubi sancti
Rectores, & justitiæ, & pietatis amici.
Quos patres seto ante focum memorare solebant?
Omnia nunc abeunt pessum, spoliata queruntur
Templa; gemunt inopes, viduæ lacrimantur, & hujus
Quæ nam causa mali? quia stat pro lege libido.
*Fal.* Ista tua, o cornix, excandescentia fines

Tran-

Transfit honestatis, scelus omnibus obiicis omne.
Innocuos habitare homines & in urbe memento.
*Cor.* Non habitant colubri quædam Balearibus arva
Proxima, non memini nomen, neque noctua cretam,
Nec nemus Ægeriæ sonipes, nec vir bonus urbem.
*Ful.* Vir bonus est animal rarum, paucasque per urbes,
Et per rura locos habet, est rarissima virtus.
*Cor.* Insanis, Fulica, insanis, tot in urbibus hostes
Sunt tibi quot cives, hi nos tondentque, pilantque
Non habita nostri capitis ratione, coarctant
Nos ad furta ipsi, mox ad suspendia mittunt.
Fas igitur, siquid nostris sese unguibus offert
Radere, & insidiis ac nostra indagine captos
Deplumare levi tactu, sensim & pede pressim.
Si videt, excusa, si sunt secreta, negato
Furta: quod occultum est, non est injuria furtum.
Quidquid habent, noster labor est, industria nostra est.
*Ful.* Jam longe egrederis metam rationis, & æqui.
*Cor.* O Fulica improbitas urbana coinquinat orbem.
Unde tot in terras veniunt æstate procellæ,
Fulmina, venti, amnes, grando? vidisse recordor
Tellurem tremere, ac postes, & tecta labare,
Solem obscurari, noctu obtenebrescere lunam.
Cur segeti lolium? messi dominantur avenæ?
Uva in capreolos transit? caligine verni
Depereunt flores? mala parturit omnia nobis
Hæc civile nefas, pariet quoque plura deinceps.
Unde venit furor armorum, bellique tumultus,
Qui genus omne mali secum vehit? omnibus urbs est
Fons & origo malis; descendit ab urbe Lycaon,
Deucalion, Pyrrha cum conjuge rusticus, ille
Intulit illuviem terris, hic abstulit, ille
Abstulit humanum terris genus, intulit iste.
Si terra (ut perhibent) flammis abolebitur umquam,
Istud grande nefas ulla descendet ab urbe.
*Ful.* O Cornix jam pone modum sermonibus istis.
Audio jamdudum pueros de pulte loquentes.

Cetera, si quidquam superest post prandia, dicet.
Multi indulgendum monet urbibus hora relictis

## POLLUX. Ecloga Septima.

### *Alphus, Galbula.*

*Al.* Galbula quid sentis? Pollux doctissimus olim
Fistulicen subito quodam quasi numine tactus
Destituit calamos, tunicas, armenta, sodales.
Bardocucullatus caput, ut campestris Alauda,
Quattuor ante dies in relligiosa recessit.
Claustra, ferunt illum, pecudes dum solus in agris
Pasceret, effigiem quandam vidisse Deorum.
Cetera non memini, sed tu quid Galbula sentis?
*Gal.* Ut dixere patres, jaciens primordia rerum
(Magna canam, nobis quæ quondam tradidit Umber)
Instituit Deus agricolas, pecorisque magistros.
Primus agri cultor, rudis, immansuetus, & asper,
Qualis humus segnis, lapidosa, rebellis aratro.
Ast ovium primus pastor mitissima proles;
Instar ovis, quæ bile caret, quæ lacte redundat,
Mitis erat, nullis unquam pastoribus asper.
De grege sæpe suo sacrum ponebat ad aras.
Nunc ove, nunc pingui vitulo faciebat, & agno
Sæpius, & magno divos ambibat honore.
Sic profecit apud superos, sic numina flexit,
Ut fuerit primo mundi nascentis ab ortu
Tempus ad hoc, cœlo pecoris gratissima cura.
Assyrios quosdam (sed nescio nomina, curæ
Diminuunt animum) Deus ex pastoribus olim
Constituit reges, qui postea murice, & auro
Conspicui gentes bello domuere superbas.
Cum Paris iliaca tria numina vidit in Ida,
Aut Paris, aut alius, puerum qui obtruncat ad aram
Pastor erat, quando cœlesti exterritus igne

Venit

Venit ad ostensum pedibus per pascua nudis,
Pastor erat Moses, Moses a flumine tractus.
Exul apud Grajos Amphrysia pastor Apollo
Rura peragravit posito deitatis honore.
Cœlestes animi Christo ad præsepia nato
In caulis cecinere Deum pastoribus ortum.
Et nova divini partus miracula docti
Pastores primi natum videre Tonantem.
Et sua pastores infans regnator Olympi
Ante magos, regesque dedit cunabula scire.
Se quoque pastorem Deus appellavit, ovesque
Mitibus ingeniis homines, & mentibus æquis.
Et ne vana putes hæc somnia, nuper ab urbe
Rus veniens, picto perlegi hæc omnia templo.
Sunt pecudes pictæ, parvi sub matribus agni
In tellure cubant, ingens equitatus ab alto
Monte venit, radiant auro diademata divum.
Et suspensa tenent vaga lumina prætereuntum.
Non igitur mirum noster si numina Pollux
Vidit, amant villas, & oves, & ovilia divi.
Simplicibus præsens Deus est, offenditur astu.

*Al.* Vera refers, pecori sic sint innoxia nostro
Pascua, vidi asinum, vidi præsepe, bovemque.
Jam memini turbæ venientis, & ora videre
Indica jam videor regum sua dona ferentum.
Unum oro, quæ nam Polluci occurrit imago,
Galbula si nosti, ne sit labor omnia fari.

*Gal.* Et novi, & memorare libet, res digna relatu,
Res digna auditu, pia, sancta, imitabile factum.
Durus, & immitis pater, atque superba noverca
Pollucem graviore jugo pressere juventæ
Tempore, cum dulces animos nova suggerit ætas.
Et cum jam invalidæ longo sub pondere vires
Deficerent, nullaque odium mansuesceret arte,
Constituit tentare fugam, res una volentem
Ire diu tenuit, nimis impatienter amabat.
Error enim communis amor juvenilibus annis.
Res est fortis amor, violentia fortior, ivit.

Et

Et tales abiens (mihi namque solebat amores
Enarrare suos) mœsto dedit ore querelas.
O virgo lacrimæ, ne tuis solventur ocellis,
Cum te tam charo cernes ab amante relictam?
Ullane discessu duces suspiria nostro?
Tune mei crudelis eris, forte immemor umquam?
Usque adeo ne tuum poterit frigescere pectus?
Pectus, quod toties, quod lumina fletibus implet.
Tu ne trahes crebros gemitus? & pallida fies?
Cerno oculos, cerno lacrimas, cerno anxia corda
Virginis, heu tantum qua dissimulare dolorem
Fas erit arte, dolor duplex mea pectora torquet
Illius, atque meus, sed fas mihi flere, quid illi
Non licet? occultus longe magis æstuat ignis.
Incolumem mihi vos divi servabitis illam.
Ut quando exilio repetam mea rura peracto,
Fiat amor felix saltem semel ante senectam.
Talia pergebat memorans, volvitque reverti
Tantus amor, juvenem vis tanta furoris agebat,
Sed jam jacta fuga cunctis erat alea nota.
Fronde sub Herculea fessus mœrore sedebat.
Ecce puellari virgo stipata corona
Ora, manus, oculos, habitumque simillima Nymphæ,
Et tali affata est puerum sermone dolentem.
Chare puer quo tendis iter? vestigia verte.
Nescis heu, nescis quo te via ducat, & audes
Ignotis errare locis, nihil insidiarum
Per campos ratus herbosos, nihil esse perìcli.
Omnia tuta putas, & quod placet utile credis
More juventutis stolidæ; collectus in orbem
Sæpe latet molli coluber sub graminis umbra.
Est facile incautos offendere: parvulus infans
Innocuos rutilum digitos extendit in ignem,
Nec nisi jam læsus vires intelligit ignis.
Hæc regio intrantes aditu consuevit amœno
Fallere. delicias offert, & gaudia, verum
Ingressis cum triste nihil superesse putatur,
Mille parat laqueos, & mille pericula profert.

Tra-

Trames hic, ut collem gressu superaveris illum,
Ducit in umbrosam silvam, crudele ferarum
Hospitium, loca tetra situ, & caligine opaca.
Quisquis eo deceptus abit, remeare vetatur,
Et piceis primum velatur lumina vittis,
Deinde per omne nemus, dumeta per aspera tractus
Transit in effigiem monstri; dum volvere linguam
Atque loqui tentat, mugit; dum attollere sese
Credit, humi graditur quadrupes, neque suspicit astra.
Ima tenebrosæ vallis lacus æquore nigro
Occupat, & nigris mons plurimus imminet undis.
Huc tracti in stygios latices, altumque barathrum
Præcipites dantur, rapidaque voragine mersi
In styga, & æternas Erebi rapiuntur in umbras.
Heu quot pastores istis ambagibus acti
Cum gregibus periere suis, ego sedula semper
Monstro iter, hic ad opem vigilo indefessa ferendam.
Tolle moras igitur, mortis fuge blanda propinquæ
Atria, secreti tutam pete litoris oram,
Qua contra Idalios fluctus mihi tollit in altum
Aëra Carmelus viridi caput arbore cinctum.
Primus hic antiquis patribus spelæa, domosque
Præbuit arboreas, intra nemus ilice densum.
Ex hoc in vestros deducta cacumine montes
Relligio venit, sicut de fonte perenni
Flumina; & ex uno multi genitore nepotes.
Illius in silvis, abies ubi plurima surgit,
Pinguis ubi piceæ sudat liber, & terebinthi,
Innocuum postquam feliciter egeris ævum,
Mox tua mutatis ætas renovabitur annis.
In loca te tollam meliora, virentia semper.
Immortalis eris divum comes, ire per astra
Inter Amadryades, & Oreades, atque Napæas
Flore coronatas caput, & redolentibus herbis,
Fas erit, ac super, & subter cognoscere cœlos.
Sic effata leves virgo discessit in auras.
Tum sua juravit Pollux mutata repente
Pectora, & extemplo visum expirasse furorem,

Non

Non aliter quam flamma cadet, si ardentibus agris
Effluat, & totas praeceps Padus evomat undas.
Sic abiit crudelis amor, qui saepe pharetram
In juvenem dum principiis obstaret amandi,
Dum tepet, ac timide insanit, consumpserat omnem.
Sic igitur Pollux in claustra silentia venit.
*Al.* Sunt quibus aspirent etiam nolentibus ultro;
Sunt quibus infensi sine causa, & crimine dii sint.
*Ga.* Quod nos in pecudes, in nos id juris habent dii.
Hoc rus scire sat est, sapiant sublimius urbes.
Sic docuit rediens aliquando ex urbe sacerdos
Janus, & in magno dixit sibi codice lectum.
*Al.* Sol cadit, & Baldi vix summa cacumina tangit.
Nos quoque jam sero cum sole recedere tempus.
Galbula sarcinulas ne sit tibi ferre molestum.
Pera levis, levis est & cantharus, omnia parvus
Ferre labor sero, grave mane, sed utile pondus.
Ipse pecus ducam, mihi pars erit ista laboris.

## RELIGIO. Ecloga Octava.

*Candidus, Alphus.*

*Can.* Horrida solstitio tellus sitit Alphe reverso
Ad solitos montes, ubi ros in gramine, & aestas
Mitior, haec armenta monet deducere tempus.
*Al.* Aëreos montes, & summa cacumina longe
Prospicio, quid sint montes (tibi vera fatebor)
Nescio, semper enim campestria rura, lacusque
Incolui: montanus ager qua fruge redundat?
*Ca.* O rude, & illepidum ingenium, prope flumina semper
Versatus fulicae in morem, limosa per arva,
Sunt ubi ranarum, culicum, pulicum, cimicumque
Lustra, inter salices, ulvas, viridesque papyros,
Irridere audes, & nauci pendere montes.
Unde fluunt amnes? templis ubi tanta locandis
Mar-

Marmora cæduntur? fulgens ubi nascitur aurum?
Quæ parit antennas tellus? medicamen ab herbis
Dic quibus est nisi montanis? de vertice Baldi
Sæpe melampodion legi, medicina capellis
Nulla magis præsens: quondam Valsasinus Ægon
Tradidit hoc, dum vere sues castraret, & agnos:
Tradidit, & dixit: solus medicamen habeto.
Dic ubi castaneæ plures? ubi copia major
Glandis? in excelsis fontes, & pascua vidi
Montibus, arbuteas, & pinguia liba comedi.
Sunt populi fortes illic, robusta juventus
Lata pedes, callosa humeros, nervosa lacertos,
Hispida, dura manus, moli indefessa ferendæ.
Vallibus ex altis onera ut navalia curet
Confluit huc, nullum est hominum genus aptius urbi,
Sive velis castrare pecus, seu scindere fagos,
Sive fimum ferri è stabulis, aurire cloacas,
Latrinas curare, viamque aperire coactis
Sordibus, & scalis puteos descendere in altos.
Ingenio callent, & duro robore pollent.
Sed quid opus multis? subeunt opus omne, popinis
Inservire, focos lignis cumulare, veruque
Artifici versare manu, quæ libera fumo
Spiramenta, boum ventres ad flumina ferre.
Verrere humum immundam scopis, doctissima gens est.
Quodque magis miror, semper sub pondere cantant.
Cotibus in duris oriuntur, & ardua vivunt
Per juga cum capreis, habitant spelæa ferarum,
Adde quod in cœlum brevis est è montibus altis
Transitus, erectum caput usque ad nubila tollunt.
Nubila transcendunt aliqui, & pæne sidera tangunt.
Esse locum memorant ubi surgit ab æquore Titan,
Qui, nisi decidisset, contingit vertice Lunam,
Et vixisse illic hominem, sed postea abactum
Improbitate gulæ, quod scilicet omnia poma
Manderet, & magno servaret nulla tonanti.
Hinc divi, sanctique patres in montibus altis
Delegere domos tacitas, Carthusia testis,

Car-

Carmelus, Garganus, Athos, Laureta, Laverna.
Et Sina, & Soractis apex, Umbrosaque vallis;
Et juga Nursini fato senis inclita, & altis
Abietibus turrita caput Camaldula sanctum.
Cetera prætereo, nec enim sermonibus istis
Omnia complecti statuo: montana frequentant
Culmina cœlicolæ, sed anas, & mergus, & anser,
Ibis, onocrotalus, milvi, fulicæque paludes.

*Al.* Inter montanæ tantos regionis honores
Cur de messe nihil, nihil est de palmite dictum?
Hæc tamen humanæ duo sustentacula vitæ
Maxima: monticolæ veniunt è rupibus ad nos
Hordea mercatum torvi, fuligine tincti,
Setosi, macie affecti, laceri, ac sitiosi,
Indigenæ ostendunt quæ sit natura locorum.
Sed quod montanis de relligionibus inquis
Rettulit in mentem, quæ de Polluce feruntur.
Quæ Dea si nosti visa est, quæ Candide, Nympha?
Dic age, nam cœptum certamen inutile nobis.
Utilior sermo de relligione tenendus.

*Can.* Galbula qui solitus pecudes in pascua tecum
Ducere, te satis hoc potuit docuisse quod optas.

*Al.* Plura quidem Polluce super narrata, sed ipsam
Nec docuit Nympham, nec me quæsisse recordor.
Nunc subiit mentem cum relligionis oborta est
Mentio, & illarum visa est mihi maxima laudum.

*Can.* Non erat illa Dryas, neque Libethris, nec Oreas,
Venerat è cœlo superum regina, tonantis
Mater, anhelanti pacem latura juventæ:
Huic Tethys, huic alma Ceres famulantur, & ipse
Æolus æquoreis ventos qui frœnat in antris.
Hanc Deus astrorum flammas super, atque volantes
Solis equos, supra fulgentem Cassiopeam
Extulit, & sacram bisseno sidere frontem
Cinxit, & adjecit subter vestigia Lunam.

*Al.* Candide, mira canis nullis pastoribus unquam
Cognita, quid Tethys? quid fulgens Cassiopea?
Æolus æquoreis ventos quis frœnat in antris?

Qui

Qui sunt solis equi? magna, atque ignota recenses.
*Can.* Sidera sunt partim, partim sunt numina prisca.
Omnia quæ Pollux mihi cum narrasset, in ædem
Duxit, & ista sacer paries, ait, omnia monstrat.
Pictus erat paries signis, & imagine multa.
Omnia non memini, mens est mihi debilis, ista
Vix tenui, dum sæpe animo volvo, atque revolvo.
Sæpe recordari medicamine fortius omni.
Ista potest nigro depellere nubila cœlo.
Ista potest siccis fluvios dare frugibus imbres,
Cum volet; ista novos duris emittere campis
Cum volet, emissos poterit restringere fontes.
Qui modo sunt steriles, & nudi gramine campi,
Si volet, in pingues poterit convertere glebas.
Frigida Saturni cum sidera suscipit atro
Scorpius hospitio, non auferet hordea grando.
Nec domus ardebit: nam tunc hæc omnia cœlum
Dicitur iratis in terram effundere ab astris.
Si volet, hæc nobis custodiet omnia virgo.
Si favet hæc nobis, complebunt horrea messes,
Adiicietque gregi semper fœtura gemellos.
Si pecus infelix erit, & sine vellere, solo
Ipsa potest nutu dare lac, dare vellera, & agnos,
Et curare greges, omnemque avertere morbum.
Nil opus est nunc Pana sequi, neque cetera ruris
Numina, quæ veteres frustra coluisse feruntur.
Vidi ego circum aram Nymphæ pendere capellas,
Plaustra, boves, & oves, hic Jani vidimus hircum.
Et memini inscriptam versu hoc legisse tabellam.
Votum pro salvo Janus breve reddidit hirco.
Dumque ea perlegerem, Pollux hæc carmina supplex
Ante aram genibus positis in marmore dixit.
O Dea quæ servas urbes, & rura precamur,
Ne Padus exundet, ne Strix nocturna per umbras
Hauriat infantes, nec eant per compita larvæ.
Diva fave agricolis, talpas occide, malignam
Aggeribus pestem: gelidis sata læta pruinis,
Quando bruma venit, conspergere diva memento.

Ne tineæ erodant anno frumenta sequenti.
A boreæ flatu pingues defende mariscas
A gruis ore fabas, & ab ansere farra palustri.
A serpente boves, a vulpe, & fure cohortem,
A bruco erucas, a bruma, & grandine vites.
A vi, & fraude lupi pecus, a rubigine fruges.
A rabie catulos, a flamma, & fulmine villas.
A murum insidiis petasonem, a milite pernas.
A campe, & pigris, pigris: heu cetera nescit
Mens oblita sequi, numerus me in verba reduxit:
Sæpius ad numerum rediens oblivia forsan
Mente abigam, retro gradior, numerumque recurro.
A murum insidiis petasonem, a milite pernas.
A campe, & pigris virides limacibus hortos.
Alphe viden quæ vis numeri? jam cetera cerno
A tonitru reboante cados, a frigore fœtas.
A gravibus vitulos œstris, a gutture porcos
Anginoso, operas pubes ne rustica perdat,
Adsis, o Dea, nec lædant examina fuci.
Neu milium furentur aves, neu vellera sentes
Succida, neu lappas apprendat lana sequentes.
Diva gubernatrix hominum, custodia vatum,
Diva laborantum requies, medicina dolentum,
Et tutela gregum nostris precor annue votis.
Talibus orabat Pollux, ego postibus hærens
In baculum pede porrecto, recitata notabam
Altius, ac memori condebam singula mente.
*Al.* Candide, Polluci pro sollicitudine tanta,
Pro precis officio, pro relligione putasne
Dandum aliquid nobis? pietate peculia crescunt.
*Can.* Quid ni aliquid dandum est: opus est persolvere
crates,
*Al.* Rusticus es, crates enim pro gratibus inquis.
*Can.* Crates, & grates parvo discrimine distant.
Dandum aliquid, neu bis detur, sine pascha reverti,
Quando sacerdotes commissa piacula solvunt.
*Al.* Quid dabimus? vituli gravis est jactura: vel agnum,
Vel leporem; pietas etiam laudabilis unser.

*Con.* Dum docet tempus, lepores brumalia dona.
Quando nive hiberna currendi erepta facultas.
Anser ad Autumni finem, nonasque Calendas
Pertinet; æstatis coryli, nova poma, racemi
Munera; lactentes hœdi sunt veris, & agni.
Tunc si de cordis aliquem conspexeris ægrum,
Ac tenuem, qui nec vendi, nec vivere possit,
(Munus erit solenne satis) donabimus agnum.
Ipse mihi cum jam regredi post prandia vellem
Carmina de Nymphæ solennibus eruta fastis
Tradidit, & dixit si quando gravabere curis,
Hæc cane, pro mentis medicamine carmen habeto.
Quando Molorcheo Titan descendit ab astro
Pronus, & Astreæ jam limina virginis intrat.
Virgine lætetur pubes, & cana senectus.
Transiit ad superos, & olympica regna petivit.
Ogdoas ut toto jam tertia fluxerit orbe,
Festa dies iterum, natalia virginis aras
Ignibus illustrant, offert nova liba sacerdos.
Libra redit noctes properans æquare diebus.
Exultat Picenus ager, vehit Adria puppes
Illyricas, & Chaonias, cum mercibus adsunt
Tusci, Umbri, Veneti, Siculi, Lauretica templa
Cum donis turmatim adeunt, votisque solutis
In sublime jugum læti ad commercia tendunt.
Et cum Thessalicas cursu breviore sagittas
Sol subit, & frigent urentibus arva pruinis,
Clausa Gynecæi sacris penetralibus hausit
Corde Deum toto, proprios oblita parentes.
Et cum semiferi fugiens Chironis ab arcu
Languet ad hiberni glacialia limina capri,
Induat ornatas, & mas & femina vestes,
Lætitiaque diem celebrent, quo semine sacro
Conjugis annosus gravidam pater imbuit alvum.
Illa dies etenim sanctæ primordia Nymphæ
Fecit, & in nostras vetuit descendere sordes.
Cum volat imbrifera lampas Phœbea sub urna
Ad vernos reditura dies, jam proxima veri,

Ite nurus omnes, sacros altaribus ignes
Thura focis, faculas manibus date, ducite pompam.
Attulit in templum nova dona puerpera virgo,
Quando gregis princeps, aurato vellere fulgens,
Incipiet Zephyris aperire tepentibus annum,
Et dare majores luci quam noctibus horas,
Aliger occultam redeat Paranymphus in ædem.
Et nova miranti referat mandata puellæ.
Festa dies Tuscis populos de collibus omnes
Cogit, & Arnicolas vocat ad Florentia templa.
Tum quoque sed tenui virgo prius intervallo
Nupsit, & hæc teneris lux est celebranda puellis.
Quando sub extrema cancri testudine Phœbus
Volvitur, & revehit vicina canicula morbos,
Thure piam celebrate diem, redit hospita mater
In proprios a matre lares, altaria circum
Primitias Cereris geminæ suspendite matri.
Ista dedit Pollux, vigilans quæ in montibus olim
Fecerat ad pecudem caulas, dum nocte serena
Militiam cœli, sparsosque examinat ignes.
His quoque plura dedit, sed carmina plura referri
Non finit extremum deponens vespera solem.

## FALCO. Ecloga Nona.

*Faustulus, Candidus.*

*Fau.* Candide, quo casu patriis procul actus ab oris
Hæc in rura venis? hic pascua nulla, nec amnes,
Nec liquidi fontes, nec ovilia tuta, nec umbræ;
Et tamen assiduos gregis hæc pascuntur in usus.
*Can.* Faustule, me noster Corydon qui plurima quondam
His armenta locis habuit, magnamque peculi
Congeriem fecit pecori me credere adegit
Esse salutares istis in montibus herbas.

At

At postquam segnes agros, & inertia saxa
Vidimus, & siccis arentem fontibus undam,
Pœnituit longæque viæ, patriæque relictæ.
*Fau.* Postquam te incolumem saltus intrare Latinos
Contigit antiquos, potes hæc mea tecta subire
Jure sodalitii, sunt hic mihi pauperis agri
Jugera pauca, meæ vix sufficientia vitæ.
Quidquid id est, commune puta. tibi forsitan ulla
Haud bona sors aderit, fortuna simillima vento est.
Cariceæ succede casæ, dum præterit æstus,
Dum grex in gelida procumbens ruminat umbra.
Pone pedum, discumbe parum, recreabere potu.
Potu opus est; potu iste gravis compescitur æstus,
Pocula prende, fluet melius post pocula sermo.
*Can.* Pocula quis tanta demens æstate recuset?
*Fau.* Vina sitim minuunt, animique doloribus obstant.
Vina, ut amicitias, vires ita corporis augent.
*Can.* Hæc parit ora bonos si patria vina racemos,
Funde iterum, potare semel, gustare secundus
Colluit hos potus, calefacta refrigerat ora
Tertius, arma siti bellumque indicere quartus
Aggreditur, quintus pugnat, victoria sexti est.
Septimus (Oenophili senis hæc doctrina) triumphat.
Res est consiliis secura fidelibus uti.
Utile doctrinis præbere senilibus aures.
*Fau.* Victa sitis, mens ægra manet, curæque supersunt.
*Fau.* Ut sedata sitis, sic mens sedabitur ægra.
Funde merum, bibe, cardiaco medicina dolori hæc.
Utitur ad curas isto medicamine Roma.
*Can.* Omne opus, atque labor vult intervalla, quiescat
Obba parum; contra muscas impone tabellam.
Non madet imbre dies, nec habet nox humida rorem,
Crescere nec duris possunt in cotibus herbæ.
Importuna fames, labor improbus, aëris ardor
Confecere gregem macie, vix debile corpus
Spiritus æger agit, vacua cute porrigit ossa.
Clunis, & exilis cava contrahit ilia venter.
Hic aries, qui fronte lupos, cornuque petebat,

Nunc ove debilior, pavidoque fugacior agno est.
Hæc mihi (sed nimium me ardentia vota ferebant)
Omnia divino prædixerat omine cornix.
Vix egressus eram limen, cum tristia portans
Auguria a dextra venit. tegetisque sinistræ
Culmine consedit, pressoque minaciter ore
Vociferans iter auspicio prohibebat aperto.
Heu pecus infelix, quod lacte, & prole solebas
Affluere, in nostris licuit dum pascere campis.
Gramina dum quæris, succi plus perdis eundo,
Quam referas pastu, simul hic tabescimus ambo;
Tu tenui victu, curis ego victus amaris.
*Fau.* O nostræ regionis opes, o florida prata,
O campi virides, o pascua læta, feraxque
Et numquam sine fruge solum, currentia passim
Flumina per villas, rivi per rura, per hortos.
Hinc pecus, hinc agri pingues, sub sidere cancri
Cum tritura sonat passim, cum Julius ardet,
Arva virent, textæ lento de vimine sepes
Poma ferunt, redolent ipsis in vepribus herbæ.
*Can.* O nemorum dulces umbræ, mollesque susurri,
Quos tecum memini gelidis carpsisse sub umbris
Turturis ad gemitus, ad hirundinis, ac Philomelæ
Carmina, cum primis resonant arbusta cicadis.
Aura strepens foliis nemorum veniebat ab Euro,
Et baccata super tendebat brachia cornus;
Ipse solo recubans pecudes gestire videbam,
Atque alacres teneris luctari cornibus agnos:
Post somnos, per gramen humi, nunc ore supino
Aut flatu implebam calamos, aut voce canebam.
Pectore nunc prono rutilantia fraga legebam.
*Fau.* Vivere tum felix poteras, dicique beatus;
Sed bona, quod nondum fueras expertus acerba,
Visa erat tibi, teque ideo fortuna reliquit.
Quando iterum veniet, veniet si forsan umquam,
Sicut capreolis sursum nitentibus hærent
Stipitibus vites, stringuntque tenaciter ulmos,
Sic illam tu prende manu, neu desere prensam.

Ite,

It, redit, effigiem mutat, nec imagine constat,
Par lamiis, quas nocte ferunt errare per umbras.
Mobilis ut facies, ita mens, deludere gaudens,
Quod dederat tollit, pensi nihil, omnia casu.
Qui nimium metuunt sapiuntve, repellit, & odit.
*Can.* Delicias patrii quoties reminiscimur agri,
Ferre tot ærumnas animo non possumus æquo.
Sed quo mente feror? casu afflictatus acerbo,
Unde magis crucier, felicia tempora volvo.
Majus adest, florent vites, humilesque genistæ,
Jam spicata seges, malus jam punica multo
Flore rubet, redolent sepes albente sabuco
In patria, per rura padi, per pascua Minci.
Hic vero necdum incipiunt pubescere montes.
Quod si vere solum torpet, quid frigora brumæ,
Solstitiumque feret, gelidis cum terra pruinis
Albicat, & rapido cum cœlum incanduit æstu?
Sunt tamen hic armenta, quibus cutis uvida, cervix
Non signata jugis, gemino frons ardua cornu,
Luxuriansque toris pectus; nisi pabula carpant,
Non erit hac tanta humectum pinguedine corpus.
*Fau.* Hæc armenta, quibus caput a tellure levatur
Altius, & cui sunt longa internodia crurum,
Cuncta vorant, herbas primum, mox ore supino,
Arboreas frondes, summæque cacumina silvæ.
Hoc imbelle pecus, quod humi nascentia tantum
Gramina decerpit, vacuis jejunat in arvis.
*Can.* Quid verbis opus est? cunctis animantibus una est
Conditio, semper majora minoribus obsunt.
Agna lupo, mites aquilis sunt præda columbæ.
Innocuos delphin venatur in æquore pisces.
Unde fit hoc? certe res prodigiosa videtur.
Hæc loca, si procul hinc videas è rupibus altis,
Pingue solum, & multo vestitum gramine dicas.
Quo magis appropias, tanto magis omnia sordent.
*Fau.* Hoc est Roma viris avibus quod noctua, trunco
Insidel, & tamquam volucrum regina superbis
Nutibus, a longe plebem vocat, inscia fraudis

Turba coit, grandes oculos mirantur, & aures,
Turpe caput, rostrique minacis acumen aduncum.
Dumque super virgulta agili levitate feruntur
Nunc huc, nunc illuc, aliis vestigia filum
Illaqueat; retinent alias lita vimina visco,
Prædaque sunt omnes verubus torrenda salignis.
*Can.* O bellum hoc! poterit dici nihil aptius unquam.
Sed procul en coluber tortos in pulvere gressus
Flectit, & exertis sitiens ferit aëra linguis.
*Fau.* Candide, quæ moneo memori sub pectore serva.
Quando inter silvas gradieris, defende galero
Lumina, namque rubi prætendunt spicula longis
Dentibus, & curvus discerpit pallia mucro.
Nec depone pedum; multaque armare memento
Cote sinum, ne te subito novus opprimat hostis.
Et perone pedem tegito, spineta colubris
Plena hominum vitæ morsu insidiantur amaro.
Et nunc longa dies æstu facit acre venenum.
Mille lupi, totidem vulpes in vallibus istis
Lustra tenent, & quod dirum, ac mirabile dictu est,
Ipsi homines (cujus tanta est violentia cœli)
Sæpe lupi effigiem, moresque assumere vidi,
Inque suum sævire gregem, multaque madere
Cæde sui pecoris; factum vicinia ridet,
Nec scelus exhorret, nec talibus obviat ausis.
Sæpe etiam miris apparent monstra figuris,
Quæ tellus affecta malis influxibus edit.
Sæpe canes tantam in rabiem vertuntur, ut ipsos
Vincant cæde lupos, & qui tutela fuerunt
Hostiles ineunt animos & ovilia mactant.
Fama est Ægyptum coluisse animalia quædam,
Et pro numinibus multas habuisse ferarum.
Ista superstitio minor est quam nostra, ferarum
Hic aras habet omne genus, contraria certe
Naturæ res, atque Deo, qui dicitur olim
Præposuisse hominem cunctis animantibus unum.
Sæpe etiam morbosa æstas, & pestifer annus
Ingruit, & passim languens pecus omne per arva
Ster-

Sternitur, extinctæ dum balat ad ubera matris
Agnus obit, moritur duro sub pondere taurus.
Nec modus est morbo, non est medicina veneno.
Sed vicina domus vicino a limine mortem
Haurit, & assidue sumunt contagia vires.
Ista feras raro pestis rapit, utile semper
Fert pecus; extinctas caulas epulantur atroci
Dente lupi, nostraque feræ jactura opulescunt.
*Can.* Heu heu quam præceps miserum me insania traxit.
Credere fallaci gravis est dementia famæ.
Romuleos colles, Tiberim, Romanaque tecta
Audieram, & studio mens ast accensa videndi,
Ducendique bonis in tot præstantibus ævum.
Accessi cum parte gregis; tentoria demens
Totum pene larem cum pastoralibus armis
Trans juga summa tuli; mulctralia, cymbia, ahena,
Et cacabos, & quo formatur caseus orbem
Phagineum, impensam, atque operas amisimus omnes,
Quid faciam? quo me vertam? sperata negantur
Pabula; tot casus, tot ubique pericula; cogor
In veteres remeare casas, & cœpta fateri
Consiliis egressa malis, iterumque per æstus
Et montana pati longos per saxa labores.
Heu pecus infelix! o lævo sidere pastor
Huc avecte! fuit multo præstantius istud
Ignorasse solum, patrioque in limine tutos
Consumpsisse dies, gelidis senuisse sub antris,
Atque Padi circum ripas, Athesisve per agros,
Aut ubi per virides campos, & pascua nota
Mincius it, vel qua vitreo natat Abdua cursu
Consedisse, gregem pavisse salubribus herbis.
*Fau.* Te tua credulitas, & me mea fallit in horas.
Vidi ego supremæ qui prosperitatis habebant
Culmina, dum laudata petunt, cecidisse, nec unquam
Emersisse malis: facit experientia cautos.
Hi prius explorant, & non laudata sequuntur
Omnia, laude carent quæ sunt, meliora fuerunt.
Non nego quæ fama retinent, ac nomina servant

Cun-

Cuncta suis pollent vicibus, Luna, Adria, Troja,
Salvia, quas nobis memorabat sæpius Umber,
Nomine sunt solo, delevit cetera tempus.
Si minor est patriæ forsan modo gloria nostræ,
Res tamen est melior: laudatæ gloria Romæ
Quanta sit, in toto non est qui nesciat orbe.
Fama quidem manet, utilitas antiqua recessit.
Illi prisca quibus maduerunt pascua, fontes
Nunc humore carent, venis aqua defuit haustis.
Nulla pluit nubes, Tiberis non irrigat agros,
Tempus aquæ ductus veteres contrivit, & arcus,
Et castella ruunt, procul hinc, procul ite capellæ.
Hic jejuna fames, & languida regnat egestas,
Hic tamen (ut fama est) & nos quoque vidimus ipsi
Pastor adest quadam ducens ex alite nomen,
Lanigeri pecoris dives, ditissimus agri,
Carmine qui priscos vates, atque Orphea vincat,
Orphea qui traxit silvas, & saxa canendo.
Hic alios omni tantum virtute Latinos
Exuperat, quantum Tiberim Padus, Abdua Macram,
Lenta salix juncum, tribules rosa, populus algam.
Credimus hunc illi similem, qui Tityrus olim
Bissenos fumare dies altaria fecit.
Hic ovium custos, ipso vigilantior Argo,
Daphnide nec solum, sed eo qui dicitur olim
Admeti pavisse greges per Thessala rura
Doctior, omne pecus Solymi curare magistri
Dignus, & antiquo dignus succedere patri,
Qui fuit Assyrii pecoris post retia pastor.
Iste potest servare gregem, depellere morbos,
Humectare solum, dare pascua, solvere fontes,
Conciliare Jovem, fures arcere, luposque,
Si favet iste, mane; quod si negat iste favorem,
Candide, coge pecus, melioraque pascua quære.

*

## BEMBUS. Ecloga Decima.

*Candidus, Bembus, Batrachus, Myrmix.*

*Can.* Maxima pastores agitat discordia, Bembe,
Qui Solymos colles Galilaeaque rura colebant.
Batrachus hinc, Myrmix illinc, certare parati
Judice te: paucis, si non audire recusas,
Et nisi te revocant majora negotia, dicent.
Tu pater es vatum, tu scis componere lites,
Jurgiaque, & blandis convicia tollere verbis.
Te quoque Pierios fama est potasse liquores,
Et vidisse Deas, quibus est custodia sacri
Fontis, & Euboeae campos, ac Phocidis arva.
Ipse ubi fronde sua tibi tempora cinxit, Apollo,
Dona dedit citharam, nervos, & eburnea plectra.
*Bem.* Dicite, quandoquidem trepidos admovit ad ignes
Nos hiberna dies, dum non sinit ire per agros
Bruma greges, flatu Boreas dum saevit acuto,
Dum riget omne solum, tectis dum plurima pendet
Stiria, dum torpent sub aquis glacialibus amnes.
Otia damnantur, quae nulla negotia tractant.
*Myr.* Pastores, genus infelix, aestate vagamur
Pro grege solliciti, sed cum nos frigidus imber
Continet in stabulis, lites, & jurgia surgunt.
*Bat.* Qui veteres audent ritus mutare, suoque
Arbitrio, & nullis ducunt sub legibus aevum,
Hi sunt o Myrmix, qui bella domestica gignunt.
*Bem.* De veteri ritu? de consuetudine patrum
Rixa igitur vobis? leges, moresque parentum?
Batrache dic, dic cur nostrum venistis in orbem
Ex Phoenice solo? nos pascua vidimus illa.
Vidimus herbosos felici uligine campos.
Vertice Carmeli vitreis uberrima undis

Fons

Fons cadit, & rauco densum nemus irrigat amne.
Vidimus & Jordanis aquas, ubi maximus olim
Pastor oves mergens scabiem exsiccavit avitam.
Amnis hic a Libano veniens Galilæa per arva
Transit, & ampla lacu consurgit in æquora magno.
Unda coit rursum, rursum mare findit apertum,
Urbs ubi Romani de nomine dicta Tiberi.
Unda coit rursum, tandem Hiericunte relicta
Intrat in infames Asphalti gurgitis undas.
Hinc satis est nos horam omnem vidisse probatum.
Dicite, & hinc tandem vestras demergite lites.

*Myr.* Batrachus audaci semper sese ingerit ore,
Et mihi se præfert magno temerarius ausu.

*Bat.* Non ego me ingessi, processi a judice jussus.

*Be.* Pone pedum Myrmix, & tu quoque Batrache, non est
Orandum armatis manibus, sed mentibus æquis.
Batrache dic, Myrmix animi compesce furorem
Interea, ut venias magis ad responsa paratus.
Qui furit, insanit, qui vero insanit amaro
Impatiens animo, nec corda, nec ora gubernat.
Quidquid ait, vanum est, quidquid molitur, ineptum.

*Bat.* Bembe genus nostrum, generisque exordia dicam.
Venimus Assyriis, ut Candidus inquit, ab oris.
Est pater Helias nobis, qui sustulit armis
Pastorum genus omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in æthera curru.

*Bem.* Nobile, & antiquum genus hoc, & clara propago.

*Bat.* Pastores alii, quotquot per rura vagantur,
Omnia, sunt rivi nostris a fontibus orti.
Nos dedimus leges, pascendi ostendimus artem.
Quo magis hi peccant, qui cum sint ordine primi,
Primævum amittunt studia inconsulta sequendo.
Nos radix, alii rami, sed nos quoque rami
A veteri radice patrum jam ætate caduci.
Tradidit Helias certam pastoribus artem
Qua curare greges, qua noxia pabula fas est
Discere, & occultos imbres ventosque latentes,
Quive salubris foret, & qui pestifer annus.

Signa

Signa dedit, nihil omisit quod ovilia tangat.
Sed fons ille fluens, Carmeli è rupibus altis
Tam nitidus quondam, tam dulci limpidus unda,
Tramite mutato [ patet id ] modo currit in austrum,
Sed prius (extat adhuc vetus alveus) ibat ad ortum.
Hi cursus fecere novos, liquere priores,
Quos dederat rivo veterum prudentia patrum.
*Myr.* Quid tibi, sive novo currat, seu tramite prisco,
Dummodo fecundis humectet pascua lymphis?
Et quid de coeli quereris regione? per austrum
Solis iter; melior vitis, quæ respicit austrum.
Et melior legitur Libycis de collibus uva.
*Bat.* Est melior taxus, Boream quæ respicit, ergo
In Boream melius poterat decurrere rivus.
Pastor es, & curâ pecoris malesane relictâ
Sermonem de vite facis, quasi legibus iisdem
Grex, & vitis eant, nec quod discrimen in undis
Gramineque, & ventis, nosti, & quam noxius auster
Sit pecori: disce a Roma, si noxius auster.
Cur Mutinensis agri pecudes sunt vellere fusco?
Cur Clitumnus habet niveas? cur Mantua molli
Lanicio excellit? Veronaque proxima Manto?
Unde hæc multiplici rerum variantia forma?
Non aliunde nisi a costis, a gramine, & unda.
*Bem.* Candide, utrumque pedum procul hinc (rogo) protinus aufer:
Inter eos hodie video bellum acre futurum.
Clam cape, & aufer, subter sarmenta reconde.
*Bat.* Bembe mihi tecum sermo est: dum viximus una,
Dum commune pecus nobis fuit, heu mihi quantum
Dedecus, heu quot sunt pecudes incommoda passæ.
Nec mersare gregem fluvio, nec vellera certis
Temporibus, sicut mos est, tondere licebat.
Nudabant spineta pecus, nudata secabant
Terga rubi, scabie cutis aspera, tabidus humor
Pestis, & in totum serpebant ulcera corpus.
Multum igitur refert pecudes quæ pabula carpant,
Flumina quæ potent, & qua regione morentur

Dic

Dic mihi, dic Myrmix, priscum cur lana colorem
Perdidit? hæc gregibus quidnam nova vellera fecit?
Cur pecus est nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? immutarunt mutati vellera mores.
Bembe ad te redeo, paucis absolvere nitar.
Sed quo digna omni tua sit sententia laude,
Vera loquar, tu jura tenes, ego facta docebo.
Judicium reddit verum enarratio vera.
His animadversis, ægre tot damna ferentes
Venimus ad fontem, rivumque à vertice summo
Scrutari mihi cura fuit, tu provide Myrmix
Interea nidos avium, vel dorcada parvam
Venabare, tuæ quæ dona darentur amatæ.
*Myr.* Bembe vides, ut aperta in me convicia torquet?
Auguror, ista manu lis est, non ore agitanda.
Mos mihi, non lingua, maledicta refellere dextra.
*Can.* Batrache haud verum taceam, linguosior æquo es.
Jurgia bilem acuunt, convicia pectus acerbant.
Non tibi cum puero res est, nec homuncio Myrmix:
Res male tuta viros lingua irritare proterva.
*Bat.* Da veniam Myrmix, amitam proferre volenti
Nescio quis mihi misit in os malus error amatam.
*Myr.* Do veniam, cave ne rursum me voce lacessas.
*Bat.* Alveus excelsa saliens de rupe lacunam
Foderat, & clausis ripas æquaverat undis.
Gurges erat textu silvarum umbrosus opaco,
Densaque sepierant tristem spineta lacunam.
Mille venenorum species in gurgite vidi,
Mille secus ripas in opaco margine, mille
Per nemus ad lymphas sinuoso serpere gressu.
Obstupui, & rapido rediens ad ovilia cursu
Incipio paleas furca versare tricorni.
Ecce caput tollit coluber, linguaque trisulca
Sibilat, inflantur fauces, nepa livida tendit
Brachia, venenosus profert vestigia bufo.
Vipera per stipulam gradiens, strepit, o loca dixi
Non pecori tantum, verum & pastoribus ipsis
Noxia! mox grege diviso de sedibus illis

Pascua quæsitum tristis meliora recessi.
Perque iter antiquum fontis nova flumina duxi
In campos, ubi prima suos Aurora colores
Explicat, & croceos Phœbi redeuntis ad ortus.
Hic mihi fœcundæ pecudes, hic pascua læta
Et sine labe liquor, dulces sine crimine lymphæ,
Hæc loca primævi sunt quæ coluere parentes.
Signa casæ superant, puteus, cariosaque ligna
Fixa solo, sejuncta pedum discrimine septem,
Et focus, & lacera quæ cingitur aëra sepe.

*Myr.* Cura viris gravibus rerum solet esse novarum,
Propterea certe nova pascua quæris, & amnes
Fingis inauditos, & vis novus auctor haberi.

*Bat.* Cura viris gravibus rerum solet esse suarum,
Propterea Myrmix nimis a gravitate recedis.
Hæc novitas non est novitas, sed vera vetustas,
Relligio, & pietas patrum instaurata resurgit,
Quam tua corrupit levitas, & nota tuorum
Segnities; igitur siquis labentia tecta
Erigit, & sterilem qui mansuefecerit agrum
Judice te damnandus erit? non ponitur arbor
Altera, sed veteri inseritur bona virgula trunco;
Segne prius lignum nostro fit fertile cultu.

*Myr.* Quamvis pingue tuo pecori sit gramen, & unda
Defecata, tamen multæ cum matribus agnæ
Interiere, lupi, & pastæ meminere volucres.

*Bat.* Hæ fateor, quæ dira tuæ contagia pestis
Accepere, etiam procul aspicientibus obsunt.
Tantum virus inest, vestri vis tanta veneni.
Propterea magis atque magis discedere semper
Est animus, patitur pecus hæc incommoda nostrum
Sola, quod in vastam nondum discessit eremum.
Nec satis: a vobis procul in deserta recessit.

*Myr.* Batrache de gregibus mentiris plurima nostris.
Certe alienarum tibi cura superflua rerum.
Et temere assummis partes censoris iniqui.
Cur mihi qui pasco, cujum pecus, ista tueri
Non licuit? solisne domus mea cognita vobis?

*Bat.*

*Bat.* Æthiopes una quoniam nigredine ſordent,
Ille color nulli vitio datur, omnibus idem
Vultus, & alterius ſiquis reprenderet ora
Et ſua damnaret, pecori pecoriſque magiſtris
Fex eadem, ſcabies eadem, cutis, & dolor idem.
*Bem.* Parcite, jam ſatis eſt lis intellecta, dieſque
Inclinata cadit, jam poſt juga ſumma ruit ſol.
Audite o magni generis longæva propago,
Lite ſuper veſtra, quæ ſit ſententia noſtra.
*Myr.* Batrache me audaci toties ſermone laceſſis.
*Bat.* Non ego, ſed non æqua magis te cauſa laceſſit.
Judiciumque timet ſibi mens male conſcia juſtum.
*Can.* Quando inimicitias tempus deponere, rurſum
Veſtra novas lites vecordia ſuſcitat, ergo
Perpetuis hæc rixa odiis æterna manebit?
Quæ vos debilitas capitis, quæ inſania vexat?
Non pudet his uti tanto ſub judice nugis?
Ergo animis audite æquis, odiiſque ſepultis
Ultima doctiloqui quæ ſit ſententia Bembi.
*Bat.* Ferte per antiquos patrum veſtigia greſſus,
Et veteres ſervate vias, revocate vagantes
Per valles, & ſaxa greges, per luſtra ferarum.
Figite in antiquis iterum magalia campis.



PAU-

# PAULI MANUTII

## ROMANI.

*Ad eos qui laborarunt pro salute Bonfadii.*

DIlectæ musis animæ, Jovis unica cura,
In quibus & rectum, & longos extincta per annos
Nunc demum exoriens virtus antiqua relucet,
Et tu, qui docti dux inclitus agminis anteis,
Magnanime o juvenis Grimoalde, quis ille, quis esse
Tam culto ingenio possit, tam divite vena,
Officium vestrum qui versibus exprimat aptis?
Lapsus erat miser in culpam Bonfadius; index
Detulerat patribus, nec inani teste probarat.
Quid facerent legum custodes? legibus uti
Coguntur: dignum est: servantur legibus urbes.
Continuo infelix in carcere conditur atro.
Nuntius interea tristis percusserat aures
Omnium amicorum, vestris dolor hæsit acerbus
Mentibus: afflicti properè concurritis omnes.
O pietas, o prisca fides, vos crimine duro
Oppressum, & multis invisum. non tamen ipsi
Pendentem extremo casu liquistis amicum.
Pugnastis precibus, fletu pugnastis amaro,
Si possent flecti sensus, mentesque severæ.
Est etiam minime dubio sermone relatum,
Argento atque auro multos cupiisse redemptum.
Docta cohors quid agis? turbatis navigat Euris
Spes tua: vana petis, portuque salutis aberras.
Ne lacrimas, ne funde ultra: desiste precari.

Suscipis ingratum studium, sterilemque laborem.
Fixa manet duris sententia legibus atrox
Si fecit, pereat: functum patet, ergo peribit.
Horrendum carmen, tamen immutabile: quod non
Frangere vis hominum, non flectere gratia possit.
Exprimitur tandem hoc invito a judice, vivus
Ne comburatur crepitanti deditus igni,
Tum se carnifici sævo Bonfadius ultro;
Mente Deum spectans, animo imperterritus offert:
Ille ministerio properè functurus iniquo,
Terribilis rigidam suspendit ad alta securim.
Quem feris ah scelerata manus? quam nobile collum
Percutis, ignoras, & quo te sanguine tingis?
Hic qui prostratus jugulum tibi porrigit, a te
Fortiter exspectans extremi vulneris ictum,
Dulcibus & numeris, & molli doctus avena.
Cùm caneret versus Musis, & Apolline dignos,
Aërio sacras descendere monte Camœnas,
Atque habitare tuo, Benace, in littore jussit.
Hic & Romano eloquio, & præcollit Etrusco,
Mansuetus, facilis, dulci sermone disertus.
Hæc tu non audis: sed inanibus irrita ventis
Mandantur, quæcunque loquor: tu parcere nescis;
Eximios, humilesque feris discrimine nullo.
Sic visum est superis; mutari fata nequibant.
Fixum erat, ut damnatus, & acri judice victus,
Bonfadi, ante diem Ligurum morereris in urbe.
Urbs præclara viris, urbs classe insignis, & armis,
Barbaricæ gentis magnis decorata trophæis,
Cur veterem a nobis, cur fidum avellis amicum?
Non tamen obscurus perit, aut inglorius: extant
Scripta viri; quæ posteritas mirabitur omnis.
Tu quoque in historiis seros memorata per annos
Genua florebis viridi cum laude: & ab illo,
Quem tu extinxisti, tibi lucida gloria surget.
At tu; cui miser extrema Bonfadius hora
Aspersam lacrimis misit per scripta salutem;
Flos Ligurum Grimoalde, tuæ decus urbis, & orbis,
Et

Et vos o Phœbo ſacri, ſtudiiſque decoris
Egregii juvenes, mœſtum lenite dolorem.
Jam ſat honorifico celebraſtis funera fletu:
Jam ſatis officio, ſatis & tribuiſtis amori:
Nec veſtrum ſtudium, pietas nec veſtra latebit,
Sed clarorum hominum ſemper noteſcet ab ore.
Et quas ille truci correptus morte nequivit
Officio, ſtudioque pares perſolvere grates,
Has qui perpetuâ vobis cum laude rependat,
Forſitan alter erit, vel jam eſt, multique ſequentur.
Vive diu ſtudioſa manus, doctamque Minervam
Excole, quæ veſtras divino nectare mentes
Paſcet, & extremum tribuet per ſæcula nomen.

*Ad Hieronymam Columnam.*

Hesperus, ætherei longè pulcherrimus orbis,
Inter nitet ſtellas vagas;
Et roſa fragrantes flores tulit inter honores,
Cruore tincta Cypriæ.
At te femineæ decus, o Hieronyma, gentis,
Terris dedere Cœlites.





# ANTONII MARII LIGURIS.

## *Ad Hieronymum Fracastorium.*

FRaſtori venerande, anima mihi carior ipſa,
Ut valeas, quidnam juncto pede, quidve ſoluto
Scribas, ſcire velim, dum te Marpeſia celſo
Colle tenet; placidi ſectantem commoda ruris.
An medicas herbas Phœbo monſtrante per agros
Colligis, ut caros cives a funere ſerves?
An Dryadum miſtus choreis, Fauniſque jocoſis
Agreſti ludis calamo, quæ Tityrus olim
Cantet, & umbroſo miretur Naïs ab antro?
An potius volucri raptu ſuper æthera mente,
Colloquio frueris Turrî, ſecumque vagaris,
Ignotaſque vias ſtellarum, orbeſque tueris
Ignotos, veterumque palam commenta refutas?
Felix, quem populi de tempeſtatibus atris
Ereptum, claro ſiſtit Sapientia cœlo.
At nos indoctæ ſequimur veſtigia turbæ,
Parvaque miramur, quia numquam cernere magna
Contigit; hinc vana deludit imagine mentem
Aut ſpes, aut metus: invadit nunc falsa voluptas,
Nunc falsus dolor; in primis me torva feroci
Pauperies vultu terret, ceu triſtis Erinnys,
Quum pavidum flammis ultricibus urget Oreſtem.
Sæpe loquor mecum, taciturſque hæc corde voluto:
Incipe ſorte tua contentus vivere, teque
Liber, & impavidus fortunæ oppone ſuperbæ.

Nemo pauperie miser est, aurove beatus est.
Oppressum morbo Chromilum de paupere lecto
Transfer in auratos thalamos, & stragula picta;
Non tamen ægroto decedet corpore febris.
Impatiens, æstuque amens vigilabit; at idem,
Quum validus silvis apros venatur, in alta
Hibernas noctes nive dormit suaviter; ægrum
Sic animum nec divitiæ sanare valebunt,
Nec mentem sanam vel magna offendere egestas.
Quare age, si carus Superis, si carus amicis
Esse velis, animum semper cole: cetera mitte.
Cuncta potest sprevisse aliquis, nemo omnia habere.
Ille opibus vincet Crœsos, illi fluet Hermus,
Cui licuit contemnere opes; sunt denique certæ
Divitiæ, Virtus, Sapientia: quas neque bellum,
Nec mors suprema potis est rapuisse favilla
Hæc mecum. Sed cuncta fluunt animo; simul atque
Tabentes artus, & commoda multa volentem
Aspicio miseram juvenili in flore senectam.
Crudeles Parcæ, dulcis nec dona juventæ
Carpere, nec lentos finitis finire dolores:
Non mea vos pietas, tremuli non vota parentis,
Non lacrimæ vestras potuerunt flectere mentes.
At tu, quem Phœbus lethales pellere morbos
Edocuit, citharaque amnes easque morari,
Huc ades, o Pastori, averfaque Numina flecte
Carminibus, tabemque meo de corpore pelle.

## THYRSIS, EGLOGA.

Vos mihi, quæ quomdam Thyrsis puer, & puer Alcon
Dixerit, alternis dum certant versibus ambo,
Dicite pastorum divi; vos namque canentes
Mirati, silva liquistis sæpe Lycæi,
Et pueros densa lustrastis sæpe chorea.
At tu, quem nimbosa suum vocat Archia regem,
Seu colis Augusti nunc alta palatia, sive
Rupe sub aëria propter Benacidas undas,

Turrianum lugens, cithara miserabile carmen
Ingeminas, tumuloque pium superaddis honorem,
Huc ades, & primos pueri puer aspice lusus,
Lusus, quos, patulæ dum crescentem arboris umbram
Attenuat, vacuas cantet frondator ad auras.
Interea crescent anni; mihi dexter Apollo
Majores texenda dabit in carmina vires.
Tum patriam linquens, Veronæ dulcia rura
Adveniam: hic lætus nemorum viridante sub umbra,
Dum vaga Benaci volitant per flumina cymbæ,
Virtutesque, artesque canam, & tua maxima facta.
Archiadem intonsi referent juga celsa Brioni.
Gaudebunt Nymphæ Benacides, & mihi flores
Purpureos in serta legent; pater ipse canenti
Albula cæruleis assurget leniter undis.
O tantum hoc Musæ vestro concedite vati:
Tunc licet extremæ veniant mihi tempora vitæ,
Ipse tamen Tithoni ævum superasse videbor.
Hæc olim: vos nunc pastorum dicite Musam
Hircipedes Fauni: rapidum sol igneus æstum
Accendebat agris, cùm somnum, & frigora captant
Custodes ovium, Thyrsis puer, & puer Alcon
Propter aquam dejecti herboso in gramine ripæ,
Alterno vacui cœperunt ludere cantu.
Cantabant illi, calamos inflabat Alexis.

*T.* Nymphæ, quæ parvi colitis vaga flumina Rheni,
Pan felix ovium custos Satyrique bicornes,
Accipite has voces, aut me jam Phyllis Amyntæ
Præferat, aut celeri curas mihi demite letho.

*A.* Faune pater, si sæpe tuos cantavimus ignes,
Si tibi ritè sacra suspendi cornua pinu,
Cùm tua purpureis ornabit tempora sertis
Lydia, dic, nostros ne semper temnat amores.

*T.* Colles, intonsi colles, & mollia prata,
Et qui vos placido percurrit flumine Rhenus,
Dicite non mea vos docuit jam Phyllis amare,
Dum canit, aut læris dum vos arridet ocellis?
Fontes, muscosi fontes, nimiumque beati,

Qui caput, & niveos dominæ perfunditis artus,
Dicite non mea vos urit Galatea, virenti
Seu ſedet in ripa vitreis ſeu ludit in undis?
*T.* Candidior cycnis, laſcivo mollior hædo,
Pulchrior irriguis hortis meus ardor Jolas
Clam venit, & gracili curas dum ſolor avena,
Dulcia ſæpe meo commiſcet baſia cantu.
*A.* Nobilior violis, æſtiva lenior aura.
Gratior umbroſa platano, mea cura, Lycoris
Mecum ſervat oves, mecum per prata vagatur,
Junctior ut caræ vitis non hæreat ulmo.
*T.* Aſpicis, ut læti ſurgunt per gramina flores,
Ut variis volucrum reſonat concentibus aër.
Utque virent ſilvæ, utque omnis germinat arbos:
Hæc facies, hæc eſt Lycidæ ridentis imago.
*A.* Vidiſtin'? croceo dum lux inſurgit Olympo,
Aut glaciem canas inter fulgere pruinas,
Aut rorem de puniceis ſtillare roſetis.
Hæc facies, hæc eſt Vari lugentis imago.
*T.* Hîc Zephyri molles, hîc coniferæ cypariſſi,
Hîc antra, hîc tremuli fugiunt per gramina rivi,
Hîc mecum Lycida fiſcellas texere junco
Velles, aut timidos pennis includere cervos.
*A.* Nunc mihi nec gelidi fontes, nec paſcua Vare
Læta placent, culti jam ſordent numina ruris:
Huc ades, & gelidi fontes, & læta placebunt
Paſcua nec fuerit quidquam mihi dulcius agris.
*T.* O mihi ſi placidum referat ſe pulcher Jolas,
Si formoſa meam non ſpernat Phyllis avenam:
Si mihi ſerta ſuis manibus legat Orithyia,
O tua Faune quibus ornarem cornua donis!
*A.* O mihi ſi currant his lactea flumina ripis:
Si virides liquido flaveſcant melle geniſtæ:
Si Tyriis ovium pingantur vellera ſuccis:
O quales mea tunc audires Lydia verſus!
Hæc illi: pulſæ reſpondent omnia valles,
Vicinas donec rapidus caloꝛ ire ſub umbras
Compulit, & potum paſtas egere capellas.

*Ad Aloysium Avilam.*

Amice magni Cæsaris Avila,
Comes fidelis militiæ, & togæ,
Germanico insignis trophæo,
Gloria prima equitum, decusque
De bello anhelum seu reparas latus,
Ut alma terris incubuit quies,
Seu cuncta Cæsar bellicosus
Fulminibus quatiat tremendis,
Summos honores percipis undique.
Sævos in hostes intrepidè arripit
Se prima virtus, cùm recessit
Victa procul rabies furoris.
Superba divi prœlia Caroli
Mox expeditis historiis refers,
Ducumque fortium labores
Muneribus decoras supremis.
Ut incruento Marte rebellium
Iras minaces contudit hostium:
Ut vicit excelso Suevas
Pectore, Vindelicasque gentes,
Describis æquus; te neque laus tua
Amorve gentis flectit Ibericæ,
Sed impetu quanto, fideque
Bella geris fera, gesta dicis.
Dicis vadosas Albis aquas, manum
Dicis fugacem Saxonis impii,
Dicis potentiam tyranni
Cæsarea domitam catena.
Scriptor probatus, miles ut inclitus,
Esto superstes, tristia nec meo
Te fata plectro, neu superbis
Cæsaris invideant triumphis.

Ad

## *Ad M. Plemmirium.*

Jam luculentâ Marce pecuniâ
Tumultuosum per mare cursitans,
Quam comparasti, disce tandem,
Disce, precor, sapienter uti.
Nam congerendis divitiis modus
Hîc esse debet, pauperiem ut tibi,
Tuisque liberis repellens,
Lætus agas superest quod ævi.
Ergo relictis navibus, & mari,
Ad tuta ruris te refer otia:
Insanientis & procellæ
Dirum alii paveant furorem.
Quis non benignæ culta nitentia
Terræ minaci præferat Hadriæ?
Quis candido gregi catervas
Comparat horribiles natantum?
Quod si lucellum te capit, & sua
Sunt lucra gnavis agricolis: pecus,
Saltusque & arva diligenti
Sunt domino bene fructuosa.
Nam terra mater reddere diligit
Magno colenti semina fœnore,
Ni tu recusas illam aratro,
Assiduisque juvare rastris.
Est hic agellus, villaque collibus
Fundata amœnis: quam liquidi ambiunt
Fontes, & arcens umbra opaca
Silva canis orientis æstum.
His tu coemptis incipe tempora
Post longa tandem vivere conjugis
In dulcis amplexu, daturus
Lætam animam veniente letho.

## Ad Vesperam.

O sidus almæ Cypridis,
O noctis aureum decus,
Vesper, tuo qui luminis
Fulgore tantum sidera
Anteis, comæ sol igneus
Quantum nitore Cynthiæ
Præstat, precor, ne deneges
Amice Vesper candidum
Lumen tuum mihi, in sinum
Eunti Hyellæ, atque oscula.
Tu sis viæ comes unicus,
Quando omnia atra condita
Sunt nocte, quando Cynthia
Negat suum lumen mihi.
Non me impii cupiditas
Furti, cruoris aut sitis;
Sed sæva vis Cupidinis,
Meo æstuans in pectore,
Has ire compellat vias.
Cùm stella sis Veneris bonæ,
Quæ sancti Amoris est parens;
Juvare amantes te decet.

## Ad Nymphas Bononienses.

Nymphæ, quæ parvi colitis vaga flumina Rheni,
Et blando agrestes uritis igne Deos,
Liba dat hæc vobis, vobis hæc pulcher Jolas
Porrigit in gelidas nigra falerna domos.
Vos puerum accipite, atque instanti arcete periclo,
Dum vestram niveo pectore pellit aquam.

*De Hyla.*

Cùm molles dominæ formosus Hylas hyacinthos
Mitteret, & vernis plena canistra rosis;
Flens, ait, ite rosæ, felices ite hyacinthi:
Cur nunc dona mihi non licet esse mea?

# MARRASII SICULI



## AD LEONARDUM ARETINUM,

*De laudibus Fontis Gai.*

NOn opus est Scythicum senibus disquirere fontem,
Quo sub demersis prima juventa redit.
Unus apud Scythiam per saxa latentia repit,
Funditat & lymphas ante Senense Forum.
Hic situs in media fons est argenteus urbe:
Et tumulus vivis ossibus ille meis.
Phœbus ab Eoo roseas cum solvit habenas
Mane videt Gai lumine fontis aquas.
Quicumque hos latices haurit, quicumque liquore
Et calet inprimis & juvenescit aquis.
Vidi ego Nestoreos qui jam transiverat annos
Submersum juvenis membra referre senem.
Sed si forte meis tete juvenescere sentis
Versibus: his lymphis unda Papyrus erat.
Non versus fecere mei, nec inepta poësis,
Sed quibus aspersis sæpe libellus aquis.
Fons hic exornat juvenes, urbemque Senensem:
Numen habet laqueos, retia, mille iocos.
Sanguineos arcus pharetram flammamque, sagittas,
Deposuit Gajo candida fonte Venus.

Hac ſatus ulterius; nec vult volitare per auras:
Exuit huc pennas, depoſuitque faces.
Per turres tum non volitat, nec mœnia noſtra
Egreditur: feſſus fonte cupido ſedet.
Algentes ardent: & ſunt in amore furentes
Quam primum biberint pocula dulcis aquæ.
Huc, Leonarde, veni ſacros hauſtare liquores;
Sic juvenis fies; ſic in amore furens
Poſtquam marmoribus gelidoque in fon e reſedi,
Plena fuere mihi corda dolore gravi.
Vellem divini raperent mea corda furores
Ad quos me hortaris dive poëta tuos.
Sed ne intemperie dubito mea pectora vexent,
Ridiculum ut dicar qualibet urbe caput.
Si manifeſta meam rapiet veſania mentem,
Prima ſalus gelido mergere fonte comas.
Nam quem Gorgoneo primum appellavere poëtæ,
Nunc fontem Gajum tempora noſtra vocant.
Cruda voluptatis ſiquid mea verba tulerunt,
Carminibus noſtris ſi qua libido fuit;
Laus omnis Veneri datur: omnis gloria fonti:
Quos cecini verſus hæc mihi dictat aqua.
Quid mihi collibuit me inter numerare Tibullos:
Credo meas nugas captus amore probes.
Si te deſcripſi priſcos ſuperare poëtas,
Me licet immenſus numquam fefellit amor.
Sed quia laudarit decepta eſt lingua: ſed illa
Neſcivit laudes accumulare tuas.
Poſtremo, ne longa trahar per devia, ſacros
Hic ſuperat fontes numine, melle, joco.
Huc, Leonarde, veni ſacros hauſtare liquores:
Sic juvenis fies, ſic in amore furens.

*Ad Leonardum Aretinum.*

Mos erat antiquis, ſua cum cruciare volebant
Ingenia, ad doctos ſæpe coire viros.

Mar-

Marcum non puduit sapientem audire Catonem:
  Multaque Aristotelem turba secuta fuit.
Te sequor: es toto vates celeberrimus orbe,
  Orator summus rhetor in arte prior.
Aretine fave: te tamquam numen adoro;
  Namque tibi placidam cessit Apollo lyram.
Pæniteat nec te blando legisse libellum
  Lumine, ne nugas cerne dolore meas.
O utinam de te possem componere versus,
  Quales Virgilius, Callimachusque tulit.
Si ad Mæcenatem veteres scripsere poëtæ
  Carmina: Mæcenas carmine dignus erat.
Si sunt grata animo, quæ scripsi verba perennis,
  Aspice, te vivam tempora multa sene.
Ergo vale & nugas postquam laniaveris, edam,
  Sin minus, in cista clausa Papyrus erit,
Quæ cito si tinea non obtunderur iniqua,
  Vestiet & chartis pharmacopola piper.

*Ad Joannem Pratenem.*

Prate meum numen meum, lux mea gaudia legi
  Prate tuos versus: & placuere magis
Et te divinum possum appellare poëtam,
  Namque elegos redoles: Virgiliosque sapis.
Est gravior mihi pena tuis quod privor ocellis;
  Et quod te careo: quam tibi cura mei
Si cupis alternis studiis nos jungere amores
  Ast ego juvamus tempora cuncta simul.
Nec fidei templum, nec te mea vita fefelli;
  Marrabus pereat si caret ipse fide.
Est mea salva fides veniam dixisse fatebor,
  Cum dixi veniam non sine lege fuit.
Pollicitus colere & villas & florea rura,
  Pluminaque & rivos sole calente fui.
Preteriere dies jam jam cecinere cicade,
  Et folie arboribus jam decidere suis.

Nunc

Nunc deformis hyems me territat, angit & ipsum
  Me prope venturi principium studii.
Ergo nec adversum fundas me Prate querelas;
  Iratus cum sis concutit ossa tremor.
Si veniam, non tecta tui, non alta subibo
  Atria, ut hoc videam, te magis ipse petam.
Nec sine te villæ, nec te sine rura placerent,
  Nec sine te fontes; nec mihi silva placet.
Quod petis a superis ut me Angelina Sicanum
  Horreat, ut vultus horreat usque meos.
Istud idem faciam divis & thure Sabæo,
  Ut fugiat vultus Francia bella tuos.
Sive velis nobisque etiam Deus annuat, ut sic
  Illa meos oculos: horreat illa tuos.

*Ad Maffeum Vegium, responsio.*

Mœstus eram: veniunt ad me tua carmina Vegi,
  Excutiuntque meum dulcia verba metum.
Et postquam decies, totiens tua dicta relegi,
  Et cum terdecies, tunc placuere magis.
Namque lyra & fidibus nostrum venere camœnæ
  Ad thalamum: cithara venit Apollo tua.
Et cecinit nivea vestitus pectora veste,
  Pexuque auricomus, lucidus arte caput.
Quamvis in cunctis solet errabunda capillis
  Tempora, & incultas undique ferre comas.
Et cecinere tuum Phœbo saltante sorores,
  Carmen: & alternis saltibus ille canit.
Splendida post sequitur centum Angelina Dearum,
  Splendidior cunctis ipsa Deabus erat.
Et gemitum & luctum & quem sufferre dolorem
  Vix poteram, excussit carmine sola tuo.
Tale tuum carmen quo me solatus amantem es;
  Quale fuit dixit Sicelis esse volo.
Angelina fuit; sed non persona locuta
  Ulla fuit: quamvis Angela, ficta fuit.

Præterea ante oculos posuit tua Musa Catonem,
 Et te quem pedibus sola elegia premit.
Antoni vatis divino carmine læti,
 Æternam famam sæcla futura ferent.
Ovidii eloquium, nec te lascive Properti,
 Horrescit; nec si unus uterque fores.
Ante alias alium ponunt sua verba Catonem,
 Quem lex & Musæ & sancta poësis amant.
Hos inter cantus subito moribunda resurgunt
 Pectora: deinde abiit pallidus ore color
Non minor & nostro datur hæc medicina dolori,
 Quam data Romuleis quæque Sabina fuit.
Magna tuis calamis referatur gloria Veggi,
 Namque ego servatus carmine teque fui.
Dii te perpetuent, cuncta & per sæcla beatum
 Reddant: sint vitæ stamina longa tuæ.
Et ne frigescant vires, mihi mitte Thaliam,
 Cum cythara & cantu, carminibusque tuis.

*Ad Carolum Aretinum Hecatombe.*

Credebam, Grajos latices coluisse Camœnas,
 Solum quæ canerent impare dicta sono.
Horrendas acies, horrendaque prœlia cerno,
 Carole, quæ dictas his madefactus aquis.
Armatæ veniunt; mirum est, e fonte sorores,
 Intrant & thalamum splendida turba meum.
Secum blanditias, lascivaque verba ferebant,
 Otiaque & plausus, deliciasque prius.
Consuevere comas niveis ornare ligustris,
 Cingebat frontem fulva corona suam.
Consuevere caput viridi connectere oliva,
 Stabat & auratis vestibus arte nitor.
Aurea per flavos serpebat spica capillos,
 Ornabat nitidas candida gemma manus.
Nunc clipeos hastasque ferunt, parmamque sudemque,
 Pilaque sunt manibus tela verenda suis.

Car-

Carmen voce gravi meme offendere canentes
Ranarum & murum bella timenda Jovi.
Dum legerem timui Meridarpaga; Borborophontes
Ut timeam, major sollicitudo fuit.
Obstupui medius galeata per agmina murum,
Territus hinc ranis, inde Deabus eram.
Nec me interpellant Nymphæ tua dicta legentem;
Talia perfectis una locuta fuit.
Carolus udus aquis, & nostro numine dignus,
Pollicitus centum est cædere ritè boves.
Bos ubi centenus? quando centena dabuntur
Munera? vota Dei persolvenda volunt.
Ipse boves habeat centum, totidemque Capellas,
Atque sua irroret jugera sola Tagos.
Nos voluimus cantet titulos, & numina nostra,
Cum testudineam pulsat Apollo lyram.
Centum elegos faciat, centena poëmata nobis
Poscat, & accipiet grandia dona sinu.
Accipite hos dixi, seque hoc absolvite voto,
Centum elegos pro se composuisse libet.
Illa refert: sua sunt gratissima carmina nobis,
Sunt & Apollineis illa canenda sonis.
Lauro ornandus erit, nisi sit quod serta corymbis
Laurea, nique hederæ vincat honore comas.
Inde abiere omnes, & me sibi multa volentem
Quærere, destituunt, diffugiuntque thorum.
Centum elegos una pecierunt voce puellæ;
Centum elegos placida scribere mente velis.
Carole rivus aquæ manat qui fonte Senensi,
Nec tibi, nec culquam despiciendus eat.
Tarquinii conjunx Gajos libasse liquores
Fertur, & ante alias facta puella proba est.
Hinc proba quæque fuit primæva ætate puella,
Et Tanaquil primo Gaja vocata fuit.
Hunc Gajum vocitant certe a probitate sororum
Fontem, quem celebrant numina sacra novem.
Carole, crede mihi, non hæc sententia nostra est:
Quæ cecini foliis verba Sibylla dedit.

Ob-

Obſequere interea; quamvis tua carmina Homerum
  Spirant, & quamvis numen Homerus habet.
Namque polita nimis, nimis & limata fuere
  Carmina, Phœbeo ſuſcipienda ſinu.
Certant Virgilio, ſunt & certantia Homeri
  Verſibus, & certant, ſi qua Tibullus habet.
Sive Helicone tui fundantur ſæpe capilli,
  Sive caballina ſparſerit unda pedes.
Seu juga Parnaſſi ſpatiere per ardua montis,
  Sive per Aſcræos iveris ipſe lacus.
Sive ubicumque velis requieſcere, protinus illuc
  Adveniet celeri quæque Thalia pede.
Ut timeam Gajo repetant te fonte relicto,
  Atque habitent pectus turba decora tuum.
Muſas nec metuas; nam ſi te linquere vellent,
  Et Phœbus fugeret, te Nicolaus amat.
Hic habet & Muſas, & mille poëmata, mille
  Hiſtorias, priſcos & bene noſcit avos.
Eja agites, poſtquam ceciniſti parva ſub antro
  Mœonio, Antiphaten, eja Cyclopa agites.
Non facile eſt clarum quidquam componere, ſi quis
  Neglexit primo ſcribere velle jocos.
Non pelagi tumidos fluctus ſecuiſſet Jaſon,
  Is niſi per tenues ſæpius iſſet aquas.
Qui poſtquam medium ſulcavit nauta profundum,
  Auratæ ad patriam vellera vexit ovis.
Cortice populeo ni ſeſe armaſſet Achilles,
  Fixiſſet timidas ni prius ille feras;
Vulcani tam magna humeris numquam arma tuliſſet,
  Sanguine ab Hectoreo nec rubuiſſet humus.
Muribus & ranis niſi præluſiſſet Homerus,
  Iliadis magnum non ceciniſſet opus.
Et poſtquam eloquio cantaſti parva rotundo,
  Aggredere æternam te precor Iliadem.
Ulterius proprias non vult errare per urbes,
  Mæonides, Tuſcas vult habitare domos.
Ilias, antiqui quam neſcivere poetæ
  Transferre, & Latiis edere quippe novam;

Mavult in linguam per te migrare Latinam,
Quam velit Argolicas nunc habitare casas.
Te petit iste labor, tibi gloria summa relicta est,
Sitque humeris validis sarcina grata tuis.
Sed prius his Nymphis placida parere decorum est
Mente, fac extollas nomen ad astra suum.
Centum elegos una perierunt voce puellæ;
Centum elegos placida scribere mente velis.

*Ad Barnabam, studia Humanitatis deserentem.*

Qua monitus fueras mihi dulcis epistola ad aures
Venit, ab ornatis verba legenda viris.
Scriptum in primis: Barnabeu, trado salutem
Ad te ego Petrucius, comis amice, meam.
Non dubito id faciet limato te atque vetusto
Eloquio ad priscam protinus ire viam.
Flecteret immitem, quo quondam capta noverca est,
Hippolytum, Phædra & mortua nulla foret.
Si Phalaris quemquam vellet comburere tauro,
Voce sua accensum extingueret ante focum.
Proposito affixos poterit deflectere divos,
Deque tuis humeris solvese Phœbe lyram.
Fabellam at volui risu dignam prius ipse
Scribere, & attendes carmina mixta joco.
Cur sereret nullas segetes, quæsivit egenum
Dives, respondit: semina quisque ferit.
Tempestate alia pauci sulcare solebant,
Horrendamque famem, frigora longa, sitim.
Tunc ego fortis humo mandabam semina, lætus
Excœpi fructum ac aurea poma simul.
Nunc potero ad tantas aliorum vivere terras,
Dulcia vina bibam, dulcia mala legam.
Dives ad hæc: propriis implebunt horrea granis
Agricolæ, & frugis quisquis avarus erit.
Adventante hyeme & longævo frigore noctis,
Tu sine pane bibes pocula tristis aquæ.

De-

Despexit ditem cautum sententia egeni,
 Atque urgente fame mortuus ille fuit.
Non aliam poteris causam præbere roganti,
 Quam de fruge habuit dives ab Agricola.
Audes humanis studiis indicere bellum?
 Indignum facinus tempora nostra vident.
Monstra quis hæc credet? medias sitibundus ad undas
 Non bibit, ille vorax despuit ore cibos.
Temporibus primis tu solus in urbe colebas
 Rhetoras, & quamvis nullus in urbe foret.
Pauperie tunc dives eras; nunc copia egentum
 Te facit; affluxus Rhetoris ipse nocet.
Non opus est monitu, cum te Andreotius ardens
 Admonuit, placidos edidit ille sales.
Si a se discedis, tu te discedis ab ipso.
 Deque viro armato factus inermis eris.
Si studia atque artes fugies; tu pectore nostros
 Ex Erebo infernas ipse vocabo Deas.
Non nisi Tisiphonem, & Tisiphonesque sorores,
 Aut si quid Stygio gurgite pejus erit.
Irruet ante oculos Furiarum turba: timebis
 Flagra Dei inferni, & milia, crede, facum.
At si non fugies, sacras vocitabo Camœnas,
 Aut si quid Cœlo dignius esse potest.
At si non fugies, suaves opobalsama odores
 Spirent, & violæ, spargat & aura crocos.
Aut repetas Musas, aut tot pellemus ab urbe
 Rhetoras, & primas ique redique vias.

*Ad Æneam Silviaden responsio.*

Non hilarem accipiat me me Trinacria tellus,
 Ni dedero Æneæ carmina mille prius.
Verbula, quæ niveo tu vis mea marmore pingi,
 Sunt tectura piper, cinnama, thura, crocum.
Versibus ornasti tantis Marrasia Tempe,
 Ut me immortalem longa papyrus agat.

Nugas non agito, nisi sint mea plena furore
Pectora: tunc scribo, cum venit ille furor.
Silvias Æneas cantabitur, atque decora
Pocula, & alteruter carmina nostra leget.
Ipse vale; & laudes si mille optaveris; ora,
Ut cito diripiat pectora nostra furor.

*Ad Leonardum Arretinum, Præfatio in Angelinetum.*

Hunc, Leonarde tuo volui obsignare libellum
Nomine, quo titulus luceat ipse magis.
Si quoi dandus honos Grai pariterque Latini
Eloquii, & quidquid laudis in orbe fuit.
Si quoi debetur fama immortalis avorum,
Arretine, tibi gloria prima manet.
Effingis priscos nimia gravitate parentes,
Et superas veteres tu probitate viros.
Non solum dicant tibi se debere Latini;
Verum etiam Argolici teque tuosque colant.
Non minus in Graium conversus sermo Latinus,
Quam Graium per te lingua Latina tenet.
Eloquitur lepida ac ornata voce Latinus
Factus Aristoteles: barbarus ante fuit.
Punica bella diu tot in annis mortua, vivunt:
Rex Cicero vivit, non moriturque Plato.
Quid recitem libros te jam vertisse Pelasgos
Innumeros, totidem composuisse novos?
Italiæ lumen, per te venere Camœnæ
Ad Latium, per te dicta vetusta placent.
Indulgere velis nostro, Arretine, furori;
Sive sit ille furor, sive sit ille dolor.
Judicium facias nostro de carmine, sive
Thura tegat, vel sint verbula digna legi.
Quæ si judicio fuerint laudata benigno:
Mordeat obliquantum quisque poëta velit.
Nec pigeat nostris te respondere tabellis,
Sive velis prorsa, carmine sive velis.

Si mihi rescribes, Musas venisse putabo
 Aonio ex fonte, & numina sacra novem.
Indulgere velis nostro, Arrotine, furori,
 Sive sit ille furor, sive sit ille dolor.
Quando novi vates usi sunt tempore prisco
 Carmina, Phœbeos consuluere focos.
Nunc quærenda meis non sunt oracla Sybillæ
 Versibus, & Phœbus despiciendus erit.
Tu Cumæa mihi, tu Phœbeæque sorores,
 Phœbus eris calamis, Calliopeque meis.

*Responsio ad Guarinum.*

Postquam tu nostris respondes dive tabellis,
 Et postquam placuit nostra Camœna tibi.
Gloria Marrasio dabitur non parva Sicano,
 Atque futurus honos non mihi parcus erit.
Omnia, quæ veteres nostri scripsere Latini,
 Carmine, prosa, & cuncta, Guarine, sapis.
Non minus & Grajas inter doctissimus artis,
 Sive velis prosa, carmine sive velis.
Adde, quod historias, scripsit quas doctior Argis
 Plutarchus, transfers, & meliora doces.
Non ego descripsi quam prima theatra colebant
 Larvam, sed quam nunc regia quæque tenet.
Si primos ortus primæva ab origine vellem
 Scribere, principium tunc mihi Thespis erat.
Post Thespin, palla cum mimis atque cothurno
 Æschylus ad nostri tecta fecundus erat.
Tunc me oblectarent dicentem hæc omnia, sed nunc
 Fæce nihil calamos ora peruncta juvant.
Idcirco mimos, scenam, grandemque cothurnum
 Præterii, non hos fabula nostra colit.
A me tibicen, populus spectator, & omnis
 Tibia præterita est, præteritaque tubæ.
Sed ne cui dubio foret hæc mea larva legenti,
 Personæ alterius tempora & arma canis.
Quæ veluti flores, quando cecidere, moritur,
 Larvatus moritur, quum sua larva cadit.

Nil moritur, cessare suo si tempore dicam:
Nonque mori cessat, ceu . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Nonque mori cessat, ceu rosa quisquis amor.
Quam mihi misisti larvam sine matre, novercam
Ipsa habet, & plures est sibi nacta patres.
Quam mihi nullus inest genitor, sed candida mater
Mitior, atque illi nulla noverca fuit.
Ipse meam, tuque ipse tuam jungamus utrasque,
Conjugioque adsint Bacchus & ipsa Venus.
Ex his ambabus nascetur filius unus
Monstrum, quod vultus continet ante retro.
Hæc jocor, hæc habui festis aptata diebus,
Officii ingratus ne ferar ipse tui.
Maxima carminibus referatur gratia, namque
Perpetuo vivent carmina nostra tuis.

*Ad Cyriacum Anconitanum.*

Si qua fuere virûm divina epigrammata saxis,
Insctipta obscuro nomine, clara facis.
Tanta libido animo veterum monumenta videndi,
Fixa tuo, ut mundus area parva fuit.
Hinc tibi præclaro Musæ arrisere Latinæ,
Hincque tibi Argivæ mille dedere jocos.
Comis es, & frugi, vel sancto dignus amore,
Cyriace, hinc larvas accipe amice novas.
Illis siquid inest crudum, aut non auribus æquum,
Si qua juventa illis nunc videatur inesse,
Id reseca, sive ipse, tua, fac, arte senescat,
Jocundo ut possint lumine verba legi.
Cyriace hoc pacto capias munuscula nostra,
Ut mihi larvato tu comes esse velis.

*Ad Franciscum Tallonium, ut divam puellam comperiat, cantari dignam carmine: ubi mores puellæ, digne amari, describentur.*

Petrus ab Etrusca postquam me compulit ora,
  Ingenio, & Musis, & sine amore frui.
Et raucæ nostrum ranæ excussere cerebrum,
  Quæ ad Patavi fines, & loca spurca natant.
Tris, inter medicos, vigilavi squallidus annos;
  Hippocratem legi, non sine rege Arabe.
Expertus varias herbas, variosque liquores,
  Ægrotis didici ferre libenter opem.
Interea nullo caluerunt pectora amore
  Sæva neque injecit spicula acerbus amor.
Nunc ego limosas timeo, algentesque paludes,
  Inviaque & steriles undique, stagna, lacus;
Ut dubitem in saxum subito mea corpora vertant,
  Neu rigeant, veluti, frigida corda, nives.
Cum, Francisce, tibi divum non defuit unquam
  Judicium versus, atque decoris item.
Cum relegis nostros, atque oblectaris eisdem
  Versibus, & nugæ cum placuere meæ.
Ut redeant primæ citharæ, Musæque priores,
  Nunc tibi arundinea est quæque petenda palus.
Fluminaque & rivi, fontes & stagna petantur,
  Et quoscumque locos splendida Nympha colit.
Sæpe inter salices Nymphas errare videmus,
  Sæpe inter calamos, sæpius inter aquas.
Excerpenda tibi nunc est ex vallibus istis
  Nympha decora meis sæpe canenda sonis;
Hos habeat mores, mentemque animumque modestum;
  Nec modo sit facilis, nec modo cruda nimis.
Gaudeat interdum me prætereunte; revolvat
  Interdum faciem, dissimuletque suam.
Hæc mihi discruciet quotiens me viderit illa,
  Læta nec ex habitu sæpe sit illa meo.

Illa mihi facie nitida, vultuque sereno
  Rideat, ut nostrum bulliat igne jecur.
Illa Meduseo nec me respexerit ore,
  Sum velut Aglauros frigidus unde lapis.
Me flentem si quando etiam tristemque videret;
  Se mitem atque hilarem præbeat illa mihi.
Hanc mihi si dederis divam, Francisce, puellam,
  Mille leges dignam, conficiamque sibi.
Hoc mihi natura est, nisi sim devictus amore,
  Nulla fluunt nostro carmina docta sinu.
Nec tibi deficient ex nostro carmine laudes:
  Atque mihi æterno tempore amicus eris.

*Ad Ducem Ferrariæ.*

Nonnisi de sancta volui, clarissime Princeps,
  Pace loqui nostris versibus atque jocis.
Pax tranquilla tuos populos sine fine tenebit:
  Tu pius & verus pacis amator ades.
Fortis es & justus non justo tempore Princeps;
  Quem tibi subjecti numinis instar habent.
Tu juvenis natu, sed prudentissimus heros,
  Tu regis imperiis regna paterna tuis.
Atque ita tu populos, cives, gentesque gubernas,
  Ut videare tuis anteferendus avis.
Atque ita tu cunctis dignos largiris honores,
  Ut te divinum quilibet esse putet.
Est opulenta viris urbs hæc Ferraria multis,
  Hospitium pacis te duce semper erit.
Non minus & patris semper fuit aucta triumphis
  Tellus finitimis invidiosa locis.
Hesperia de gente truces mortale duellum
  Expleturi, hostes hic habuere locum.
Indixere diem pro se sibi quisque tyrannus,
  Armati venient ad fera bella viri.
Dumque animus dubius, dum mors vicina videtur,
  Divisit sapiens prœlia voce parens.
Quos nec magna ducum, nec magna potentia regum,
  Hos potuit genitor conciliare tuus.

Ad-

Adde quod & Latiis erat exitiale periclum
Urbibus, & multis bella futura malis.
Et populi atque duces accingebantur ad arma,
Atque erat Italicis una ruina Deis;
Ni pater illustris tecum posuisset opimam
Pacem, inter Venetos Anguigerumque ducem.
Conticeo proavos, quibus exornaris ab ævo,
Unde Estense genus, quis, Leonelle, parens.
Magnum opus & magnas res scribere non sine magno
Ingenio; & nostrum quam puerile vides.
Sed si forte meum nunc fortunatius esset
Ingenium, canerem teque tuamque domum.
Gaudeo quod studiis rerum hoc es tempore princeps
Deditus humanis, clarus & eloquio es.
Mecenas obiit, simul oppetiere poetæ,
Sed tibi nascetur, sive poeta tuus.
Est opulenta viris urbs hæc Ferraria multis,
Hospitium pacis te duce semper erit.
Et Baccho Cererique, est & gratissima Phœbo,
Hanc amat, hancque colit, tuncque tuetur Amor.
Tantis culta Deis visa est mihi dulcius amari
Hanc urbem placuit nosque genusque suum.
Ut nulla sub parte poli perpessus iniquas
Tot fuerim pœnas, totque timenda mala.
Res mira & nostris non est audita, nec ullis
Temporibus, voluit quot fera bella pati.
Audi, & vera leges quot sunt discrimina amantum,
Quotque viæ, & quantis subdita vita malis.
Pro nihilo faciunt & mille pericula, mille
Mortes, atque volunt mille perire modis.
Hæc mihi nota via est per quam vestigia novi
Sæpius; & vidi, quam sit amara via.
Si tantis objecta malis est vita, voluptas
Una subest illi, quæ mihi pluris erat.
Hæc erit, ut teneam placidam facilemque puellam,
Ut veniat domina sub ditione mea.
Post multos luctus, lites, sævosque dolores,
Pax tranquilla fuit, non habitura modum.

Et juvenes pacem retinent, pacemque puellæ;
Si quid agunt, pacis omnia plena vides.
Pax tranquilla suos populos sine fine tenebit;
Tu pius & verus pacis amator ades.

*De transmutatione, laboriosaque amatorum vita, ad Medusam divam Puellam.*

Quam timui, ante meos oculos objecta, Medusa,
Et mea cum laqueo colla superba ligas.
Scis tenui facieque tua mihi sæpe minacem
Extimui, & mores insidiasque tuas.
Quid, si te fugio, me firmius ipsa catena
Stringis? si redeo, me quid iniqua fugis?
Tu quotiens nostros mutasti carmine vultus!
Tu quotiens oculis corpora tota tuis!
Sæpe ego vipereos summa cervice capillos,
Oraque terna humeris stant rabiosa canis.
Sæpe fui mitis, tenero mansuetior agno;
Et mea cæsaries aurea sæpe fuit.
Ah quotiens stabulis fœnum paleamque momordi!
Excubui quotiens more timentis apri!
Me celerem quotiens texit furnaria vestis,
Nec mihi pistori janua aperta fuit.
In me præcipites veniant, qui mœnia lustrant;
Pervigiles cursant in mea crura canes,
Efficior tener, atque macer pinguissimus; adde
Uno eodemque die vir, puer, atque senex.
Quid referam? convertor amans in mille figuras,
Quaque die, & totidem nocte silente novas.
Brachia tu quævis mutasti, & corpora nostra,
Non animum poteris, blanda Medusa, meum.
Contribuere mihi nascenti sidera legem,
Et connexa pari fila fuere manu;
Ut numquam sine amore velint mea corda manere,
Seu Paris ipse mihi, seu mihi Nestor ero.

# CAROLI MARSUPPINI ARETINI.

*Eulogium in Leonardum Aretinum.*

NUnc sacræ Musæ sanctos nunc solvite crines
  Nunc grandes lacrimæ sancta per ora fluant.
Memnona & Aurora flevit, Tuturnaque Turnum,
  Æacidæ fato flevit & alma Thetis.
Ipsa Venus pulchro lacrimas impendit Adonidi,
  Æneamque pium flevit & ipsa Venus.
Orphei, Calliope doluit, cum fluminis Hebri,
  Eurydicen clamans volveret unda caput.
Juppiter ipse pater, parent cui sidera Mundi
  Dicitur & nato condoluisse suo.
Nam Leonardus obiit, vester qui ductor & arma
  Induit in campis, vestraque signa tulit.
Nunc jacet, heu miseri, pheretro nunc ille sepulchro
  Effertur jamjam, claudet & ossa lapis.
Ergo senes mœrent, juvenes, matresque, virique,
  Creditur & silvis ingemuisse feras.
Tum claros Phœbus oculos avertit: & ipse
  Opposuitque nives, occuluitque faces.
Quid juvat antiquos nunc evolvisse poëtas,
  Doctaque græcorum tot monumenta virûm?
Quidve tuam prodest scripsisse Fluentia claram
  Historiam: & mores excoluisse probos.
Cum sanctos etiam rapiant mala numina, Parcæ:
  Et data sit, fatis, omnibus atra dies.

Aspice Virgilium, Siculi qui carmine vatis
Pastores docuit ruraque Ascra tua.
Hic certè divo potuit concurrere Homero:
Sit tamen hic gnatus: sit tamen ille pater.
Hujus enim fictis incensa est carmine Dido:
Hujus at in veris membra perusta rogis.
Linum Neve valuit genitor defendere Apollo:
Ivit & ad manes ipse gemente lyra.
Hic movit cithara condenda in mœnia saxa:
Illiusque rapax unda retenta sono.
At neuter potuit sævam pervincere mortem:
Neuter & invisas continuisse manus.
Invida quid similis producis secula corvis,
Natura, & cornix sæcula tanta manet?
Cum genus humanum, potuit quod cernere causas
Rerum, tum si qua sidera mente rotent,
Tam rapido vitæ decurrat tempora cursu:
Et cadat in medio sæpius ab spatio.
I nunc atque altum verbis compone cothurnum:
Iratosque Deos, verba nefanda, cane.
Carminis est auctor: periit testudine tanti
Armiger, & damnat lumina falsa Jovis.
Sic vatum varia rapiuntur corpora morte,
Natura, fati vique jubente simul.
Hic canibus rapidis laniandum corpus & artus
Præbuit; huic mortem gaudia falsa ferunt.
Sic pereunt cuncti Scriptores carmina sive
Ludunt: seu torquent tela dicata foro.
Historias scribis moriens doctissime Livi:
Scribis & annales, tu moriere, Fabi.
Nec novisse juvat mundi miracula, quare
Occurrant rapidis sidera cuncta polis:
Curve suum Phœbe totum flammaverit orbem:
Proxima cur fratri cornua & ipsa gerat.
Cur spirent venti: cur Tetys & augeat undas:
Intorta & sævo fulmina Marte cadant.
Quis cœlum volvat; quæ sint sua semina rebus,
Seu terra, aut aër; sive sit ignis, aqua.

Seu

Seu vacuum est corpus: seu sine carentia cuncta:
Materia aut potius: junctaque formæ simul.
Labitur & vento cur coelo stella, quid imber
Decidat; aut quando Juppiter ipse tonet.
Quidve animus vigilet, teneat cum corpora somnus:
Et quid sejuncto corpore liber agat.
Denique si noscas tenues nam quis indicet umbras:
Non tamen ad manes est tibi septa via.
Sic miser ingeniis finis: labor irritus omnis:
Omnes, ah miseri, somnia, & umbra sumus.
Immo manent vates famâ per sæcula cuncta,
Durat & Orator, durat & Historicus.
Vivet Aristoteles: Plato vivet & omne per ævum
Ulla nec abstulerit tot monumenta dies.
Sed tua, quæ jactas, pereant miracula, Memphis,
Imbribus aut annis, fulmine tacta cadant.
Sic Babylon cecidit: sic est nudata sepulchro
Caria, sic Cretæ Dædala tecta ruant.
At non divini tollet mors nomen Homeri:
Vivet in æternum cuncta per ora Maro.
Æschylus & vivet, vivet tum carmen Orestis,
Oedipus & vivet carmine cum tragico.
Gloria divini floret Ciceronis: & acris
Nunc Demosthenéos fama per ora virûm.
Si pueri gremio liquit cum corpore vitam
Pindarus: at chartis spiritus ipse sonat;
Et modo nobiscum divos modo Pythia cantat;
Et modo victoris præmia cantat equi.
Si legitur Naso, non sunt ea carmina nostra:
Nostra, sed illius vox perhibenda magis.
Delia si nostro: si Lesbia cantat in ore,
Ore Catulle meo; tuque Tibulle canis.
Sic loquitur mutus, vivunt sic mortua semper
Corpora: ut arboribus sic reviviscit honos:
Sic Leonarde tuum nomen celebrabitur annis
Innumeris; obitu gloria major erit.
Nec sua cum doctum spectarunt tempora Crispum,
Nunc Crispum quantum tempora nostra probant.

Disputat in Latio Plato sua dogmata per te;
  Socratica & Latio mors miseranda venit.
Tu modo Aristotelis reddis monumenta Latinis:
  Ut patriam servent: seque, suamque domum.
Deficit haud natus: nec pignora cata nepotes:
  Et siquid valeant nec sibi divitiæ:
Corpore tum valido duxisti tempora vitæ:
  Moribus & sanctis vita severa fuit.
Es felix igitur: sapiunt si dicta Solonis,
  In te fortunæ nulla relicta via est.
Ergo quid optamus, quid numina magna querelis
  Tundimus, inque Deos verba nefanda cadunt?
Urbs Patavina sui celebravit funera Livi,
  At tibi nunc gemina fertur ab urbe decus.
Te Arretium signis, ornat Florentia signis:
  Hæc tibi natura est: legibus hæc patria.
Hæc tibi pro merito summos mandavit honores:
  Hæc simul & doctis bella gerenda viris.
Hæc & rem:, Cosmus patriæ dum tractat habenas,
  Immunem fecit teque tuosque simul.
Tullius Arpinas Romanam protegit urbem.
  Florentina tuo consilio tegitur.
Hujus & historia est per te decursa: sed ipsum
  In medio cursu mors inimica rapit.
Hæc tibi defuncto quærit quæ præmia reddat:
  Visaque sunt nulla præmia digna satis.
Ipsa tamen merito cingit tua tempora lauro:
  Convenit hæc vati; convenit illa duci.
Giannoziusque simul doctus te in funere laudat;
  Et capiti trepidis serta dedit manibus.
Si bene pro meritis cœlestia numina reddunt,
  Ibis ad Elysios nunc Leonarde viros.
Occurretque tuus redimitus tempora Dantes:
  Qui canit infernas & super astra vias.
Advenietque simul multa gravitate Petrarcha:
  Boccaciusque simul: Coluciusque simul.
His ducibus venies, florent ubi gramine campi:
  Augebisque pios agmina docta choros.

Nunc

Nunc Leonarde vale: tuque o Florentia gaude,
Gaude tam claris accumulata bonis.
Propter aquas positum fuit ante Fluentia nomen:
At nunc, quæ flores, hoc tibi nomen inest:
Urbs Romana suos misit tunc læta colonos:
Felici auspicio mœnia jacta tua.
Suspiciunt omnes educta palatia cœlo:
Signaque marmoribus: templaque sacra Deum.
Suspiciuntque domos, armataque turribus altis
Mœnia: tum saxis quam bene strata via est.
Despectant montes: mediusque interfluit Arnus,
Arnus Pisano flumina danda mari.
Divitiæ ingentes: hominum vis magna frequentat.
Ars bona non ulla est: quæ tibi deficiat.
His patribus nati similes: lætusque parentum
Os nati quisque spectat in ore suum.
Hic decus hic Cosmus condit Laurentia templa,
Templaque sunt illi condita Marce tibi.
Qui genere est clarus summa probitate verendus:
Qui lumen patriæ, qui decus omne suæ.
Qui favet ingeniis; faveant sibi numina semper
Deprecor: atque annis mollia fata suis.
Hic sculptura viget: priscus tum vivit Apelles:
Et statuas vivas ducit ab ære manus.
Hæc justa, hæc sapiens, hæc est moderata: nec altos
Deicit hæc animos, dum bene bella gerit.
Hæc certe antiquas studiis miratur Athenas:
Grajaque gymnasiis dogmata cuncta legit.
Ergo omnes laudant merito mage: sed mage laudant
Quod ponis doctis præmia tanta viris.
Nutrit honos artes: stimulos currentibus addit:
Addit & igniculos gloria magna probis.
Philosophos igitur gignis: sanctosque poëtas,
Gignis & orantes, gignis & historicos.
Ergo omnes dicant meritam te, & carmine laudent
Spes certa studiis una relicta bonis.

Ad

*Ad Pontanum Juvenem doctissimum, cur suæ Musæ diutius sileant responsio: atque belli detestatio.*

Mœnia si bellum, bellum si diffingit urbes:
 Et miseras gentes tristia bella ferunt,
Te procul a nostris jubeo discedere terris:
 Cum galea & clypeo nunc periturus abi.
Non hæc terra tibi: non hæc Gradive colenda:
 Jam geticos campos: frigidaque arva pete.
Hic delubra tibi nudis horrentia silvis:
 Stat limen ferro: ferrea statque domus.
Hic nix, hic glacies, hic grando, hic agmina venti:
 Aptaque sunt sceleri cuncta, cruente, tuo.
Te decet hic laxas furiis immittere habenas,
 His acies campis fervere quippe decet.
Jam satis Hesperiæ, satis es bacchatus in oris,
 Jam satis est cædis, sanguinis atque satis.
Jam squalent campi, jam poscunt arva colonos:
 Jamque suas segetes: mœret & alma Ceres.
Et nimio lapsu queritur jam serpere vitem
 Liber: ut inculto vertice tangat humum.
Aspice sacrilegis manibus jam cedere silvas:
 Quid teneras vites sæve Lygurge premis?
Ægida jam sumpsit: galeamque hastamque potentem:
 Inventisque timet casta Minerva suis.
Quin & oves viridi nimium procedere campo
 Horrent: nec tuti per sua regna boves.
Non lupus, at ferrum miseris: hostisque timetur,
 Hic lupus agricolæ est: heu lupus ille bovi.
Ah quotiens tectum repetens crescentibus umbris
 Agricola in medias incidit insidias,
Ah quotiens tardos stimulat dum forte juvencos
 Visceribus sensit vulnus habere suis.
Ubera quin & referunt languentia vaccæ:
 Rugosa etiam tenues ubera fertis oves.
Non opus est mulctra: mulctræ calathique valete.
 Lac non agricolæ est: non canibusve serum.

Nec satis est equiti virides quod conterat herbas:
Floribus & rores, dum strepit, ille cadant.
Tecta sed infestis apium petit imperibus hastis:
Et cellis fractis dulcia mella fluunt.
Hinc trepidi è castris fugiunt ex agmine reges;
Disruptosque favos cuspide plorat apis.
Crinibus hinc fusis videas errare Napæas:
Ah pereant siquos impia bella juvant.
Hæc quota pars nobis tanti Gradive furoris!
Indignis saxis mœnia rupta jacent.
Omnia jam circum ferro atque incendia vastant,
Non cædi finis: non scelerique modus.
Quid juvat humanas ferro deperdere gentes:
Flumina quidve, furens, ire cruenta juvat?
O utinam sævo finisses carcere vitam,
Nec tibi Atlantiades ipse tulisset opem;
Cum gemini fratres proles Neptunia dura
Ausi sunt manibus subdere vincla tuis.
Sed fuit auxilio cyllenius: heu tua quantum
Tunc clades nobis exitiumque fuit!
Nec tamen & semper prosunt crudelia bella:
Vulnera nunc repeto sæpe tulisse vices.
Cum latus extremum cuspis Diomedea fixit
Proh pudor atque homini vulnera facta Deo.
Tum quantum exclamant hominum bis milia quinque,
Cum repetunt acri bella nefanda manu.
Tam magna terras implesti: atque æthera voce,
Ut tremerent Danai: Dardaniique simul,
Dicitur & Xanthus mediis exterritus undis,
Concussa est Ide, territus est Simois.
Visaque tum volucris tremulis petere aëra pennis,
Et trepidi pisces concava saxa petunt.
Turbine dehinc cœlo tendit sic oblitus ille
Sanguine divino constitit ante Deos.
Non hominum puduit regi divumque parenti
Dicere mortali vulnera facta manu.
Dicere nec puduit pedibus sperasse salutem:
Hei mihi quam melius tardus inersque fores!

Juppiter ipse pater rabiem: sævosque furores
  Increpat: & matri quod nimis ipse places.
Quidquid tam cordi bellum & discordia pugnæ
  Invisumque sibi non minus esse docet.
Heu quid Tidide vulnus non altius actum:
  Corque ferox medium ruperit hasta tuum.
Non castella suis non clausis opida portis:
  Nec certe insidiæ nec media urbe forent.
Non tota aspiceres vigiles discurrere nocte
  Non fusos somno, non variare vices.
Nec secura quies media vocat arma quiete:
  Hostis & adventum clam sibi quisque timet.
Hunc strepitus terret: timet hic & harundinis umbram:
  Sollicitus bello murmura quæque tremit.
Denique non Galli peterent Capitolia nocte,
  Ansere non ullo mœnia tuta forent.
Ah quotiens dulci celebrans convivia vino
  Projecit mensas horrida in arma ruens.
Ah quotiens gremio conjunx dum conjugis heret,
  Excitus è gremio currit ad arma furens.
Templa Deum quotiens infandas urere flammas
  Vidimus: & sacris expoliata suis!
Proh scelus ah quotiens virgo raptatur ab armis,
  Nec tua Cassandram templa, Minerva, juvant!
Atque viro quotiens nondum matura puella
  Clamans materno vellitur è gremio!
Non esset bellum: terris scelus omne perisset;
  Namque furor duxit Martius omne nefas.
Non genitor natum ferro: natusque parentem
  Lumina fedatum cerneret ante sua.
Nunc soror & fratrem miserum: fraterque sororem,
  Vir nunc uxorem: mœret & illa virum.
Nunc gnatam mater, fusis, nec filia matris
  Mœret ad exequias funera acerba, comis.
Undique nunc etiam patrantur denique cædes,
  Ut laxent Parcas stamina rupta manu.
Hæc scelera aspiciens divûm quî sanguine cretum,
  Et genitum Martem crederet esse Jove?

Cau-

Caucasea ah potius genuerunt tristia saxa:
Tigris & Armenie ubera sæva dedit.
Quam male Romanus sanctos tibi fecit honores:
Saltantes Salios: templaque sacra dedit!
Quam male Romanus sanctos tibi fecit honores;
Auctoremque sui sanguinis esse probat.
Hæccine Saturni Latio nunc præmia reddis?
Hæccine sunt patruo nomina digna tuo?
Ergo ingratus abi, tecumque irasque, minasque
Aufer: & insidias: telaque sæva tuas:
Teque tuos & equos barathro ceu Curtius abde:
Italiamque tuo nomine fæve leve.
Tunc Pontane tibi potero transferre Platona:
Dummodo sint vires ingeniumque mihi.
Tunc & Aristotelis poteris cognoscere nodos,
Quidquid natura, moribus, ille probet.
Mæonios etiam potero percurre campos,
Et legere Ascræo carmina culta seni.
Atque Syracosii vatis decerpere flores,
Carmine & Arateo sidera scripta legam.
Quis etiam nautis Colchos offenderit Argo,
Quæ maria; & quantas fugerit ille vias.
Thebanos etiam potero perquirere fontes,
Carmina Romanis non imitanda viris.
Æschylus atque inflet quasi sua verba cothurno,
Et quidquid Sophocles carmine hiante sonet.
Orphea sique probem, non deerunt Orphica nobis
Carmina: Aristoteles illius esse negat.
Denique tum noscam quidquid comœdia falsum;
Et quidquid chartis Græcia docta canit.
Nunc fragor atque tubæ, nec cornua, tympana terrent:
Vixqne sinunt chartis invigilare meis
Hæc tu dum cernes quæras non amplius ergo:
Varronis Musæ tempora longa silent.

*Ad Pontanum.*

Cur Pontane, meos dulcis recludere fontes
Exigis: & teneros ludere versiculos?
Carmine formosam poscis laudare puellam;
Quæ superat Nymphas: vincit & illa Deas.
Divina est forma: divino & carmine nobis
Est opus: ut laudes occupet ipsa suas.
Tunc modo tunc dentur tua carmina docte Properti,
Tunc mihi tunc elegi culte Tibulle tui.
Tunc te Galle velim nostro de pectore fundas,
Tunc assit Naso: Callimachusque mihi.
Assit & Alcæus nobis: & mascula Sappho,
Tunc veniat Calvus: tuque Tibulle veni.
Denique quod cecinit Cocus, & quid Teja Musa;
Et quidquid Varro, carmina nostra sonent.
Namque animus Xandram cunctis quum pulchrior extat
Ducere: tum nomen tollere in astra suum.
Non opus est vobis, intres modo pectora nostra;
Corde meo et regnum pone superba tuum;
Tunc Helicona modo: tunc Musas pectore dicam,
Sexcentos vates lingua canora dabit.
Si deerunt vires? vires dabit illa; hæc umquam
Deficient elegi, dum meus assit amor.
Hæc modo materia est, hæc risus: venerit illa,
Et versus veniet: si fugit illa, fugit.
Tu modo blanditias, tu dulcia carmina fingis,
Tu Naso & Gallus: tuque Tibullus eris.
Nunc nubes: ventique sonant, nec frigora tardant
Ingenium: & Veneri cuncta inimica vigent.
At ver cum variis terram vestiverit herbis:
Et venient pratis: arboribusque comæ.
Carmine tunc tremulas potero narrare choreas:
Quas duxit toto conspicienda foro.
Utque puellarum visa est pulcherrima turbâ,
Et Venus est oculis visa habitare suis.
Formosæ cunctæ: forma tam præterit omnes:
Quam superat Nymphas casta Diana suas.

Quid

Quid valeant crines: digitique & candida colla.
Quid roseæ valeant oscula grata genæ.
Quidve lyra possit digitis cum carmina pulsat:
Ut Phœbo & Musis doctius illa canat.
Utque Minerva tuas cunctas pernoverit artes,
Et quidquid vobis culta puella petit.
Denique si poscas, dicam tibi carmina mille:
Dotibus illius carmina mille dabo.

*Ad Cyriacum Anconitanum.*

Cyriace antiquos inter numerande poëtas,
Rhetoras antiquos inter, & Historicos.
Tu modo navalis scribis discrimina pugnæ;
Et modo Mercurio Cæsaris acta canis.
Eloquio grajo dictas epigrammata sæpe:
Sæpe etiam nostro carmina multa facis.
Omnibus in rebus assunt tua numina Musæ,
Dant certe ingenio vela secunda tuo.
Ignorant docti causas: quæruntque frequenter
Unde tibi eloquium, copia tanta tibi est.
Nec certe immerito: cum nil didicisse magistro
Dicas: & ferulæ surripuisse manum.
Ast ego cognosco spirent cur pectore vates,
Cur sermone vales: carmine curve vales.
Hic maria & ventos & duros perferet imbres:
Ut sibi quam grandes accumulentur opes.
At tu non gemmis: non fulvo carperis auro:
Sed res antiquas quærere magna sitis.
Nam modo Pyramidum spectas miracula solers,
Et legis ignotis scripta notata feris.
Nunc & relliquias Babylonis quæris; & horti
Pensilis, & quantum mœnia lata ruant.
Caria an antiquo fuerit spoliata sepulchro,
Vel Mausolei nobilis extet opus.
Diruta templa petis totum celebranda per orbem,
Omnis & antiqui nomina gymnasii,

Hic divi exploras quid sint epigrammata Homeri:
  Quæque & in Ascræi morte notata senis.
Quin etiam purgas spinis obducta sepulchra;
  Priscorum et versus reddis in ora virum.
Et modo de vasta misisti epigrammata rupe:
  Quæ fuerant Musis: Panque dicata tibi.
Denique quæ tabulæ: quæque æra & marmora signant,
  Omnia sunt chartis illa reposta tuis.
Sicque tuo heredes: sic vivunt munere vates:
  Vivit & orator: vivit & Historicus,
Tanguntur superi meritis, tanguntur & umbræ,
  Tangitur Elysiis turba locata thoris.
Quandocumque igitur mente scribenda revolvis:
  Hæret & in digitis charta notanda tuis.
Creditur Elysia scriptorum sede relicta
  Ludere per thalamos agmina docta tuos.
Seu cupis historias: seu malis scribere causas:
  Seu pedibus junctis: sive solutus eas.
Virgilius versum, versum tum dictat Homerus,
  Tullius ardenti suggerit arma foro.
Suggeris historias facundo pectore Livi,
  Annales priscos suggeris ipse Fabi.
Sive optas elegos, spirat de pectore Gallus,
  Callimachus spirat: spirat & Ovidius.
Seu gaudes nugis, veniunt magno agmine nugæ:
  Plenaque sunt nugis omnia dicta tua.
Denique de nihilo si nil describere tentas,
  Omnia quæ scribis dicitur esse jocus.
Felix qui tantos valeas simulare poëtas:
  Et valeas etiam dum cupis esse jocus.

*Ad Poggium. De Mercurio sibi misso a Cyriaco Anconitano.*

Cyriacus nobis misit modo munera Poggi:
  Mercurium propria pinxerat ille manu:
Ut vidi obstupui: stupeoque & flectere nusquam
  Ex illo possum lumina capta semel.

Que

Quo magis aſpicio, magis exardeſcit amore,
Viſus & illius pendet amore magis.
Me miſerum! timeo facies ne picta Meduſæ
Sanguine, ſic fiant corpora noſtra lapis.
Vivit Atlantiades: an falſa decipit umbra;
Et falſus ludit lumina noſtra color?
Aſpice quam pulchre juvenili corpore currat,
Purpurea ut retro flaminc veſtis eat.
Et quæ flava coma eſt: qualique adoperta galero,
Quæ pennæ & plantis, aurea virga manu.
Timantem ingenio jam nunc ſuperare valebis,
Cyriace: & quidquid fecerit arte manus.
Parrhaſium tabulis vinces: vinceſque cavandis
Pyrgotelen gemmis: Mentoraque in pateris.
Quin etiam ſolers tecum ſi certet Apelles,
Cedet Mercurio victa colore Venus.
Seu tu Phidiaca malis certare Minerva,
Ægida deiciet victa Minerva tibi.
Seu magis ille Jovem forma oſtentabit eburna
Phidiacum: victum vilvis ibit ebur.
Sive Helenam pingis: ſeu falſis decipis uvis
Zeuxis aves viſis, diceris arte rudis.
Seu Polycletus equos, Euphranor & alta coloſſi
Sculpſerit: atque vivo marmora viva boves.
Neptunumque Scopas iterum, verumque marinas
Delphinis credat numina grata Deas.
Praxiteleſque Gnidi rurſus te marmore ſignet
Pulchra Venus quo ſit nobilis ipſa Gnidos.
Denique Lyſippus fingat ſpirantia ſigna:
Omnia Mercurio cedere viſa meo.
Sic igitur merito vitam producite Parcæ
Cyriaco: & tarda ducite fila colo,
Cum venit atra dies, tuto ſint oſſa ſepulchro:
Et doctas tellus non premat ulla manus.
Aſt ego nate Jovis te intento lumine ſemper:
Semper & aſpiciat bibliotheca mea.
Semper eris cuſtos græcis noſtriſque libellis,
Semper eris voti maxima cura mei.

Qui mihi si tantas dederis in carmine vires,
  Namque vales; possim dicere digna Deo.
Tunc ego navigiis findam majoribus æquor:
  Nec nunc ut verbis parvula cymba meis.
Tum juvet a tuto longe discedere portu:
  Et juvet in medio pandere vela salo.
Tunc te non humilis dicam pulcherrima Maja
  Rupibus arcadiæ concubuisse Jovi.
Utque tuo partu natus Cyllenius ille:
  Qui cultus hominum noluit esse feros.
Natus & Aurora media vix luce sonantem
  Ut citharam pulset vespere furta tuo.
Utque boves quærens fuerit delusus Apollo:
  Et tandem magno causa relata Jovi.
Ut pater annisit gnatis: armentaque danda
  Censuit, utque celer venit uterque Pylon.
Delius utque boves Alphei viderit antris.
  Et lætus furti riserit ille reo.
Teque etiam levem dicam invenisse palæstram:
  Cylleni, Priamo teque fuisse Ducem.
Te duce Circæos vultus evasit Ulysses:
  Inachis & Nili te duce facta Dea.
Tu mactas Argum, Martis tu vincula solvis:
  Vincula quæ sævo carcere nexa Deo:
Tu cineris duris figis sub rupe Promethea:
  Caucaseo atque avidam viscere pascis avem.
Reddere quin etiam nobis cœlestia fata:
  Et gaudes hominum vota referre Deis.
Tu pedibus pennas nectis; tu cursibus æquas
  Ventos, & celeri tela remissa manu.
Denique quæ cupias subducis lumina somno:
  Et cuivis somnos virga sopora dabit.
Hæc in honore tuo cantabunt carmina nostra:
  Tu modo Pindarico suggere verba sono.

*Ad Vegium Poëtam, de distichis sibi dicatis responsio.*

Binis carminibus nostros testaris amores,
Binus ero versu, binus amore tibi.

*Ad eumdem.*

Si gemina haud potero geminis dare carmina, Vegi,
At geminus noster non tibi deerit amor.

*Ad eumdem.*

Respondere minus valeam si carmine, Vegi,
Respondebo tibi certe in amore magis.

*Ad eumdem.*

Quantum tu versu vinces, vinceris amore:
Laus tibi sit versu, laus in amore mihi.

*Ad eumdem.*

Certo te versu, certes me vincere amore
Sic mihi par versus, par mihi fiet amor.

*Ad eumdem.*

Mirum quod versus geminus tuus, at mage mirum
Unum cor geminis, corpora bina tamen.

*Ad eumdem.*

Et Gemini cœlo fulgent, laudantur amici
Et gemini, geminus versus in orbe micat.

*Ad eumdem.*

Disticha tu nectis, frondes tibi nectat Apollo,
Impediatque tuas bina corona comas.

*Ad Poggium, de Nobilitate.*

Quid sit nobilitas scribere liberis
Tentas quod pedibus tollere dum cupis
Errores hominum, nunc ego carmine
Poggi magna tui gloria sæculi
Ludam si potero; tum cytharæ modis
Aptabo levior: tu calamo gravi
Personisque libens hinc studiosius
Cures hæc eadem reddere posteris.
Hic si Mæonium vicerit aureis
Crœsum divitiis, multaque pascua
Armentis gregibusque undique compleat,
Silvas Phœacias fontibus & riget
Sacris Alcinoi, multaque dulcia
Cellis mella fluant, cultaque pinguia
Centeno bove versat: Priami & domum
Auratis trabibus, seu Menelaëam
Ornatam Attalicis divitiis colet,
Fastidit tenues, & sibi nobilis
Incessum simulans, pectora porrigit
Librans se pedibus, bileque percitis
Suspendit populum naribus insolens.
Quamvis sit cupidus semper, & anxius
Immensis cumulis addere quæritet,
Non me Musa precor sic fore nobilem
Permittas, mage quam cum sale cum joco
Dicar ridiculi fabula Tantali;
Sed jam mi potius pauperies veni,
Qualis Fabricium vel Curium tulit
Vel qui signa suis perdita reddidit.
Tu certe es sapiens pectore Socratis;
Tu facunde modo, tu modo justior.
Natus Lysimacho sic probat & Solon
Et quot si cupias dicere barbito,
Lassaret mihi crede & manus & fides;
Est qui si proavûm monstret imagines

Va-

Varius per veteres, undique & atria
Exornet Pario marmore, & omnium
Majorum ſtatuis, ordine dictitans
Longè facta virum, quique ſecuribus
Ornatus fuerit, qui Capitolio
Olim claruerit curribus aut equis,
Aut qui pertrepidis tempore civibus
Dictator patriæ conſulit anxie.
Illis quippe viris ſe ſimilem putet,
Tamquam gloriolæ pars ſibi ceſſerit
Heredi miſero: ha conſpice degener
Quid dignum facias laude & honoribus,
Dignum quid titulis, dum Siculis vigil
Pernoctas dapibus, dumque Corinthiis
Vaſis es ſtupidus, dum Sybariticum
Fingis Smindyriden, penſaque dividis
Ardens Aſſyrias, mollia, pellices.
Sed jam Muſa procax carpere deſine
Noſtras delicias: non tibi jambicis
Armatum Pariis pectus, ut incites
Dentes Archilochi, ſi quis erit gravi
Affinis ſceleri: quin age harundinem
Auratam pharetra prome; oculos, manum,
Tende, & propoſito limite inhæreat
Telum, dum feriat: quid? generoſitas
Hic ſi nulla ſuis parta laboribus,
Carpat, porticibus dum ſedeat piger
Nulli arti datus, & militiæ aut domi,
Nec noſtras Arabis navita odoribus
Res mutet, neque quærat ſale quid rubro
In conchis lateat; quid mare & Indicum
Rugoſi piperis mittat: eburneis
Fulcris unde elephas venerit aptior;
Nec duri chalybes ferrea triſtibus
Bellis arma parent, nullaque inertium
Demum cura ſibi pectore, dummodo
Spinther peniteat, notior ut fatis
Ignotos alios ducit, ut Herculo

Sit forti Endymion, clarior aut ape
Frugi fucus iners, tibia quod mea
Non laudat. Mage sed justus & integer
Si quis cum fuerit, publica legibus
Firmet jura sacris; tum sapientia
Præstet, non dubitet pro patria & mori,
Plebei ut Decii, Mucius & suæ
Vitæ prodigus, aut fortis Horatius
Nulli nequitiæ deditus, & bonis
Drusus Scipio sit moribus, & Xeno.
Crates marmoreus frigeat ut lapis,
Quamvis Phryna suis blandula amoribus
Illum sollicitet! corpore quæ graves
Nudato potuit fallere judices,
Hunc duco generosum, hunc ego nobilem,
Quamvis fictilibus cœnet, & in genus
Nullum se referat; nam generositas,
Virtus & probitas veraque & unica est;
Illis quin potius nata parentibus,
Virtutem sequitur, umbra velut; neque
Fortunæ trahitur, corporis aut bonis.
Quod si divitiæ cui superent novæ,
Clarus sit patria, & sanguine clarior,
Nec dotes animi, corporis aut tamen
Illi deficiant, gaudet & omnium
Virtutum aureolos carpere vertices,
Ut tu Cosme decus gentis Etruriæ
Laurentique facis; desinat amplius
Velis Oceanum currere, nam mare,
Ultra, quas posuit durior Hercules,
Metas, navigiis est male pervium.

*Ad Maffejum Vegium.*

Felix, tartara qui nigra
  Ditis non tremuit, nec Rhadamantium
  Horret judicium, sua
  Fidens mente bona; nec sibi conscius

Ullas pertimuit minas
Insani maris, & lætus & impiger
Currens per stadium, & datam
Fatis, curriculo pervenit ad diem.
Felix, qui bona Diis data
Contentus, placida corripiens manu,
Summo sacra facit Jovi;
Et numquam queritur quod sibi sors mala
Contingat, miser aut nigro
Vicinam segetem lumine conspicit.
Quamvis pernimium sua
Messis fertilior ruperit horrea.
Felix, qui ingenio bono
Immensis tenebris invenit abditum
Verum, nec populi levis
Curis, aut studiis dicitur inscius;
Non illum ambitio, aut honor
Torquet tergeminus; fratribus aut piis
Sævas intulerit manus
Audax, divitiis insatiabilis.
Sed semper choreis juvat
Musarum cupidum nectere brachia
Nymphis & Satyris simul;
Tum certare lyræ carmine consono
Thebano mage, seu mage
Lesboo cupias, Tejo aut, quibus
Princeps in Latio doctus Horatius
Usus, sæpe meas canens
Dulci dum numero ferit
Aures, continuit carmina fistula.
Te, Vegi, similis furor
Nuper corripuit, scribere disticha
Dum tentas avidus mihi;
Sed jam non humilis, jam pede Homerico
Heroas canis, & feram
Reddis non licitis Colchida amoribus:
Jam jam non peries, fides
Nobis si qua manet: jam tibi laurea

Va-

Vati, nec levis auguror,
Si non posteritas venerit invida,
Aut ingrata laboribus,
Cinget sic merito tempora Delphica.

## *In Fortibracium.*

Hostibus in mediis fudi cum sanguine vitam,
Neglectoque solo Romanæ condor in urbis.
Ergo quid innumeras acies stravisse sub armis,
Quid populi gentesque juvant, urbesque subactæ?
Quid mihi majorum tituli, prolesque superba,
Fortia quoi forti fecerunt Brachia nomen,
Quod Capuæ princeps, quod Regia signa tenerem,
Reddiderim patriæ longo post tempore cives.
Vile caput jaceo, tantum sed dedecus absit
Care nepos: patrio reddas mea membra sepulchro.

## *Aliud.*

Dum mediis turmis perfusus sanguine luctor,
Sternor, & in vili contegor umbra solo.
Ah pudeat gentes domitas, urbesque subactas
Victoris clarum turpe jacere caput.
Fortia quid prosunt majorum nomina prolis
Brachia, nunc titulis nomen inane meis?
Quid mihi quod princeps Capuæ, quid Regia signa,
Si modo neglecta membra gravantur humo?
Sed tu, care nepos, patrio nunc ossa sepulchro
Transfer, & hæc saxo carmina nostra dabis:
Braccius est nomen, patria estque Perusia, cives
Restitui patriæ, contegor hoc tumulo.

## *In psicharpaga murem.*

Qui cineres parva quæris condantur in urna,
Accede, & propius pellege fata mei.

Tris miseros natos nostri genuere parentes:
Muscipulæ arreptus morsibus ille fuit.
(Proh scelus!) ast alius laqueo deceptus, & arte,
Dum tenui lardum stringere dente cupit.
Me nimium facilem dum vectat rana per undas,
Hydro fatifero territa mersit aquis.

---

# BENEDICTI MASCHIANI

## PISANI.



*Famam Poëtarum perennem asserit, cetera tempore consumi, ad Hieronymum Roncionem.*

QUid petis in doctis memorande Hieronyme chartis,
Roncio carminibus nomen habere meis.
Non quamvis crebro nostris celebrere libellis,
Hæ tibi Pierides secula longa dabunt.
Non me inter sacros ausim numerare poëtas,
Nomen odoratis qui rapuere rogis.
Fluminis exigui fertur mea cymba per undas,
Vixque paludigenis tecta movetur aquis.
Quære alium cujus doctis cantere Camœnis,
Nam fluit ingenii parvula vena mei.
Felix qui celebris memoratur carmine vatis,
Numquam lethæas totus adibit aquas.
Hæc inter seros vivunt monumenta Nepotes,
Quæque nocent aliis tempora longa juvant.
Tempus Echionias potuit consumere Thebas,
Structaque Phœbæis mœnia celsa sonis.
At regina maris populos vulgata per omnes,
Terruit invictos Martia Pisa Deos.
Illa fuit quondam Sardois læta triumphis,
Scyllæos fertur perdomuisse canes.

Ille

Illa eadem sprevit balearis pondera plumbi,
  Et valuit Solymis reddere jura locis.
Nunc extincta jacet miserandis mersa ruinis,
  Tempora Pisanis causa fuere mali.
Symirnæi stabunt longæva volumina vatis,
  Dum geminos uret flamma futura Polos,
Ascræumque senem semper mirabitur orbis,
  Et qui Pellæo tutus ab igne fuit.
Si tamen horrendum fugiet mea fama sepulchrum,
  Parvaque post cineres Musa superstes erit,
Laus tua semper erit venturis notior annis,
  Quod tibi tam placuit gloria Thespiadum.
Posteritasque tuos tollens ad sidera mores,
  Roncio quam musis dicet amicus erat.
Quod tibi si similes multos natura crearet,
  Perpetuo Aonii viveret amnis honor.
Furtaque non essent, nec Amor furiosus habendi,
  Namque est a vitiis docta Minerva procul.
Qualiacumque damus, rudibus perarata tabellis,
  O utinam læta carmina fronte legas.

*Dominam amicis chariorem urbanasque delicias ruri præponendas.*

Quem modo virgineæ mulcebant otia Senæ,
  Me tenet hirsutis aspera villa rubis.
Quemque coronabant chari, doctique sodales,
  Nunc rigidos montes duraque saxa sequor.
Hic non Mænij vates, sociumque catervæ;
  Amissa est oculis Deidamia meis.
Istud Achæmeniis fixit mea pectora telis,
  Debet amicitiam vincere talis Amor.
Si forte in nostris laqueis, Neptunius heros
  Rideret chari fœdera Pirithoi.
Cur Agamemnonium Pylades dilexit Orestem
  Si quæris: tanto liber amore fuit.
Per nemora erramus soli rivosque sonantes,
  A sævo veluti dama reperta cane.

Talis Mimalion Tegeis vixit in antris.
Oh pereat si cui sordida rura placent.
Atria me capiunt urbis teneræque Puellæ,
Quæque tenent magnos aurea templa Deos.
Quis pecudes inter vivat simasve Capellas,
Montanisque velit tecta propinqua rubis?
Miratur quisquis fæcundi munera ruris.
Miratur fateor, sed fugit illa tamen.
Carmina dum Romæ caneres lascive Tibulle,
Laudabas humilis tegmina parva casæ.
Quicumque ille fuit, cinxit qui mœnibus urbes,
Nos voluit sævis dissociare Feris.
Sed nobis vivunt ursi fulvique leones:
Ah demens quantum vanaque Turba sumus.
Attamen hic colerem lapidosi culmina montis,
Si mecum dulcis Deidamia foret.
Ponite me octipedis qua fervent brachia cancri,
Quave rigent getici frigida plaustra poli.
Atque ubi Tænariæ surgunt fera saxa Maleæ.
Quaque vorat Siculas sæva Charybdis aquas.
Stabimus hic (sed sit mecum meus ignis) in oris,
Et si quid latus durius orbis habet.
Dum loquor, ingentes urunt præcordia flammæ,
Et quatiunt pectus Gnosia tela meum.
Ante ignota vagæ fuerat Venus impia menti.
Sed quantis pœnis pensitat illa moram!
Nunc mihi succurrit raræ nova gratia formæ,
Quæ juncta est clari dotibus ingenii.
Perpetuo mansura meis o forma medullis,
Hei mihi cur nostro lumine semper abes?
Dum nos per colles salebrosaque saxa vagamur,
Ante oculos venit non semel illa meos.
Rupibus his peragam totum miserabilis ævum.
Semper eris nobis dulcis Amica procul?
Aut cito Romuleæ spectato mœnia Senæ,
Obruet aut vultus rustica terra meos.



Effuge Calliope, nostrosque relinque penates,
Nam modo nec vates, nec tua turba sumus.
Olim Pieriis egi sub rupibus ævum,
Castalio solitus fonte levare sitim.
Nunc mea Cæsareæ circumdant tempora Laurus,
Et capiunt trepidos atria nostra reos.
Hæc ego: tum quatiens gravibus sub pectore pugnis,
Emisit tales Calliopea sonos:
Ergo ego Mæonio quondam tibi carior auro,
Effugiamne tuos, dure poëta lares?
Impie, quid facies ipsi crudelius hosti,
Immemor es doctas te coluisse Deas?
O quoties nobis sacræ dixere sorores,
Hunc juvat in rauco verba tonare foro.
Hic Aganippeos tandem ridebit honores,
Præfertur nostris Bractea fulva choris.
Ast mea prægrandes solvebant ora cachinnos,
Ludebantque novi talia dicta sales.
Non semel hoc dixi: miseros lusura parentes
Volvitur invita pagina longa manu.
Qui fuit Aonidum teneris mirator in annis,
An poterit talem destruisse gregem?
Ante diem tertis Titan lustrabit Thetis,
Firmabitque vagas candida Luna rotas.
Non horam nobis posset spirare relictis,
Terga dabunt divis æmula jura novem.
Nunc mihi verbosas audes præponere leges,
Ut nitidas ornent aurea vincla manus;
Et rubeant Pœno radiantes munere vestes?
Mens hominum quantis volvitur in tenebris!
Dic mihi mentis inops, nisi sis post fata superstes,
Quid juvat ingentes quærere divitias?
Quas celebras omnes consument tempora leges,
Vaticinor, multos non superesse dies.
Mirantur veteres mores, hominesque, Deique,
Namque novam damnant omnia barbariem.

Uren-

Urentur veſtro Peruſina volumina ſæclo,
  Urentur longæ Jaſonis Iliades.
Mæonides vivet nullum moriturus in ævum,
  Et qui Dardanii concinit arma ducis.
Tota cohors vatum cunctos manſura per annos,
  Ingens perpetuo tempore nomen habet.
Forſan quæris opes? ſatis eſt quod rure paterno
  Non pauci ſubigunt jugera culta boves.
Occupat humanas operoſa pecunia mentes,
  Nobiſcum ſtygias non ſubitura domos.
Illa fugat toto Cirrhæas orbe ſorores,
  Virtuteſque hominum ſubtrahit ex animis.
Mortales auri cæco capiuntur amore,
  Hinc tamen eſt veſtris omnis origo malis.
Si te fata vetant ſalebroſas linquere chartas,
  Non cedant ſcriptis ſcripta vetuſta novis.
Nos quoque (ſi tantis poteris ſecedere curis)
  Cantent Biſtoniæ dulcia plectra Lyræ.
Sic adverſa tuis non ſint pia numina votis,
  Et vivas Pylii tempora longa ſenis.



# BENEDICTI MENZINI

## FLORENTINI.

*De infelicitate terreni Amoris. Ad Equitem Naldinum.*

SÆve puer quem cuncta timent fera bella moventem,
Torquentem tenera fortia tela manu;
Et qui fluctivago regnantem Nerea ponto,
Diceris, & superos sollicitare Deos;
Cujus & imperium sensit quoque tertius hæres,
Pallida Tænariis qui juga flectit equis;
Improbe carminibus jam divexabere nostris,
Dum facit alternum docta Thalia pedem.
Ipse dolos, fraudesque tuas ulciscar oportet;
Oh veniam læso det mihi quisquis amat.
Nam, memini, quondam fallacia vincla subivi,
Et dedimus victas in tua jura manus.
Vestra dii pietas; duros confringere nexus,
Et potui celerem corripuisse fugam.
Quis neget ergo mihi, pleno velut agmine in hostem
Prodire, & vires exeruisse meas?
Ibimus, & nostræ fuerit nova gloria dextræ,
Quòd magnis ausis non facit illa moras.
Interea, Naldine, suos natura recessus,
Cui dedit arcana noscere posse fide;
Si vacat, hæc olim properata libentius audi,
Et juvet Ascræis incubuisse choris.

Ocia, deliciæque & Massica dona Lyæi,
  Idalio vires illa dedere Deo.
Illa Cupidineis acuerunt spicula telis,
  Admorunt sævas & magis illa faces.
Urimur hinc miseri, per vulnera mille venenum
  Ducimus, & mentem sauciat inde furor.
Hinc crebro superos, hinc lamentamur & astra;
  Astra quidem nostris non operata malis.
Ah querimur frustra quòd nos devicerit hostis;
  Hostibus ut vincant scilicet arma damus.
Namque ubi Thessaliis erravit montibus heros,
  Quo sua Phyllyridæ gloria parta seni;
Non illum potuit fallax mulcere voluptas,
  Cumque sua in juvenem Cypride fusus Amor:
Firmabat duro crescentia membra labore,
  Et decor est membris additus inde novus.
Quin & formosas fertur sprevisse puellas,
  Implicitus studiis, casta Diana, tuis.
Mænala perlustrans sævos modò proruit apros,
  Aut timidos lyncas irrequietus agit.
Aut nemora, & sylvas umbrosâ indagine cingit,
  Aut celer Æmonio tesqua fatigat equo.
Sæpe etiam Oebalio vel diffidit aëra disco,
  Vel jaculo fines præteriisse juvat.
Vel celebrata illi fumosa Palilia saltu,
  Vel victa est volucri turba petulca pede.
Talibus illusæ periere sub artibus artes;
  Et sua promeritæ præmia laudis habes.
Victrices juveni illi per tempora lauri,
  Nullaque de tanto palma relata viro.
Idalis imbellem dicta est damnasse pharetram,
  Et fregisse dolens spicula turpis Amor.

Nunc cibus, & vini nos largior obruit usus;
  Statque coronatus noctes diesque calix.

Sirius exhorrens algentis frigora brumæ
 Te videt alpinam ferre Lyæe nivem.
Jamque peregrinis pretium quoque fecimus escis,
 Quas vehit Eoo picta carina mari:
Amplius haud nostris ignota Peruvia mensis,
 Et jam quod placeat terra Sinensis habet.
Vix dubiæ auspicium famæ si fecerit aura,
 Ad se portigradas advocat illa rates.
Protinus Ausonio deducitur anchora portu,
 Concipiuntque leves candida vela Notos.
Oh illa horribili deflagret fulmine puppis,
 Præda sit undisonis ludicra vorticibus.
Illidatque vadis, atque aggere cincta profundo
 Torpeat, & cæcis hæreat in scopulis.
Illa & Tyndareos, splendentia sydera, fratres,
 Nec queat Arctoi cernere signa poli;
Quæ trahit extremo damnosas litore merces,
 Oh nimium nostris officiosa malis.
Jam sat erat sedare famem vel ab Ilice nigra,
 Jam sat erat miseram fonte levare sitim;
Deliciæ fuerant, si presso rustica lacte,
 Et foret Hyblæo mensa onerata favo.
Arbuteos fœtus, pendentia mora vepretis
 Præbebat casto Nais amata viro.
Cinnama odoratis sed nunc vectantur ab Indis,
 De frutice & juglans carpitur Assyrio.
Inde sibi vires separant Amathuntia tela,
 Altius & misero fixa manent jecore.
Stulte quid obstupeas, dum nutrimenta favillæ
 Subdis, in ardorem proxima cuncta rapi?
Ætnæo jam nulla foret de vertice flamma,
 Pabula si flammis deneget Ætna suis.

Jam leges, natura, tuas dum culpat amator,
 Proiicit in sanctos non bona verba Deos.
Hi facile in teneros formarunt pectus amores,
 Et prona in labem corpora nostra suam.

Nec

Nec mihi de solido conflarunt ære medullas,
  Aspera nec gelido stat mihi corde silex.
Aspice quæ fuerit formæ vis; inclitus auro
  Et Salomon trabea cinctus amore perit.
Hoc perit igne pater, steterat cui celsa Sionis
  Regia Jessæis nobilitata viris.
Et nos Hyrcanæ non pressimus ubera Tygris:
  Flectimur, & duro cedimus imperio.
Hæc ais ah demens; qui nocte pervigil adstas,
  Sub tristi ducens tempora dura Jove.
Nec glacialis hyems, nec te nimbosus Orion
  Terret, & Æolia flamina missa domo?
Ah quoties primus croceæ Pallantidos ignis
  Te vidit duras ante jacere fores.
Et formidatis longùm perstare sub armis,
  Et ferre invisæ tædia pigra moræ,
Dixisti quoties: Rerum spes una mearum
  Cynthia languenti, quam precor, affer opem.
Affer opem misero, viden ut mala frigora lædant
  Corpus; at ipsa tremens effugit ore anima?
Illa tuos questus, & carmen inutile risit;
  Risit & effusas supplice ab ore preces.
Hæc tolerare potes, vel si pluvialibus austris
  Decidat adverso fœda procella polo.
Nec tibi subsultant trepidâ formidine fibræ,
  Si quando obliquus Juppiter intonuit?
Ferre potes miseros discrimina sæva labores;
  Et quereris vires non satis esse tibi?
Fortis & in Vitium, tenui præcordia cera,
  Atque ais e fragili corpora ducta luto?
Quam malè de proprio censebis crimine judex,
  Qui tibi sic, vitio vel renuente, faves?

Sed leviora puta quæ diximus: accipe quod te
  Fecerit in voces protinus ire meas.
Ipse ego plorantem vidi per compita matrem
  Lædentem tremulas ungue furente genas,

Illa & femineo complebat cuncta tumultu;
 Qualis in Æmonium Thyas adacta jugum.
Aut quale Heliades puerum Phaëtonta sorores
 Clamarunt ripis nobilis Eridani.
Nec deerat canis injuria sæva capillis,
 Et scissa indicium palla doloris erat.
Mæsta exundantem fundebant lumina rorem;
 Tundebant miseræ pectora nuda manus
Quis negêt hoc matri? dulcem per vulnera natum
 Audiit immiti procubuisse nece
Ille quidem tota jacuit spectabilis urbe,
 Planxit & invisam sanguinolentus humum.
Quam visu horribile? stupidi simul oris hiatus,
 Et simul exangui lumina plena metu.
Et demissa silet frons, & riget horrida cervix:
 Nil non funestum turpe cadaver habet.
Vilia suffuso maduerunt membra cruore,
 Oblita & immundo est pulvere cæsaries.
Quærenti caussam, quidam mihi talia reddit;
 Occidit hic spurcæ captus amore lupæ.
Ecce vides illi non mæstum præfica dicit
 Carmen, & extremum non pia turba vale.
Non illi cognata manus vaga lumina condit,
 Membra nec hexaphoro nobiliore locat.
Ordine non longo lictores funeris atri
 Stant illi; versas nec tenuere faces.
Hoc habet exemplum qui vim non novit amoris,
 Monstrato valeat liber ut esse malo.
Nam dum conveniunt temeraria turba procorum,
 Concupit & noctem quilibet esse suam:
Hinc rixæ primum, mox jurgia, denique ferro
 Sæviit, intentans vulnera, cæca manus.
Prœlia purpureo Pallantias igne diremit,
 Diffugere alii protinus, ille jacet.
Ille jacet, tua qui sequitur dum castra, Cupido,
 Hoc sibi non nota miles ab arte tulit.



Fin-

Finge quòd exitii sperare pericula tanti
  Te vetet in crimen mitior ira Dei.
Quis poterit fando morbos nunc ire per omnes
  Qui nova lethææ semina fraudis habent?
Congeriem citius numerabo, sidera, vestram,
  Lactea queis cœlo semita cuncta nitet.
Aut, quæ diversis vastum per inane figuris
  Corpora volvuntur, dinumerem citius.
Dinumerem citius Sigeia ad litora fluctus,
  Quos agit ex imis unda refusa vadis;
Quam quæ proveniant petulanti e Cypride damna,
  Sint licet externis sæpe adoperta bonis:
Mille miser, poteris vitæ subiisse pericla,
  Mille tibi Veneris damna parabit opus.
Syphilis, & podagra est, Paralysis, Rheuma, cerebro
  Illapsus membris qui fluit humor iners.
Tunc non Asclepj, totæque Machaonis artes
  Profuerint, Coi non monumenta senis.
Non quem clara dedit magnum Verona Poëtam,
  Qui medicâ serpens corrigit arte malum,
Et quem laurigeris cingentem tempora sertis
  Vel tibi non tenuas, docte Catulle, parem.
Plurima formosæ fient tunc vota Saluti,
  Sed fuerit votis non reditura Salus.

Æger erat simili tractus serpigine morbi,
  Constituitque bonis ponere thura Deis.
Audierat Phœbum turbæ præesse medenti,
  Atque ipsum artifices sæpe adhibere manus.
Allevet ut morbum patrios liquisse penates
  Ardet, & hinc molles pergere ad Jonios.
Jam supplex aris sacros imponit honores;
  Jam latices libat, fundit & ore preces,
Phœbe pater, sancto lustras qui lumine terras,
  Quo sua sunt claris munia sideribus,
Quo sine non ullis vis ignea rebus inesset,
  Non lux concreto purior igne foret.

Qui

Qui genus humanum, pecudes, pictasque volucres,
Cunctaque camporum germina Phœbe foves;
Qui reparas vires, laxos qui comprimis artus,
Diceris & Stygium fallere sæpe senem;
Et quem gramineis succis voluere potentem,
Pharmaca qui nostris diluis apta malis.
Aspice me, quem languor habet, cui corpora tabo,
Infecit pellax, & malesuada Venus.
Quod si dive, preces dura minus abjicis aure,
Aureus in sacro conspiciere tholo.
Risit, & arcanæ prospector mentis Apollo
Frustra ait, ah demens, numina sollicitas.
Si, quidquid morbi Phœbæa demitur arte,
Crimen te rursum restituisse juvat.
Et verum dixit; quis enim non vera loquutum
Credat, & a falso semper abesse Deus?
Hæc modo si teneas, qui tristia pocula Circes
Sic bibis, ut gelidas Cervus anhelus aquas;
Jam tibi, quæ Vatum sunt argumenta canentum
Ridendi haud fuerint fabula plena joci.
Græcia carminibus visa est lusisse; sed intus
Quod valeat mentem flectere carmen habet.
Carmen habet, dulci possis quo nectare mores
Spargere; sidereæ vis statuende domo.
Carmen habet, quanto cumuletur fasce malorum
Credula quæ in vitium turba proterva ruit.

## *In Podagram.*

Olim cum Podagra gratam sibi quæreret ædem,
Erravit multis irrequieta locis.
Scilicet in rebus duris est angustia telum,
Ingeniumque artes cogit inire novas.
Camporum glebosa petens, & florea rura,
Aspexit luteæ culmina parva casæ.
Ambigit, & dubio figens vestigia gressu,
Nunc pavidum profert, nunc revocatque pedem.
Quid faciat? dolor hinc urget; requiescere tentat,
Sed piget in nuda ponere corpus humo.

An-

Angusti subeamus, ait, data limina tecti;
Nam minor est vulgus delituisse pudor.
Vix ingressa videt duri instrumenta laboris,
Armaque non ullo squallida facta situ.
Tribulaque & trabeas, pando & curvamine falces,
Et pendere suis splendida aratra jugis.
Ut vidit, diris atrocibus exsecrata
Ipsa locum, & voti vix meminisse velit.
Jam remeare cupit, longè quàm liquerat, Urbem,
Atque vicem sortis rursus adire novam.
Nec spes vana fuit; qua pars est clarior urbis,
Prospicit excelsæ tecta superba domus.
Stant ibi Mygdonio dissecti marmore postes,
Et foribus limen perstrepit ærisonis.
Sidonioque rubent fucata aulæa veneno;
Totaque barbarica regia splendet ope.
Accessit; magnosque lares dum sedula lustrat,
Jam sua persensit gaudia pectus iners.
Protinus hæc secum; hic demum consistere fas est;
Aptior in tota non erit urbe locus.
Protrahere in multam fas his convivia noctem;
Ducere & annoso pocula plena mero.
Hic mihi formosas dabitur spectare puellas,
Et puer à Nilo porriget ipse scyphum.
Hic ego prædulci, longùm satiabor amore,
Ebria me circum stabit amica cohors.
Et mihi blanditias faciet; dabit oscula labris,
Oscula queis omnem demat amaritiem.
Nec deerunt molles oblectamenta choreæ,
Cynthia nec blandam pellere docta chelyn.
Sic ait; at postquam cœpit marcescere luxu,
Sævior in nervos ingruit atra lues,
Jam nova nodosi geminantur vincula morbi;
Jam nequit ingratos artus levare toro.
Imo in vase sedet, sed & gustandus amaror,
Nectareus quamvis sparserit ora latex.
Diffugere levi fallacia gaudia pennæ;
Ex illis reliquum nil, nisi quod doleat.

Po-

Pocula nemo bibit, quæ scit nocitura palato;
Hæc tamen innumeri vel nocitura bibunt.

Prætereo plures primævo in flore juventæ,
Queis erat ore nitor purpureumque decus.
Amisere suæ donum peramabile formæ,
Obsedit roseas tabida crusta genas.
Pallidus & miseris confecit corpora marcor,
Corpora decidua candidiora nive.
Non illi annosæ limen terigere senectæ,
Nec Pylii norunt qui foret oris honos.
Imo illos vidi crudeli morte peremptos
Vilia præpropero tradere membra rogo.
Sæpius ah genitor dum natis oscula libat,
Este, ait, afflictæ spes rediviva domus.
Crescite, & in viridi lætentur germina ligno,
Quale solet pomis arbor onusta novis.
Dixit, at in viridi succisa est germine planta,
Amplius in viduo nec fuit illa solo.

Vix ea fatus eram: coram stetit inclita Pallas
Ambrosias fulva casside pressa comas.
Hastam dextra tenet metuendam cuspide sæva,
Et clypeus lævæ nobile pondus erat.
Illa quidm liquidum demulcens aëra voce;
Alloquio Vates non abigende meo.
Perge, ait, exitium facili monstrare juventæ;
Sic tibi stet viridi Daphnide tectus apex.
Nunquid fœda Venus miserorum corpora tantum
Læserit? ah majus, quod mali perdat, habet:
Partem animæ æthéream, in mentem grassatur & ipsas
Ingenii vires altius ire vetat.
Ah quota pars juvenum nemoroso in vertice Pindi,
Et foret Aoniis gloria rara jugis.

At

Atque audituras traherent ad carmina Muſas,
Carmina funereum non ſubitura diem.
Aſt illos Erycina ferox illexit amore,
Juſſit & immiti ſubdere colla jugo.
Conentur licet æratos abrumpere nexus,
Nexus qui firmet fortior uſus erit.
Ergo ego quæ poteram clarum ſuper æthera mentes
Tollere, Acidaliæ vincor ab arte Deæ.
Dixit & ante oculos velut indignata receſſit,
Perculit & vultus mobilis aura meos.
Et bene, quod Virgo patrio citò reddita cœlo es,
Telluremque imam non reditura fugis.
Hic quoque ſi degat cœlo delapſa ſereno,
Hic quoque Virginitas vix modo tuta foret.
Sed tua ſacra fero, Pallas; mihi gratior uni,
Da tua nunc noſtrum juſſa ſequatur opus.

Ah miſer insano qui ſe committit Amori,
Incidit & caſſes, ſæve Cupido, tuos;
Sordidus & vitiis, & probris undique opertus
Inde ſui labem contrahit ingenii.
Non ſatis innumeras ſævire in corpora peſtes,
Ni quoque in infandum mens ſit adacta malum.
Quid mihi Caucaſeo pendere Promethea ſaxo,
Invictumque ſtupes tempus in omne jecur?
Et fixos manibus clavos, & fortia vincla,
Membraque perpetuo torrida facta gelu?
His graviora pati miſerabile vulgus amantum
Idaliæ cogunt ſceptra ſuperba Deæ.
Nulla quies animo, ceu quum mala ſaga ſuſurro,
Devovitque ſuis pectora carminibus.
Impia cantatas exurit flamma medullas,
Qualis in Oetea ſævilt ante pyra.
Hinc patrii ſubeunt animos oblivia cœli,
Nec ſedet in caſto pectore relligio.
Non pietas cordi, nulla eſt reverentia legum,
Cui Venus ardentes admovet ipſa faces.

Cum-

Cunctorum inventrix scelerum vesana libido,
Ingenii atque hominum maxima pernicies.



Sed tu, dius Amor gemino de lumine lumen,
Alme Deus, summi fons & origo boni;
Tu mihi divino sensus vi flamine lustra,
Et mentem sanctis ignibus ure meam.
Scilicet hi poterunt felicem ducere vitam,
Quorum casta tuo numine corda calent.

*Christinae Suecorum Reginae Panegyricus.*

Mentem hominum quantâ divini Numinis aurâ
Afflari deceat, quanto & molimine ferri,
Largius ut claris exuberet undique factis,
Et se cognato deducere femina Cœlo
Approbet ingenio, contestatumque relinquat,
Exemplo, Christina, tuo præsentia sæcla,
Et pia posteritas vestros mirata triumphos
Agnoscet; nec erit magnarum oblivio rerum.
Certè ego, Romuleas postquam devenimus arces
Auxilio Phœbi, & fatis melioribus acti;
Vidimus & flavas Tyberini fluminis undas,
Quas circum ludunt arguto gutture Cycni,
Et resonare docent florentia rura Maronem;
Vidimus & moles, atque ardua templa Deorum,
Dædaleæ monumenta manus, minitantia celsis
Nubibus, & mediâ attoniti spectavimus Urbe
Tot decora alta virûm, tot ductas ordine pompas,
Et quæ clara sibi potis est insignia virtus
Congerere, externi non amplius indiga cultus;
Omnia quum meditor, vestro Christina, favore
Hæc tamen aucta magis, magis & splendescere novi.
Ac veluti innumeri roseâ de lampade Phœbi
Erumpunt radii, quibus unda, & stabilis aër
Pellucent, vario pinguntur & arva colore;

Et

Et viridi rident gemmantia prata smaragdo,
Cunctaque terrarum facies hilarescit, & aether,
Et mare velivolum; debent tamen omnia Phoebo;
Sic quidquid magnum, quidquid mirabile, quidquid
Egregium spectasse datur, de sidere vestro
Prodiire, inque ipsum sic vidimus usque refundi.
Sed velut in pratis Virgo properare corollas
Dum cupit, & blandae quaerit sibi frontis honorem,
Tot varios inter rutilantia sidera flores,
Quem niveâ carpat dextrâ, quem praeferat, aut quem
Judicet eximiae splendorem adjungere formae
In dubio est, inopem felix & copia reddit;
Haud aliter laudum crescit mihi tanta tuarum
Materies, rerumque adeò mihi suppetit usus,
Ut partes animus jam sese versat in omnes
Et sese officio jam sentiat esse minorem.
Oh propriis foecunda bonis! facit aurea Virtus
Ipsa tibi pretium: quidquid quaesiveris extra
Te minus usque foret. Fulvo diademate frontem
Vincire, & sceptro dextram exornare potenti
Sint pretiosa aliis, superosque imitantia Divos.
Tu majora putas animo super ardua niti,
Eximioque tibi statuisse in pectore regnum
Firmum, inconcussum, aeternoque perennius aere.
Nam poteras latè populos ditione tueri
Arctoasque acies, inque aspera bella phalanges
Duxisse; & memini ut patriis e sedibus olim
Excita hostiles complesti milite campos;
Ut virtute animi, galeâque insignis, & hasta
Romanas Aquilas, & frangere Theutonas armis
Ausa es, & invicto concurrere viribus Orbi.
Haec potuisse satis: celso de vertice Pindi
Quae sertis pia sacra Deae nunc volvite facti
Eximii seriem, recolet quod fama superstes.
Aethereo noster quum jam Sol aureus axe
Sidereis hucusque choris sua jura dedisset;
Auricomum posuit rutilo cum syrmate lumen,
Rem miram! patrioque libens concessit Olympo.

Scilicet ut summum coleret super omnia Solem,
Ille suos currus, agilesque remisit habenas,
Major & hæc, inquit, moderamina Phœbus habeto,
Cui superum mentes, chorus ancillatur & omnis
Cœlituum. dio spargentes nectare flores,
Dum plaudunt rerum Domino, Regemque salutant.
Sic tua te, ingens Herois, pulcherrima Roma
Et Trabea, & sceptro miratur spontè carentem
Parères ut tota Deo; sed fortè videris
Dum solium sprevisse, animo majora petisti.
Nam mortale genus tunc se præstantius esse,
Nobiliusque docet, quum sese tollit ab imis
Sedibus, & rapidâ sublatum mente per auras
Auctori placuisse suo vehementius ardet..
Nec sceptra Isacidum, nec quæ Nilotica tellus
Tot Regum monumenta colit; non Persidis omnes,
Non quas nutrit opes prænobile litus Erythræ;
Argivi non rura soli felicia; non quod
Protulit Imperii magnum gens Romula nomen,
Præ eximio fuerit cuiquam spectabile regno,
Quod virtus dare sola potest, quodque approbat æther.
Hinc tibi vocales Parnassia cura Poëtæ
Fundunt grande melos, tantas & dicere laudes
Uno omnes ore exoptant, nec gratior ulla est,
Quam, quæ de vestro signatur nomine, Laurus.
Scilicet æterno vivent in carmine vates,
Dum tua gesta canunt sæclis spectanda futuris,
Et varias animant dulci spiramine formas.
En video ut niveis fertur subvecta quadrigis
Cana Fides triplici frontem redimita coronâ,
Et quæ sidereâ de majestate refulget.
Illius auratas prætendit dextera claves,
Queis Pater Omnipotens, ne non solemnia summi
Jussa forent gnati verbis sancita verendis,
Et valvas aperire dedit bipatentis Olympi,
Et manes cohibere feros, Erebumque profundum.
Parte aliâ decus astrorum pulcherrima mundi
Una salux Crux alma nitet, quam purpura Regis
Exor-

Exornat, noscuntque suum fida agmina signum.
Tuque adeò, sacris nomen venerabile fastis
Christina, æterno laus accessura triumpho,
Poplite subnixo partæ monumenta salutis,
Sacrorumque Patrem colis ipso in limine; & illi
Subiicis arcano perculsam numine mentem,
Subiicis & sceptrum. Crux, o Crux aurea salve,
Salve Tarpejæ ter maxime Juppiter arcis,
En vestrum sequor auspicium; præ divite regno
Sat mihi si vobis nostra est addicta voluntas.
Nempe tuum firmat divûm Sapientia pectus,
Quæ simul ac magno mentem succendit amore,
Sedibus hanc ipsam, & claris præponere Regnis,
Et summum didicisti animi pietate tropheum
Instruere, ut præ te solâ nil majus haberes
Quicum præcipuum ad laudem certamen inires.
Vidimus hinc, tortis frustra sævire flagellis
Invidiam & manibus post lurida terga revinctam
Infremere, & frustra nigros agitare colubros,
Infremat illa licet, nigros agat illa colubros,
Usque sibi pœna est, quâ non habuere Tyranni
Majorem Siculi: non si Mezentius illis
Addaturque, trucemque illis Salmonea jungas,
Horribilesque thoros, sævi & Busiridis aras,
Scilicet hoc proprium est, ut grandia facta dolorem
Invidiæ parient, stet magnis gloria factis.
Intereà victis dum te vaga sidera monstris
Expectant, justâque Poli plus parte relinquunt,
Hic juvet excultas Orbem illustrare per artes,
Et te Palladiâ præcinctam ostendere Olivâ.
Nam veluti ex unâ trepidantis origine lymphæ
Plurima vena salit, variique ad plurima rivi
Ducuntur, facilesque trahunt, qua jusseris, undas;
Seu Platani geniales, seu tibi Citrea Sylva
Forte riganda foret, biferique rosaria Pæsti;
Sic tibi, quæ exsurgit dio Sapientia fonte
Unica multiplici confert sua munera ductu,
Ultima tantarum fuerit nec gloria rerum.

Quôd, te præsidium, ac decus artibus omne ferente,
Nunc quoque Praxiteles vivos de marmore vultus
Ducit, & effuso fulget Lysippus in ære;
Atque alii mutas animant ab imagine telas,
In dubioque est ars possit, naturane vinci:
Nam rerum generosa parens quum deficit, arte
Corrigitur, mancum & quidquid foret, auctius exit.
Nostraque Dædaleas mirantur tempora vires,
Quæ auxiliis crevere tuis, teque Auspice facta est
Ingenii, studiique omnis solertia major.
Sed quid ego hæc memorem? quot ab æthere purpureus Sol
Emittat radios; pluviis quot nubibus alto
Usque polo recidant imbres; Hyemalibus Austris
Quot sese agglomerare nives in vallibus Hæmi,
Aut Hebro soleant, ripisque binominis Istri;
Aut citius numerabo tuos, terra Attica, flores,
Aut volucres quot pascis Apes, Ligur inclite, vestris
Cedrina queis frondet silvis felicibus umbra;
Quam quæ divino congestæ munere dotes
Una omnes rutilant: tibi nil, Christina, relictum
Quod magnos animi non undique proferat ausus.
Jamque Polum scandis: jamjam super æthera summum
Proveheris, divûmque potes cognoscere jura,
Vertice & excelso terras spectare jacentes,
Atque inde humanis succurrere provida rebus.
Hîc quoque quanta fores visa est pulcherrima Pallas
Ore loqui, & Cyrrhæ tremulis quum sisteret undis,
Dicitur Ascræas quondam docuisse sorores.
Dum loquitur, sacræ cantu abstinuere volucres,
Quæ vada purpureis celebrant Heliconia ripis,
Continuitque sonum trepidantis murmuris ipse
Ambiguo erumpit qui vertice dulcissimus fons,
Atque auræ siluere leves, siluitque comanti
Fronde nemus, Laurique, & coniferæ Cyparissi;
Diva canit fatorum arcanum, ac talibus infit.
Tempus erit quum quis nostrum cognoscere Numen
Forte volens Grajas jam non properabit Athenas;
Sed

Sed te, Roma, petet. Felicia secula, nostram
Queis Christina feret monumenta per omnia laudem
Illa meas geret una vices: nam Dardana pubes
Palladio ceu tuta fuit, steteruntque superba
Pergama, quæ lævo prospexit lumine Juno;
Sic ubi Christinæ placuit sibi figere sedem,
Illic firma quies; studiis atque apta fovendis
Publica felici nituntur commoda fato.
Quumque illa abfuerit, retro collapsa referri
Omnia tunc videas: facient sua vota Quirites,
Sed frustra amissam revocabunt vota salutem.
  Oh mihi quam blando saliunt præcordia motu!
Ecce iterum in terris, iterum mea Regna videbo
In Latiis terris; celsæ Capitolia Romæ
Inclita dicentur traxisse ad Tybridis undam
Migrantes Grajo peregrinas litore Musas
Ecce iterum mihi sacra cohors, mea signa secuta
Militat, & mentis qua fertur concitus ardor
Sese agit, & nostrâ gaudet certare palæstrâ.
Certandi genus egregium: seu quærere verum
In sylvis Ecademi; almas torquere sagittas
Seu juvet e Sophiæ pharetra; seu docta Lucreti
Tradita Romanis expendere dogmata chartis.
Num sibi concurrant discordia semina rerum,
An volitent variis vastum per inane figuris
Corpora: numne suo libretur pondere tellus,
An circum magis acta rotet; num vivida Solis
Omnia componat, conservet & omnia virtus.
Sic benè dum certat, dum magnis militat ausis
Auspice te, Lauro frontem, Christina, virenti
Præcinget, studiisque vigens Academia claris
Proferet æternum victrix per secula nomen.
  Dixerat; & plausu circum assensere canoro
Aonii fontes, sylvæque, atque antra reposta,
Omnia fatidico quæ complet numine Dirce.
Quis tibi non plaudat, quæ diceris altera Phœnix
Et quæ præpetibus transcendis nubila pennis?
Namque tibi plausere olim, Parnassidos undæ

Pectore qui toto latices hausêre; nec illos
Terruit invicta asperitas, præruptaque saxa
Quæ de Pieriâ pendent minitantia rupe.
Illi seu vincto, seu vis sermone soluto,
In laudes, Christina, tuas impensius ire,
Et poterant niveis ferri sublimius alis,
Materiâ præbente novas ad carmina vires.
Seu decus, & formæ blanda, & generosa venustas;
Seu vis illa animi, totum quæ fulciat Orbem;
Seu dicenda foret majestas inclita frontis
Qua egregiè adsurgis; seu quam reverenter haberi
Debeat ille vigor, quo sese nobilis ira
Exacuit; novitque tamen subsidere flamma,
Mitior & fieri, necnon placabilis esse.
Nam veluti facies nitido redit aurea cœlo,
Undique quum fugiunt Boreali flamine nubes,
Quas pluviique Noti, & madidus collegerat Auster,
Candida sic rursum placidis stat gratia verbis,
Atque serenato remeat pax aurea vultu.
Seu mentis dicendus apex, quæ comprobet ortus
Ut generosa suos, jam dedignatur inanes,
Nec potis est animo imbelles admittere curas.
Hæc illi poterant fatis melioribus orti;
Hæc grandes illi poterant, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.
At nos exiguâ consueti ludere cymbâ,
Nos, quibus in pelago minus arrisere secundæ,
Nec nostris plausere leves conatibus auræ,
Deterimus forsan tenui sublimia cantu.
Parce ausis, Christina, meis, nec despice nostros
Qui tamen obsequio nunquam caruere labores.
Hæc te, Magna, decent; de Majestate remissum
Nam foret inde tuâ, modulo si expendere cuncta
Humano velles; nec te de gente Deorum
Agnosses, parili temnens incedere gressu.
Ecce vides, paucas aris imponit aristas
Messor, & eximii pars illa est ultima acervi,

Placat & inde Deum: mentem nam Juppiter æquam
Aspicit, exiguo quamvis & munere gaudet.

*Ad Annibalem Albanum Clementis XI. Pont. Max. Nepotem, quum Doctoratus insignia acciperet.*

Arma alia, atque alias artes, non qualia Mavors,
 Annibal expediit divite ab Ingenio.
Scilicet egregiæ meditatur præmia Palmæ,
 Ardua quà Virtus dulce recludit iter.
Ille alter, qui Romanas surrexit in arces,
 Quid nisi sævitiam, quâ memoretur, habet?
Hac duce nam patrias olim juravit ad aras
 Romulidis hostem se fore perpetuum.
At noster placida arma movet, clementia sola;
 Et bene promeritâ Daphnide cuncta fovet.
Ergo illi æratos sublato cardine postes,
 Hic ubi templa nitent aurea, pandat Honor.
Quippe triumphatas uni sibi subdere mentes,
 Gloria magnanimo est clarior Annibale.

*Catonis Uticensis Tumulus.*

Ille super cunctas quo clara est Utica gentes
 Hoc jacet Ausoniæ gloria sub tumulo.
Fama ingens quæ magna solet protendere facta
 Spargit odorata florea serta manu.
Vitales auras mens indignata reliquit
 Admissura nihil quod sibi turpe foret.
Et de marmoreo vox exstitit alta sepulchro:
 Desit libertas, jam mihi vita mori est.
Quis te, magne, Cato, proprio dum concidis ense
 Deneget invictâ procubuisse nece?
Quum tamen adversæ nequeas obsistere sorti,
 Te, fortem, si quis dixerit, acta negant.

*Laurentio Casonio Innocentii XI. Pont. Max. a Secretiori Cubiculo.*

Laurenti, amico non tacende carmine,
(Nam quis te iniquo supprimat silentio
Doctum, integerrimum, & refertum moribus
Priscis, fidemque confoventem pectore?)
Si me fugacis urget ira temporis,
Nil turbor; ille se diutius quidem
Vixisse dicet, qui provectus ingenj
Virtute vixit, & favente Apolline.
Nam turba quamvis moliatur invida
Cladem, eminenti qui resedit vertice
Pindi, furores ille temnit improbos,
Lethique victor, sordidæ & plebeculæ.
Annosa Quercus ut jugosum Pelion
Firma insidet, nec sævientes impetus
Formidat Euri, nec superbus Arbiter
Arctoo ab Axe quos tumultus excitat.
Jam vorsa, sive prorsa fluat oratio,
Equos utrosque junximus docti jugo,
Seu patrio sermone, seu vis extero.
Anacreon jucundior melle Attico,
Virente myrto qui revinctus tempora;
Ille ille Etruscis sæpe mecum collibus
Gressum frequentans ludibundo carmine,
Alumne, dixit, hanc modo lyram accipe;
Dignatur hac te cantor ipse Cynthius.
Intactus & mî Pindarus non extitit,
Excelsa quamvis scandat, & per ardua
Exemplar ingens, sed viris ingentibus.
Ætas at inde dum propinquat firmior,
Majore mentes quâ vigescunt augmine,
Vatum priorum lance justâ expendere
Me scripta juvit, & venusta, & optima
Non quæstuosis indicare laudibus.
Nam semper ad pejora sunt qui proximant

Illis

Illic morantes, cœno ubi exhalat gravis
Æstus, reflatu pinguiore torpidi
Flores relinquunt, & roseta roscida.
Ut vera dicam, hos juvit excitarier,
Illi excitari siquidem per nos queant,
Natura pronis quos recurvat mentibus.
Mox & Poësin serio volumine
Defendimus, ne nos obesse moribus
Putent, minarum turgidi, qui territant
Urbes, & Orci Numina, & manes crepant.
Jam sive Amoris telo aduror igneo,
Aperta sive rura dulci arundine
Percurro, duras semper odi voculas,
Cethegus ipse quas repente respuat;
Et plana quæ sunt, limpida, & fluentia
Consector ultro, ut omnibus sim pervius.
Hinc nostra multi despicantes elevant,
Et garriunt per urbem, & aureas domos,
Forum, Theatra, porticus potentium.
Illorum ineptis haud ego mutor modis;
Viris probatis, & satis fidens mihi.
Haud mutor hercle: non si & alter Attalus,
Non si beatus dicat, atque lucido
Ostro mihi frons ipsa purpurasceret.

*Michaëli Radzovio Sac. Rom. Eccl. Cardinali Regni Poloniæ Primati.*

Postquam Romuleam accessit Radzovius Urbem,
Læta est ripis Thybridis unda suis.
Nam quo Sarmatici consurgat gloria regni
Jam satis in tanto Principe nosse datur.
Ille suâ fulget radiatus tempora Lauro,
Atque illi auratâ in cyclade splendet honos.
Splendet honos, qui sceptra super Regumque tiaras
Externo haud nixus pondere pondus habet.
Sed licèt eximio sese undique lumine prodat
Laudari Ausoniis gaudet & ille modis.

Ecce vides; ſacros circumvolat infula crines,
  Romuleoque nitet murice tectus apex.
Et vox una ſonat quòd nemo eſt dignior oſtro
  Quà patet Arctois Regia clara jugis.
Jamque piâ dat thura manu, jam numina placat,
  Fundit & auguſto plurimus ore preces.
Hæc agit Auſtriacum dum pertonat alter ad Iſtrum,
  Terret & Odryſios per fera bella duces.
En tibi qui partos congeſſit Roma triumphos,
  Preſſit & indomito barbara colla jugo.
Quàm, puto, præſentem cuperes cognoſcere Regem,
  Publica quo didicit firmior eſſe ſalus!
Per fora, per plateas tunc circumfuſa juventus
  Iret in applauſus obſequioſa ſuos.
Atque novas traheret celſa ad Capitolia pompas,
  Et longum ſpoliis uſque niteret iter.
Invida fata negant; votis Radzovius illis
  Sed ſat erit; tantas impleat ille vices.
Hic ſtudio Pacis, ſpectabilis ille per arma:
  Clara ambos Virtus ſed facit una pares.

*Elegia, cui titulus Querela.*

Ille ego, qui tuto credebam ſiſtere portu,
  Rurſus agor ſævo ludicra præda mari.
Nec mihi dona ſacris imponere profuit aris
  Nec pelagi magnos thure piare Deos.
Ecce iterum fratri ſurgunt in prœlia venti;
  Hinc Aquilo, inde gravis concitat Auſter aquas.
Ecquis erit finis? Num cærula numina ponti
  Forte juvat noſtris ire ſuperba malis?
Diripite, & fragilem ad ſcopulos alliditе cymbam,
  Et lacera undiſono ſpargite membra ſalo.
Hos ego jampridem potui ſperare labores;
  Liquimus ut patriæ limina parva domus.
Illa dies miſeræ filio indebita parenti
  Spondebat noſtræ longa pericla rati.

Illa

Illa dies, primo quum vix exsurgeret ortu,
  Obduxit roseum pallida facta jubar.
Haud aliter Phœbe magni subit oscula fratris,
  Stans ferrugineâ cyclade tecta humeros.
Unde graves metuunt trepidantia pectora sortes,
  Fingit & in majus damna futura pavor.
Discere debueram, quum totus inhorruit æther,
  Quæ capiti ingruerent non nisi dira meo.
Illum infelicem, qui non præsagia Cœli
  Noverit, & Clarii signa verenda Dei.
Novimus; at mentem nobis Deus abstulit æquam,
  Et dedit iratis pandere vela Notis.
Interea furit acris hyems, sævisque procellis
  Remigio nudum torquet utrumque latus.
In brevia, & syrtes, atque obsita litora monstris
  Ventorum & pelagi trudimur arbitrio.
Nec tibi sat fuerit tantas, Fortuna, per artes
  Illusum innumeris sæpe agitasse modis.
En quoque pugnaces ornas in prœlia morbos,
  Et ruit in miserum, te duce, tota cohors.
Nil mihi jam prodest quidquid Podalirius ægris
  Diluit arte potens, quidquid & Hippocrates.
Sæviat in corpus; nostræ dum parcere menti,
  Sors velit, intactis viribus ingenii.
Spes vanas hominum! Flavas ad Tybridis undas
  Tentabam dulces sæpe movere sonos.
Sed vix (vera loquor) plectro incubuere canoro,
  Extemplo digiti diriguere gelu.
Talis erat Niobe mutatis saxea fibris,
  Orpheus amissa talis ab Eurydice.
Falsa licèt fuerint quæ finxit Græcia mendax,
  Me tamen a vero sors procul esse negat.
Me mihi surripuit duri inclementia fati,
  Improba sævities me mihi surripuit.
Qualis eram, quantusque modò subcreverat ardor,
  Dum colui ripas, lauriger Arne, tuas.
Tunc faciles aderant generosa in carmina vires,
  [illegible]que dabant flectere posse feras.

Ex-

Extincto nunc quæro miser de torre favillam,
  Et negat optatam Delius ignis opem.
Nunquid & ingenium fati sub jura venire
  Dicitur, & claros nox tegit atra viros?
Credo equidem; priscis nam quot celeberrima seclis
  Pectora, quæ exiguum vix modò nomen habent?
Exiguum dixisse pudet; tot grandia nullum,
  Grandia tot nullum pectora nomen habent.
Ergo ego quid fatis, quid sorti indigner iniquæ?
  Hanc penes arbitrium est cuncta movere loco.



CHEC-

# CHECCHI DE MILETO

## FOROLIVIENSIS.

### Ecloga Prima.

*In qua solus ipse Auctor loquitur.*

JAm medium lucis contingere lumine fulvo
Gadibus, & Phœbum distare videbat Eois
Mœris, ab occiduo semotus gurgite, quantum
Stabat & alipedes calcabant cursibus austrum;
Nulli tantum operosa fuit pars lapsa diei:
Non frondes capris, ovibus non gramina læta,
Non puros querulo labentes murmure rivos
Monstrarat pastor, fœtus teneri sed amore
Captus adit ramos silvestria poma ferentes;
Inde legens quæcumque suo plus grata sapore,
Fallitur, & placidi consumit temporis horas.
Mox ubi concepit quantum post terga relictum est
Solis, in hæc dignas effudit verba querelas.
O demens, o mente levis, quid credule Mœri,
Credule quid blandis donas fœlicius ævum
Rebus? & ad sanas non retrahis otia curas?
Cur non ipse gregem per mollia prata vagantem
Colligis? ac numerum pecoris sub colle recenses?
Errantemque regis, dextra innitente bacillo?
Vel si forte juvat levibus resonare cicutis,
Incipe, nam major voluit licuisse Menalcas.
Fistula tunc placidum conflabit eburnea carmen;
Testor Pana tamen, Dryadasque, & numina ruris,

Nil

Nil minus in pretio, quam blandos condere versus.
Sint mihi Dii testes, Musæque Helicona colentes,
Sit quoque Parnassus, desertæ sint Aganippe;
Olim quæ nostros recolunt eguisse poëtas;
Nunc quoque nec suadet cœlum, nec frigida Phœbe
Pastorum modulos, spondet minus umbra quietem.
Uritur omnis ager, sed habent incendia mundum.
Aspice, nam minimas contraxit populos umbras;
Nonne canes tremulis lambentes æthera linguis,
Stagna lacusque petunt, & siccis faucibus ardent?
Et sitis implacata magis quo plurima potant,
Et quondam virides squalent in pulvere frondes,
Myrtus cum lauris, hedera ac quæ nexibus ambit
Arboreum corpus, solitum posuere decorem.
Consonat hinc multa raucum nemus omne cicada,
Sibila dant, pavidæ milvi, per inane volucres,
Et male quæ falsa usa est commercia linguæ
Ales quum nigrum traxit per membra colorem,
Immemor exercet mendacia gutture pœnæ,
Alatusque suas certatim reddere voces
Molitur cœtus discordi garrulus ore.
Omnia nunc varios confundunt murmura versus;
Quid si igitur cantes? quid si canat ipse Menalcas?
Quisne operis fructus? nullas mulcebitis aures,
Irrita sed potius tradetis carmina ventis.
Talia dicta dedit Mœris, cum forte Menalcas
Adveniens, subito dextram comprendit amici
Sic referens; quando nulla est modo gloria Musis,
Cedamus, saltusque ultro repetamus amœnos.
Pabula qua nivei tondent armenta coloris.
Ille minor sequitur componens fronte galerum,
Læva tenet virgam, raptam de stipite querno;
Dum simul incedunt, dum verba procacia dicunt,
Hunc inceptа vocant silvestri vimine sepes
Alter abit, multam Cererem præbere colonis.

Eclo-

## Ecloga Secunda.

*In qua solus poëta loquitur.*

Non tam præpetibus captabant æthera pennis
Gnosia jamdudum fugientes litora, duro
Quos mirabantur scindentes vomere terram
Agricolæ, cum tanta fuit vecordia nato,
Ut male tentantes agitaret ad astra volatus,
Invisoque daret functus cognomina ponto,
Quam qui Cyllenes insultat turbine collem
Nuper & in tenera molitur carmina bucca;
Carmina pastorum claro cantata Maroni.
Quo tamen is truncum dimittat gutture murmur
Imperfecta sonans, veluti puer ubera caræ
Nutricis poscens, cui nondum plena labellis
Verba cadunt, nescire juvat, nam claudicat omne
Ordine per metrum verso, symphonia discors
Implacidum flavit dulci resonante cicuta;
Quod postquam notum fecit Mœri ipse Menalcas,
Quid faciemus? ait, forsan tentamur? agendum est
Cantu, qui nostrum non inficietur honorem.
Dux gregis infausti, quem pinea sylva coronat
Flaminias juxta valles, cui mœnia parent
Jam confecta situ, & sancto interfusa cruore:
Quique regit portus, colitur qua sacra Cybelle,
Æquoris Adriaci prospectant litore classes.
Tunc sic ille quidem, recolo, nam pangere cœpit,
Qui Siculos quondam Lilybæis vallibus hœdos;
Plura tamen cecinit, subque umbra tectus acerna,
E quibus hoc unum memini, dum fronde saligna
Jam saturas sylvis studeo revocare capellas.
Mira feram, rigidas flexere cacumina quercus
Sponte sua, nullis tandem impellentibus auris,
Atque aspras cautes, filicesque & saxa moveri
Aspexi, & solitos compescere flumina cursus.
Quodque magis stupui, modulantis carmina plectri

Mænala traxerunt, pecorosaque dorsa Lycæi;
Taliter ut fama est pulsu testudinis heros
Dircæus celsas cum sepsit mœnibus arces,
Concentu gravidas devexit ad ardua moles.
Sic se sicque suos numeros modulamine tentans,
Arguit alterius forsan tentamina: Musis
Hoc placuit, ne quâ lædatur voce loquacis
Fama viri, meritos servat cui laurus honores,
Finis erat: solitos repetebant cuncta recessus.

---

# ANTONII SEBASTIANI MINTURNI NEAPOLITANI.

## *De Venere armata.*

ARmatam Venerem aspiceret cùm cæsia Pallas,
 Vis Cypri judicium sic subeamus? ait.
Quæ tenerum ridens: clypeos attollere contra
 Audes? si vici nuda, quid arma feras?

## *De Venere Praxitelis.*

Qui Gnidiam fecit Venerem, num viderat umquam
 In terris nudam Praxiteles Venerem?
An nitidi in cœlo clara inter sidera Olympi,
 Cùm a mortali animus corpore liber erat?
An Dea mentem illi afflarit, ferrumque manusque
 Rexerit, atque animam pulchro operi dederit:
Ut Venerem credas missam cœlestibus oris,
 Piscosæ tumulos incoluisse Gnidi?

De

*De Adonide ab apro interempto.*

Adonin puerum puella Venus
Suas delicias ſuumque decus,
Amantemque ut amans, ſuis miſera
Mirata eſt oculis, ſuis oculis,
Qui rerum exhilarare cuncta ſolent,
Extinctum, egregiæ indolis faciem:
Totos in lacrimas dolens ſolüit
Nitentes oculos: utraque manu
Flavam ſciſſa comam, genas roſeas
Ac pectus niveum petit: Cypriam
Se divam haud meminit Jovis ſobolem.
Nequicquam Charites, Jocuſq; & Amor,
Ad quas triſtis amor rapit, tepidas
Solantur lacrimas: at illa, dolor
Ut voces miſerabiles agere
Dedit, cæruleo ſinu puerum
Amplectens vocat ore Adonin hians:
Adonin nemus undecumque refert:
Et cœlum omne Deæ dolore dolet.
Tum vero aſſiduè vocans miſera,
Premenſque oſcula dulcè pallidula,
Hic ne, hic ille, ait, oris eximius
Honos purpurei, mea ambroſia
Meum ſuaviolum meuſque lepos?
Hoc ne, hoc cæſariei illud auricomum
Decus, quam his digitis ego, his toties
Depexi digitis, ſtudens nimium?
Vos o vos agedum mei pueri
Huc illud gravius malum huc trahite,
Illud dedecus omnium nemorum:
Tumque voce reſiſtit in media:
Sævus plura dolor loqui haud patitur.
Illi, non mora; commodum volucres
Totum ingens peragrant nemus, ſonitum
Pulchris & humeris dedit pharetra.

Do-

Dolentem inveniunt ſuem: capiunt:
Circum terque etiam, quaterq; ligant:
Verbiſque, & manibus mali exagitant.
Hic illum prior horrido laqueo
Invitum rapit, ille letifero
Vadit poſterior premens calamo.
Infelix tacitus, timenſque it aper:
Formidabat enim Cypri dominam.
Moxque illum ut malè vidit Idalia,
Tune, inquit, femur hoc mihi laceras
Omnes ante feras graviſſima? tu
Dilectum hunc juvenem mihi interimis?
Vitæ pernicies meæ immodica?
Illi innixa genu, timenſque nimis,
Reſpondit fera: per tuum Cypria
Magnum numen, & hunc per egregium
Virum, per meaque hæc manus validæ
Sancta vincula, & hos per, hos volucres
Venantes, iterum atque juro iterum:
Formoſum hunc juvenem tuum haud volui
Meis diripere his cupidinibus:
Verum dum ſpecimen nitens video
( Æſtus impatiens tenella dabat
Nuda femina mollibus Zephyris )
Ingens me miſerum libido capit
Mille ſuavia dulcia hinc capere,
Atque me impulit ingens indomita.
Hos ergo capiens Venus domina,
Hos ulciſcere, demeque hos penitus
Dentes, heu nimia aſperos acie.
Nam quid mi ſuperant ſupervacui?
Qui nunc ſi tibi non ſatis fuerint,
Abſcinde hæc mea labra tam cupida:
Horum criminis hoc ſit indicium,
Quin & ſi mea vita nunc odio eſt,
En ſacram hanc animam Dea accipias.
Heu quales potero miſerrimus, heu,
Ego annos agere hoc ſine, hoc juvene?
Hæc

Hæc cum dicere visus est, nimios
Infelix lacrimans dedit gemitus.
Tum vero miserrimi miserta Venus,
Suis dixit Amoribus, valida
Illa ut vincula solverent ab apro.
Novit, quò furor improbus rapiat.
Dolens tam sibi obesse vim propriam.
Profecturus aper Deæ insinuat,
Qualis vita sibi futura foret.
Extincto Cynireio puero
Saxum ventre cavo, arduo capite
Antrum immane facit: situque putri
Totum Cimmeriis nigret tenebris:
Circum silvæ patet, strepitque Noto.
Huc ille haud solitum nemus petiit:
Ibique assiduè gemens miserè
Tabescit: vitisque cum propriis
Absumpsit lacrimis calentem animam.
Jam vero pueri cruor roseus
Flos est puniceus, rubens lepidè,
Pulchra Crispior ipse cæsarie.
Sic enim Dea jussit Idalia,
Ut qui jam fuerat nitens juvenis,
Idem sit quoque flos, & arbor, amans,
Suæ deliciæ, suimque decus.

*De Comâ Mariæ Sanseverinæ Medicorum jussu recisa, cùm illa gravissimè ægrotaret.*

Quis novus hic dudum antiquis nitor additur astris?
Quo divûm hæc rapta est numine cæsaries?
Ausonidum jubar, & longe pulcherrima proles
Divino Mariæ nomine digna Deæ.
Illa & principibus felix ab origine princeps,
Dis genitâ, & magnos progenitura Deos,
Et forma egregia, & propriis virtutibus omnes
Inclita per terras conspicienda nitet:

Principe læta viro: valet indelebile gentis
  Qui decus Ursinæ, candidus ingenio:
Cui prædives agri pulchro vicina Vesevo
  Nola perantiquo subditur imperio.
Non sic Oenidæ lætata est munere conjunx,
  Quem lacrimis patriæ non tetigere preces:
Non sic Tyndaridæ miro Leucippis amore,
  Non Iphiclea Laodamia domo.
Non Ida, non vitreis Eveni fluctibus orta:
  Non Phrygia gaudens Hippodamia face:
Nec tantum Alcestis Pheræo cara marito,
  Cujus in hunc studio victus uterque parens.
Illam visuri qui non venere Deorum?
  Quis non ex certis advenit cardinibus?
Venit ab Ismariis, thiaso plaudente per arva,
  Collibus, inflectens Eiraphiota caput:
Omnivagusque puer, pulchra ludente chorea,
  Idalium liquit fronde virente nemus:
Liquit acersecomes lauro decoratus Apollo
  Ortygiam, atque antri saxa Lycore tui.
Undipótens Helicona pater Neptunus, & Ægas:
  Tritonumque dedit buccina rauca sonos.
Quin & ab Æthereo magnus descendit Olympo
  Juppiter, & divûm turba secuta Jovem.
Ipsa autem misit Taprobane Antichthona orbis,
  Tuque ab Hyperboreis ultima vorticibus.
Obstupuere omnes admoto pollice dextræ
  Oribus, augusta ut visa sit species.
Pars Venerem dicunt cœlesti semine natam,
  Pars Junonem, alii Pallada magnanimam.
Sunt quos non ipsis pigeat præferre deabus;
  Tanta illi & vultus sunt animique bona.
Quippe oculis Solem referebat, & ore sereno
  Auroram, & flavis sidera puris comis.
Jamque æther Mariam, Mariam omnis terra sonabat;
  Jam magnæ deerat nil, nisi templa, Deæ.
Quamquam nec tanto se dignabatur honore,
  Nec tanta divûm laude superbierat:

Ilicet

Ilicet invidia flagrarunt corda Dearum?
  Invidia infelix, vipereumque malum.
Te propter, scabra veluti rubigine ferrum,
  Quæ mens affecta est, invidia, afficitur.
Te duce cuncta magis pereunt, quàm Marte superbo,
  Quod maleficia taces, perpetuumque furis.
Quî rerum Æneadæ ceciderunt summa potestas?
  Quî Macedum nomen? regia quî Babylon?
Quî quoque Persarum quondam vis maxima regum
  Nulla est? quî virtus occidit Agricolæ?
Tu minime justus simul, & junctissimus unus
  Morborum, inde bonis instruis insidias.
Et sequeris quocunque illustris gloria ducat,
  Umbra velut, quisquis lampade solis eat.
Quid referam, ut sua Belisden clarissima virtus
  Te comite ad geminos duxerit interitus?
U que Neoclides patriis procul actus ab armis?
  Ut Sophiæque parens atra venena bibit?
An vero ut magni in Pœnos ardentia Martis
  Fulmina Scipiadæ succubuere dolis?
Occidit ut primus Romanæ conditor arcis
  Romulus? ut summi conditor imperii.
Hæc vero ingentis merito das improba pœnas;
  Ipsa tibi sola es pessima pernicies.
Haud secus ac temere ferientis pectora, duro
  Tela repercussa e marmore concutiunt.
Cum nihil invisis noceas virtutibus horrens;
  Sed tua nec bona te, nec mala visa movent,
Alterius vero pingui macrescis in arvo?
  Mox tamen arentis lætior efficeris.
Ecce ferus Stygiis manans de gurgite morbus
  Candida pallidulo membra livore rapit.
Inde ereptus honor facie capitique decoro,
  Quem mirata Deûm est sæpe virûmque cohors.
Quid morbo obstiterit? cedant cui fortia bello
  Corpora, quæ sæve non domuere manus.
Ille quoque hoc victus, qui vicerat omnia ferro,
  Ælius, Italicæ gloria militiæ.

At pereat, morbis quæ totum infecerit orbem
Principio, humanæ caussa dolenda necis;
Ah malè cautæ parens, quæ te tam dira cupido?
Siccine Pandoræ captus es illecebris?
At sator omnipotens Cœlus non aspicit æquis
Hæc oculis: tantum viderat unde malum.
Omnia namque vides Cœlus pater, omnibus idem,
Custodisque tuis omnia sideribus.
Munde parens, rerum finis, rerum omnium origo,
Naturæque vices, quodque necesse regis.
Cum primum nitido ceciderunt vertice crines,
Quos toties docta pexuit Hora manu;
Uni unguentorum biberant qui millia multa,
Ne decus hoc pereat, sic ait ipse Deus.
Ex Ariadneis variato in limite nostro
Aurea temporibus fixa corona micat.
Ex Bereniceo pulchræ devota Dionæ
Vertice divino munere cæsaries.
Hîc Neptune tuam qui vexerat Amphitriten:
Hîc mediis juxta est lucida luminibus.
Quin etiam Andromedæ spectantur brachia latè:
Et triquetræ facies littora Trinacriæ.
Denique quodcumque est prudens venerata vetustas,
Ex alto fulgens æthere conspicitur.
Et præclara mihi liceat quoque in astra referre
Flaventis Mariæ verticis exuvias.
Dixerat: astutum variis Thaumantia proles
Multicolor pennis nuntia missa Deûm.
Quæ flavos raperet crines, cœloque locaret
Undique & æterno sidere conspicuos.
Proque his, & radiis divinæ lucis, & auro
Insignem capiti poneret inde comam:
Oraque pallentis cœlesti afflaret honore,
Amissum specimen pulchrius efficeret.
Ut sit, quam magis admiremur, gratia formæ,
Ipsaque se carpat sævius invidia.
Haud mora dehinc stellis fulsit redimita corona:
Aspice, contingens ante Corona feram.

Huic,

Huic, seu felici tæda, & Junone secunda,
  Juncta viro casti jura cubilis habes.
Seu Veneris vinclo cuiquam socianda jugali,
  Lecta tuus libet munera carus onyx:
Ipsa immortali ante omnes clarissima dono,
  Et caput, & faciem pulchra magis colere.

*De Maria Sanseverina, & ejus marito.*

Cum decus Italidum velut inter sidera Phœbe
  Hinc divûm Maria prædita muneribus.
Hinc jubar Ausoniæ magni ceu Phœbus Olympi
  Fulgeret Heroicus gloria Romulidum.
Alterum & alterius fulgenti lampade mundi
  Clara magis niteant lumina, junxit amor.
Conjuge felices conjunx & principe princeps,
  Vivite felici vivite conjugio.

*Ad Elysium Caraciolum Episcopum Catanensem, Elysium.*

Forte puellares ludens per prata choreas
Duxerat, ac molli tandem consederat herba,
Frigus & obtentu sylvæ captabat opacum
Turba ingens Dryadum pictis admissa Napæis,
Jamque inter corylos ingentem sideris æstum,
Et curas animi vario sermone levabant,
Auratam citharam tum pectine pulsat eburno
Euryale ad septem fundens discrimina vocum
Carmina: dulcisono resonant nemora ardua cantu,
Mirantur pecudes: mirantur agrestia Panes
Numina: duratæ flexêre cacumina quercus.
  Nam canit insigni superos qui prole parentes,
Mortales fecere, poloque auxere penates:
Utque Jovi Herculeas peperit Tirynthia vires
Alcimene decepta viri sub imagine falsa:
Ut puerum Cadmea parens, qui primus Eois
Quadrijugos victor currus agitavit ab Indis:

 Ut

Ut divum interpres pulchra sit Atlantide natus,
Ingenioque potens sacro Cyllenius antro.
Tum canit Heroas, Divæ quotcumque superbo
Connubio genuere viris similesque Deorum:
Jasio quem flava Ceres, veneranda Marica
Quem Laërtiadæ, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus, quos Nereides, Psamatheque Thetisque,
Pulchra Thetis: quis enim fama non novit Achillem?
Quanta viro virtus, testis quæ lata per arva
Terra Phrygum toties undavit sanguine: testis
Unda cruore novo tam sæpe coacta Scamandri:
Testis qui correpta virûm tot scuta sub imo
Gurgite tot galeas Simois tot corpora volvit:
Testes Iliadum natorum in funere matres
Ungue caput lacerum fœdantes, pectora palmis,
Pallida cùm crebris rorarent fletibus ora.
Qualis ab æthereâ Mavors dimittitur arce,
Fulmineas rapido spirant cum turbine vires:
Sive per Æmathios incendat prœlia campos,
Sive in Agenoreis renovet certamina Thebis
Purpurea insignis crista & fulgentibus armis,
Quem sequitur loris minitans Bellona cruentis,
Necnon Threicio stridens Aquilone procella:
Talis erat, talem sese miscebat in hostem
Vulcani clypeo, & multo spectandus in auro
Pelides, animoque ardens sic bella petebat.
Quid referam? aut raptatum hostilibus Hectora loris?
Hectora, quo numquam cecidissent Pergama vivo.
Aut Martis sobolem, Scythico quæ venit ab orbe
Auxilio Teucris, fœdatam pulvere crines,
Æacidæ telo Trojæ cecidisse sub altis
Mœnibus? aut te materno jam numine, Memnon,
Fidentem heu nimium? Eois quem misit ab oris
Diva parens, magna Æthiopum comitante caterva,
Ulturum Priami clades, gratumque paterno
Facturum generi, contra si fata tulissent,
Jamdudum Antilochi exuviis lætatus Achilles.
Ah malè cauta petis, quo non præstantior alter

Decertare manu, atque hostem prævertere cursu.
Ah malè caute, genus, quo non præclarius ullum,
Magnanimi herois contemnis, & inclita facta.
Quo ruis infelix? quo te dementia ducit
Imprudens juvenis, fatisque, & viribus impar?
Quamquam non alio undisonis tremuere sub antris
Nereides bello, nec tam adduxere Tonantem
Altera in ambiguum ferventia prœlia regum:
Insonuere poli, & strepitum dedit undique pontus.
Tum vero extinctum crudeli funere venti
Corripiunt, vectumque obscura in nube per auras
Frigida pernicies Æsapi ad flumina sistunt.
Te Nymphæ ad patrias flebant Æsapides undas,
Te Sol purpureum tectus ferrugine vultum,
Te Solis natæ, te sidera matutina,
Pleïadesque, Hyadesque & claro Lucifer ortu,
Ipsæque æthereæ Themidos pulcherrima proles,
Quæ Cœli obsidunt portas, quæ tempora rerum,
Quæ noctesque diesque ferunt & quidquid ubique
Exoritur quodcumque viget quodcumque movetur,
Ingeminant Horæ lacrimas, crinesque resolvunt,
Te mater complexa sinu miserabile corpus
Heu gemit illacrimans & questubus omnia complet
Auricomum velata caput sub nubibus atris,
Crudelesque Deos, crudelia & astra vocabat:
Quam miserata parens Stygias tum protulit alas
Nox atra, & totum texit caligine cœlum.
Illa perosa Jovem, & lumen candentis Olympi,
Infernos penetrare sinus, manesque profundos,
Certa. vel obscuros inter se condere nimbos,
Abstulerat superis lucem, & mortalibus ægris:
Nec dum purpureis retulisset vecta quadrigis
Alma diem, nec sidereum repetisset Olympum,
Ni pater invitam revocasset fulmine torto.
Dant gemitum comites, & fletibus ora rigabant.
Æthiopes tum præpetibus se tollere pennis
Ante rogos visi (dicto mirabile) regis,
Et latè extemplò ingenti sonuere volatu:

Ter circum volitant volucres, lustrantque sepulchrum
In numerum, ter conveniens ferit æthera plangor,
Dehinc veluti adductum studia in contraria vulgus
Bella gerit latis plusquam civilia campis.
Sic sese in partes diversaque in agmina ducunt
Adversisque ruunt celeres in prœlia rostris,
Pectora pectoribus quassant, atque unguibus ungues
Impediunt, diramque petunt per vulnera mortem.
Has cineri dant inferias, hæc sacra quotannis
Perficiunt regique suo de more parentant:
Hunc nato implorat (sic Dii voluistis) honorem:
Hoc se Aurora dolens solatur munere tandem.
Quin etiam sævi servant nunc signa doloris
Imperio Divûm Phrygiæ sub collibus Idæ
Flumina Memnonio (mirum) collecta cruore:
Servatoque die, quo jam Tithonius heros
Cessit Achillea trajectus cuspide terris,
Annua sanguineo perfundunt gramina fluctu,
Halitus it cœlo grave olens: ut putrida dicas
Vulnera adhuc sanie tetrum diffundere odorem.
Hæc Thetidos referens laudes tum Nympha canebat:
Hisque recens addit Divûm genus, edita cœlo
Italiæ decora alta: jubar tum denique pulchræ
Parthenopes canit Elysium: ut fovere cubili
Nascentem Charites, vitalique ubera rore
Naides infanti admorunt: ut rupe sub alta
Parnassi Aonides puerum docuere sorores:
Fonte Medusæo perfusnm, ut maxima vatem
Calliope fecit divino fluminis haustu:
Ut juvenem lauro ornavit Parnasside Phœbus,
Exceptumque choro suprema in sede locavit.
Tum vero hæc illi: tu longa in veste sacerdos
Ætnæos populos divina lege tuendos
Ante diem accipies, te fertilis ora Symætin
Præside jam latè lætabitur ipsa, Sicanis
Terra ferax largo plures dabit ubere fruges:
Aurea te superum custodem sæcla videbunt
Sectantem patrui vestigia passibus æquis:

Or-

Ornatum roseo felix te Roma galero,
Augentemque sacros ritus & templa tuentem
Adspiciet, Latium summo qui cardine rerum
Magnarum subeas orbem, si verus Apollo est.
Cetera me prohibet genitor prædicere divûm,
Multaque præterea cecinit doctissima virgo
Omnia quæ pulsæ referunt ad sidera valles:
Donec & invito decessit Phœbus Olympo,
Et magnæ invitis cecidere e montibus umbræ.

# GULIELMI MODICII

## MONTEFERRATENSIS.



### *In P. Clodium; & Tyrannos aliquot.*

PElle domo, patriâ, Ciceronem trans mare Clodi:
  Hunc Milo qui revocet lege Tribunus erit.
Urbe furens mediâ Ciceronem concute Clodi:
  Ultor in Albano te Milo rure manet.
Te Cato, te Cicero patriæ celebramus amantes:
  Omnis posteritas vos amat atque probat.
Sunt odio gener, atque socer fera bella gerentes,
  Neuter amat patriam; sed sibi quærit opes.
Ultores patriæ, duræque tyrannidis hostes
  Cassius, & Brutus sunt in amore mihi.
Antoni, Lepide, Octavi; mœstissima Roma
  Vos non tres homines, sed tria monstra tulit.

### *Mulier tres conjunctissimos lugens.*

Undique mi luctus. Sponsum pater, at meus illum
  Filius; hunc rapuit fratris acerba manus.

Puel-

*Puellæ Mediolanensis interitus.*

Vultus Anastasiæ geminos exussit amantes:
Implevit quotùm sæpe puella sinus.
Qui fuit inferior, jussit sperare puellam,
Si fieret potior, jura, fidemque thori.
Alter, ut advertit partes in amore secundas
Esse suas, fuerat qui potiore loco;
Invidiæ stimulis, sævisque doloribus actus,
Oranti veniam traiicit ense latus:
Et miseræ fuso satiatus sanguine, dixit;
I nunc, rivali nube puella meo.

*Paulo III. Pont. Max. & Carolo V. Imperat. in rebelles.*

Accola gens Rheni, furiis agitantibus ausa
Spernere jura hominum, spernere jura Deûm;
Jam satis illusit, summi nam Præsulis arma
Hinc properant; illinc Cesaris arma ruunt.
Gens scelerata cadet; cùm junctis fortibus armis
Vindicet hic homines; vindicet illa Deos.

*In Ravennatis picturam.*

Livius è cœlo venit, qui pingit ad unguem
Ætherea quales vidit in arce Deos.

*Ad Joannem Rosam.*

Ora quibus tibi cumque modis est solvere visum;
Te, Rosa, nil hodie doctius astra vident.

*Ad eundem.*

Unum te colimus cuncti, miramur & unum;
Maxima Musarum gloria docte Rosa.
Quidquid enim decoris Latium fert, quidquid Athenæ,
Quidquid natalis Tuscia; solus habes.

*Ad eumdem.*

Si vocet, atque ultro ambrosiam mihi porrigat Hebe;
  Nectaris & Phrygius pocula grata puer:
Et tùm fortè Rosam sit fas audire canentem:
  Dicere non dubitem: nec revocate Dei.
Hæc potior mihi vox: hæc dum vox mulceat aures:
  Nun opus ambrosia est: non mihi nectar opus.

*In Spinellum, remedia chiragra docentem.*

Vos, quibus est capsis conclusa pecunia; vates
  Unde nihil tenues utilitatis habent:
Spinellum tandem proceres audite poëtam,
  Consilium vobis utile quod det, habet.
Exercete manus, altis numerando poëtis:
  Solvere chiragram nam labor iste potest.
Hic tamen argento non est donandus, & auro:
  Obsita qui spinis carmina multa facit.
Jus est contentum quadrantibus esse minutis;
  Pellat & unde famem, pellat & unde sitim.
Nec qui solvendæ non dat præcepta podagræ;
  Hunc artis solidæ præmia ferre decet.
Si labor hic sanat: brevis est numerantibus aurum,
  Plus prosunt, quia plus æra laboris habent.

*Caloris remedium.*

Ante cœnam mihi bis denis, totidemque diebus
  Post hunc; sint medici, Bacchus; & umbra, domus.

*Epitaphium Basilii Zanchii.*

Zanchius hoc saxo tegitur; qui laude Maronem
  Æquavit: nusquam voce, vel arte minor.
Hoc etiam major: quanto sit dicere divos,
  Majus opus, Phrygios quàm cecinisse viros.

*Aliud.*

Zanchius æquavit qui priscos laude poëtas;
Conditus a doctis hac requiescit humo.
Non obiit, claro qui nomine vivit; & hymnos,
Quos prius hic cecinit, qui canit ante Deos.

*De eodem.*

Zanchius hic recubat Musis dilectus, & orbi
Cognitus, heu magnos quàm brevis urna capit!

*In eumdem.*

Cùm docti fusum sit Zanchi nomen in orbem:
Pulvere tam pauco quis putet ossa tegi?

*Petri Strozæ tumulus.*

Flos Italum Petrus situs est hic Strotia, fortes
Mars rapit; & ferro quos nequit, igne rapit.

*In eumdem.*

Tormento Petre Stroza jaces, an fulmine? pulchrum est
Non hominum manibus, sed cecidisse Deûm.

*In nuptias Podianas.*

Si tua Rhene pater curæ tibi Felsina: cujus,
Eridanum quærens, pinguia culta secas;
Tolle caput placidum de gurgite: fronte fluentes
Mitte, premens digitis post tua terga, comas.
Cerne leves passim lætâ, pater, urbe choreas;
Omnia dum resonant cantibus, atque sonis.
Nunc roseo peragit partes Hymenæus amictu:
Nunc Venus, atque Jocus, nunc & honestus Amor.
Nam juveni in Podio Pepulâ de gente puella
Nupta subit thalamos, jura subitque thori.
Ede, pater, plausum, ripas stringentibus undis.
Æquius haud unquam gens tua læta fuit,

Puel-

*Puellæ Florentinæ tumulus.*

Musarum comes Irene, comes atque Minervæ,
  Hîc jacet Italidum dulce puella decus;
Ingenium, formam, mores ut vidit, & artes
  Gens Etrusca, ferè credidit esse Deam.
Hanc, ubi ut octavum miserabilis attigit annum,
  Sustulit humanis invida Parca bonis.
Floribus Irenes decoret, lacrimisque sepulchrum
  Quisquis amat Musas, Pallada quisquis amat.

*In Ciceronis Statuam.*

Non putat hunc ipsum Ciceronem vulgus; & inquit:
  Hic est vocis inops, ille disertus erat.
Jure silet Cicero, ne perdat verba, quod Urbem
  Oblitam videat verba Latina loqui.

*Ad Canes custodes hortorum.*

Ite Canes: Augusto mense tuebitur hortos,
  Qui tenet astra Leo, qui tenet astra canis.
Non fera, non volucris siccos depascitur hortos:
  Non est, quod rapiat furis avara manus.

*In fontem, & hortos Alexandri Grandis ad radices Pincii montis.*

Ante fores curas, fontem qui visis, & hortos,
  Exue: poscit enim libera corda locus.
Ebibe, quod libeat, flores ne carpseris ullos:
  Nam satis est oculos pascere, fonte frui.

*Aliud de iisdem.*

Debetur laus summa Deo: Natura secundam
  Postulat, ars multum denique laudis habet.

### *Ad Horatium Guilielmum.*

Mercibus Eois reducem si civis amici
  Gratulor; & cordis gaudia fronte gero:
Cùm redeas mercis pretiosæ dives Horati;
  Cur tibi non multo gratulor ista magis?
Urbe redis Patavî, referens Mavortis in urbem
  Exculti raras cordis, & oris opes.
Interpres legum, jubeant quid jura, docebis
  Sanctaque quid statuat curia, quidque forum;
Civis amans patriæ communia commoda quæres:
  Atque tuâ miseros sæpe levabis ope.
Carus eris patribus: populus tibi lætus honores
  Deferet; & plausum plebs tibi læta dabit.
Idcirco reditum tibi gratulor, artibus istis
  Indoctum semper posthabiturus opes.
Dii tua fortunent bona, dentque utrique parenti
  His tecum longo tempore posse frui.

### *In Imaginem Annæ Austriæ Hispaniarum Reginæ.*

Anna decus gentis, sata Cæsare, nupta Philippo,
  Pulchrorum regum quem facis esse parens;
Si species animi pingi potuisset ab arte,
  Ut potuit species corporis ista tui;
Spectarent oculi; cùm sis mirabilis intus,
  Et foris, in toto pulchrius orbe nihil.

### *De eadem.*

Effigiem meritò stupet hanc quicunque tuetur,
  Et simul esse novi credit Apellis opus.
Forma tamen vivæ longe præstantior Annæ est:
  Qualem cælestem famâ fuisse refert.
Ast oculos strinxit pictoris forma puellæ
  Inclita; ne posset pingere, qualis erat.

*In eandem.*

Sit licet effigies pulcherrima, viva puellæ
Forma tamen melior, plus & honoris habet.
Perstrictis oculis divini luce decoris,
Pictoris caruit lumine docta manus.

*In Antonii Perenoti Cardin. Numismata.*

Si species animi, ceu corporis, esset in auro:
Granuelane, foret par tua forma Deis.

*Aliud.*

Ars animi speciem si fingere posset, ut oris;
Granuelane, tuâ non foret ulla prior.

*Aliud.*

Excellit facies; tua, Granuelane, per artem:
Pulchrior est animi; sed nihil artis eget.

*Ludovici Areosti tumulus.*

Versibus Hippolytum celebrans, gratum esse probasti
In Mæcenatem te, Lodovice, tuum.
Junior Hippolytus statuens, Arioste, sepulchrum,
Hoc tibi; pro patruo gratus, & ipse fuit.

*In templum montis Regalis renovatum.*

Hanc superis cellam Gulielmus condidit ædem,
Qui tenuit Siculi sceptra superba soli.
Abstulerat faciem rebus spatiosa vetustas,
Collapsum fuerat jam decus omne loci.
Restituit, regi titulum Farnesius; aras
Cœlicolis; templo, quod fuit ante, decus.

*Tumu-*

*Tumulus Cosmi Etruriæ Ducis.*

Hic situs est Cosmus gentis Dux Magnus Etruscæ,
Qui decus Italiæ, gloria, lumen, erat.
Scilicet hoc major toto rex nullus in orbe
Consilio, meritis, aut pietate fuit.
Non obiit, cujus terras diffusa per omnes,
Inter & Antipodas, fama perennis erit.

---

# FRANCISCI MARII MOLSÆ MUTINENSIS.

*Ad Cesarem.*

DUm te Sirenum retinet terra hospita, Cæsar,
Sebethus riguâ quâ fluit amne patet,
Postque graves pelago exhaustos, terraque labores,
Queis auxit titulos Africa tonsa tuos.
Hospitio indulges, clypeique oblitus, & hastæ,
Jure tuâ sequeris commoda parta manu.
Roma tibi aurateos componit sedula currus,
Queis vectus sacrâ conspiciare viâ.
Captivos addit famulis cum fluctibus amnes,
Multaque diversis oppida capta locis.
Tum super his tumidi latè maris extat imago,
Cærula victrici marmora classe latent.
Ipse fugam male fisus aquis, levibusque sagittis
Admisso captat Ariadenus equo.
Mox Nomadum gentes, Maurusiaque agmina cernas,
Tendere captivas ad tua frena manus.

His

His te muneribus supplex veneratur, & ora
Absentis sperat cernere posse Dei.
Quin de septenis vox est modò collibus ingens
Exaudita, moras increpitare tuas.
Parthenope sat culta tibi est: linque otia, Cæsar;
Ista solet summis ora nocere viris.
Quos tu nunc victos justis ulcisceris armis,
Deliciis eadem fregerat ante suis.
Carpe viam, tibi prisca situm jam marmora ponunt:
Et Latii facies jam nova facta fori est:
Æquaque dispositis consurgunt tecta columnis:
Arte rudes nullâ quæ incoluistis avi.
Miles inoffenso simul ut pede quisque vagetur,
Sternitur assiduâ glarea dura manu:
Et disjecta silex apta conjungitur arte,
Cunctaque in æquales compita secta vias.
Victor io, Bellator io, quid nostra moraris
Gaudia? sunt cœptis hæc quoque digna tuis.
His mihi Cæsar enim viguit dum nomen in oris,
Nil nisi Romanum sub Jove terra tulit.
Hinc progressa olim divi tela horrida Julî
Terrarum latè perdomuere sola.
Vix bene Romuleis Cæsar consederis arvis,
In cœlum cùm te gloria summa feret.
Ex tuto hinc regum poteris contundere vires:
Victori insultet gens modò si qua suo.
Communi pater auspicio Romanus inibit
Fœdera queis geminum scandet ad astra jubar.
Huc ades, en celebres iterant Capitolia plausus:
Sume triumphali lora regenda manu.
His tua jamdudum debetur laurea templis,
Et junctus niveis currus eburnus equis.
Ecce tibi intacta nivei cervice juvenci
Ad pingues properant procubuisse focos.
Ecce tuos cogit Victoria læta jugales
Ad frena, æternum est quæ tibi facta comes.
Adspice ut hibernis vernet tibi mensibus æstas,
Utque hieme in media floreat omnis ager.

Obductum nulli præcingunt æthera nimbi,
  Ducta nec obtusi est luminis ulla dies.
Scilicet eventus sunt omina læta futuri.
  Subscripsit votis Juppiter ipse meis.

*Ad Alexandrum Farnesium.*

Curarum ingenti Paulus dum mole repulsâ
  Se solis fessum colligit usque locis.
Et modo in Herculei delatus Tiburis arces,
  Damnata æstivo deserit arva cane;
Aut intempestæ surgunt quo monte Graviscæ,
  Sedisse argutas sustinet inter aves.
Et validus metas ultra, fortemque senectæ
  Communi nescit conditione premi,
Tu gressum comitatus avi, pulcherrime, tecum
  Vota virûm defers, publica vota virûm:
Suspensamque diu variis terroribus urbem,
  Absentem dum te cogitat, unus habes.
Ipsa etiam latos Pallas demigrat in agros,
  Et tecum, positâ Gorgone, rura colit.
Quemque graves juvenem mox est ductura per artes,
  Musarum sanctos gaudet inire choros:
Atque sub Aoniâ recubantem detinet umbrâ,
  Qua tibi trita olim, culte Tibulle, via est.
Interdum magni lætum in secreta Maronis
  Deducit, lateri subsequiturque comes.
Suggerit aut solers puri tibi carmina vatis,
  Olim Phœbeâ carmina fusa lyrâ;
Scilicet his tenero sensim præludit alumno,
  Quem properat castris præposuisse suis.
Illic principiis disces quibus omnia constent,
  Ortaque quîs coëant, dissiliantque modis:
Nocturnisque simul naturam intexere chartis,
  Res erit ingenio non operosa tuo.
Sed neque Socraticis renues de fontibus haustus,
  Quò tua fertilibus ora rigentur aquis.

Hinc

Hinc felix toto demum spatiabere cœlo,
  Unde vices rerum tempus in omne fluunt.
Tunc, quæ stelliferos ingens vis torqueat orbes,
  Noscere, perque altas ætheris ire vias;
Extremum fuerit munus, terrisque relictis
  Astra super fulgens exseruisse caput.
Dum licet, absentem doctæ celebrate sorores,
  Urbe illi est Pallas sola futura comes.
Has avus ad metas primis se exercuit annis:
  Et tibi, quos superes, leniit ante gradus.
Qui pendentem a se meritò nunc adspicit orbem:
  Et divisa alto cum Jove sceptra tenet.
Quàm bene Tarpejum fulsistis Numina saxum,
  Illâ, qua terris præfuit ipse, die.
Nutabat patrum sententia; nec satis ullus,
  Imperio dignus qui videretur, erat.
Acri inmmatum studio sibi quisque petebat;
  Et regni cunctos sollicitabat amor.
Obnixique animo inter se non cedere, septis
  Vix bene se admorant, intulerantque pedem;
Cùm Paulli species cunctis augustior hæsit,
  Quàm possent oculi, cordaque ferre patrum.
Quæque illi custos oculis afflarat honores,
  Composuit motus dia Minerva truces.
Aurea sic illi medio stetit agmine sella,
  Atque dedit victas sacra caterva manus.
Sic sæva immites miscent cùm prœlia venti,
  Seu Zephyrum Boreas, seu premis Eure Notum.
Undarum si forte parens caput extulit antro,
  Iræ subsidunt, & freta dira silent.
Ipse levi circumvolitans vasta æquora curru,
  Concita subjectis marmora mulcet aquis.
Nil unquam studiis æquè est concordibus actum,
  Ut cunctos unâ mente fuisse putes.
Et meritò: tantos quis enim componere fluctus
  Bellorum victor Marte furente queat?
Quis dextram everso clemens nunc tenderet orbi,
  Aut tantis posset invigilare malis?

At tu, magne puer, terris suscepte regendis,
Olim cùm cœli templa tenebis avus;
Ex illo virtutem hauri, verumque laborem;
Teque illi similem, quà potes arte, velis:
Ut tenero agnoscens se in vultu, tempora cernat
Ipsa iterum per te lapsa rediisse sibi.

## *Ad Benedictum Accoltum.*

Me tenet invitum (fieri quod posse negabam)
Romani genius, mi Benedicte, soli.
Nam quoties animo spatia interjecta recurrunt;
Disjuncti queis nunc cogimur esse procul;
Non mihi Phæacum dentur si mollia rura,
Quidquid & Alcinoo parturit almus ager.
Ulla queant ægrorum animum deducere Tempe;
Nec sine te regum commoda magna juvant.
Scilicet illa in me reciderunt fulmina dextra,
Quæ Vaticano sunt modò torta Jove.
Cùm tibi mille acies, intentaque pectore tela
Una animi virtus reppulit alma tui.
Mox contemptor opum, nullo non vulnere pulsus
Fortunæ, Eridani pinguia culta petis:
Æmula quà magnæ surgit Ferraria Romæ;
Hospitio tellus facta beata tuo.
Herculis hic primum vultu, dextraque potitus
Naufragii tabulas colligis ipse tui.
Atque opibus tanti subnixus principis, idem,
Qui fueras, rebus incipis esse bonis.
Ambustum Phaëtonta olim sic gurgite molli,
Os sacrum attollens, excipit Eridanus:
Vulneraque exiccat, lymphis, muscoque virenti,
Membra prius crebris ictibus usta fovet.
Conveniunt virides passim antra ad cognita Nymphæ.
Fidentemque nimis suscipiunt puerum.
Ille animam revomens, & sacros fulminis ignes,
Undosam complet sulphure, & igne domum.

Tum

Tum pater Eridanus fatorum arcana resolvens,
  Innixus cubito talia verba dedit;
Tempus erit; magnus nostra hæc cum littora adibit
  Hospes, fulminea tactus & ipse face.
Qui secum Phœbumque vehat, Phœbique sorores;
  Et doctæ quidquid Pallados ora sonant.
O ego tunc quantis assurgam fluctibus ingens,
  Arduus ut cœlo cornua summa feram!
Creta Jovem jactet, Latonæ pignora Delos;
  Accoltus longum littora nostra colat.
Hactenus Eridanus, faciles quæ dicta puellæ
  Certatim densis plausibus excipiunt.
Ipse pater leni compescens murmure fluctus,
  Cærula pacatis marmora findit aquis.
Fortunate, tuos jam tum præsensit honores,
  Flammatum ablueret cum Phaetonta Padus.
At mihi jucundæ perstent si tempora vitæ,
  Abstineantque avidas invida fata manus:
Qualis apis, verni species cùm temporis egit
  Trans pontum, celeri frigore pulsa fugâ,
Crura thymo redolens, florum per summa vagatur,
  Compleat ut dulces, cerea texta, favos.
Talis ego Aoniis Musarum operatus in antris,
  Intexam chartis te Benedicte meis.
Quod si me tenebris suprema obduxerit hora,
  Et mutos cineres flebilis urna teget.
Laudibus ipse tuis felix, ævoque fruare;
  Et Pylii superes stamina lenta senis.
Nostraque præteriens magnus dic busta sacerdos:
  Huic misero fatum sors mea dira fuit.

*Ad Beatricem Hispanam.*

Quid fles abscissi toties dispendia crinis,
  Qui tibi mox circum longiùs ora fluet?
Ista iterum fusos argentea colla capillos
  Accipient; reduces, nec mora longa, dabit.

Interea nitidos fletu corrumpere ocellos
  Desine, & aureolis, lux mea, parce genis,
Non deerunt laquei, miseros queis perdere amantes
  Possis, & vinctos in tua jura trahas.
Tam male non tibi sic es fortasse Beatrix,
  Crinibus ut tantum posse placere putes?
Semper erit, nostris cur sis prælata puellis:
  Mille tibi caussæ, mille decenter erunt.
Ipse aderam, exuvias capitis cùm stringeret ægræ
  Dira manus, ferro demeteretque comam.
Aurea cæsarie terram spargebat, & ille,
  Qui poterat Phœbi colla decere, nitor.
Dicebam mecum: tali se Juppiter imbre
  Optatum Danaës contulit in gremium.
Tum cordis subiit, fulvo quod vertice captum
  Sævus Amor densis crinibus implicuit.
Accessi quæsitum amens, si forte rediret,
  Arctiùs at miserum detinuere oculi.
Cùm tibi non desint tot retia culta Beatrix,
  Invidiam superis parce movere Deis.
Et mecum abreptos potius tu collige crines:
  Vernabant capiti qui modò, pulchra, tuo.
Et venerare Deum, medicæ qui præsidet arti,
  Castaque cum multâ carmina funde prece:
Primitiasque offer capitis, dabit ille fluentes,
  Illudant quæ humeris, involitentque comas.
Tunc levi inveniens molles in fronte capillos,
  Vix cupies tantis non caruisse malis.
Ergo iterum Phœbo sparges radiantia fila,
  Apta novum Solis vincere fila jubar.
Atque iterum accensis flavescet crinibus æquor,
  Et capiti raptæ restituentur opes.
Sic viduata stupet frondator vimina silvis,
  Tam citò florentes explicuisse comas.
Sufficiunt sic prata novos in serta colores:
  Vidimus hybernâ quæ violata nive.
O tibi tum quales vario de flore corollæ
  Ornabunt postes, Phœbe superbe, tuos!

Ipse ego votivam mactabo rite juvencam,
Et spargam violâ versicolore solum.
Atque addam inscriptam tali mox carmine laurum,
Obtendat templi quæ tibi sacra fores:
Formosæ optatos crines quod Phœbe puellæ
Restituis, laurum hanc dedicat illa tibi.
Nos viridem interea juvet exercere juventam,
Non intellecto dum fugit hora pede.

## *In Paulum III. Pont. Max.*

Adspice dum rapidis sæpit fervoribus æquor;
Ut medio fregit se calor ipse die.
Ut molles spirant Zephyris felicibus auræ,
Dulcius & solito murmurat omne nemus:
Utque sui oblitus, flammis quæ exusserat ante,
Jam reficit pulsâ Serrius arva siti.
Ipse pater dempto tandem luctamine Tibris
Labitur, & placidâ se trahit amnis aquâ:
Et quà vix ulli poterant procedere remi,
Transvolitat nullo remige nixa ratis.
Quin mihi, quæ toto Musas Helicone cienti
Vix poterant justis verba coïre modis;
In versum conjecta fluunt, subitoque calore,
Non accersito cuncta nitore cadunt.
Scilicet ipsa parens rerumque & provida fati,
Venturæ pacis omina certa dedit.
Dii Latias tutantur opes, & præside Paullo
Despicit hostiles Itala terra minas.
Non ille æstivumque canem, non torrida Cancri
Sidera, non longas extimuitque vias.
Dura nec infirmæ properant dum fata senectæ,
Invitum longâ detinuere mora.
Sed tandem diris confectum ut cladibus orbem
Sublevet, & certâ fœdera jungat ope;
Non piget ignotis vitam traducere terris,
Aut trabe pistosum sollicitare fretum.

Dant cædes, dant bella locum, positoque flagello
Bellona invisæ commoda Pacis amat.
Et quocumque caput canis venerabile profert,
Candida pone subit, subsequiturque Quies.
Nempe erat hoc, totâ nuper quod Juppiter urbe
Intonuit lævum, certaque signa dedit,
Et Capitolinas jaculatus fulmine sedes,
Devovit telis bella cruenta suis.
Divinam agnovit vocem monitusque Deorum,
Mente homines Paulus quâ super unus abit.
Moxque Deo plenus, cunctis retinentibus, urbis
Sustinuit lacrimas posse videre suæ.
Visendi studio concurrunt undique gentes;
Exoptat reditus & sibi quisque bonos.
Utque aliquis fervet, nullis non fluctibus illum
Objectare sacrum, ferentque, timentque caput.
Quodque senex obeat tantum telluris, honorum
Decernunt omnes huic meritò titulos.
Lætus Alexander, magnæ spes altera Romæ,
Ad latus it tanto conspiciendus avo.
Et cunctos inter sidus juvenile refulget;
Qualis ab æquoreis Lucifer ardet aquis.
Contudit ista truces animos clementia regum.
Et tardat promptas ad fera bella manus.
Hinc tantum veneratu virum gens effera quæque
Admitti ad sacros orat, avetque pedes.
Hinc prono exposcit pacem diademate Gallus:
Hinc ferrum in sævos vertis libere Scythas.
Vos, quibus est odium, vallum gestare, sudemque,
Et galeâ nitidam sumere fontis aquam:
Longinquis voti compos dum Paulus ab oris
Optatos vultus, oraque sacra refert;
Dicere jam reduci meritas accingite laudes;
Nomen & absentis concelebrasse juvet.
Perque vias turis passim incendantur honores,
Et velent sanctos florida serta focos;
Exhilarentque dapes, & vina liquentia mensas,
Nec renuat festâ quisque madere die.

In

Inque orbem cyathos referens, non lentus minister,
  Fac pariter. Paullum densa corona sonet.
Huc ades afflictis spes ô fidissima rebus.
  Uno quo fulta est publica causa duce:
Vindice quo firmis tandem radicibus hærens,
  Libertas magno parta labore viget.
Quàm bene, te invitâ nuper cùm mitteret urbe,
  Arces respexit Juppiter ipse suas.
Jungite jam tauros pueri, atque incumbite aratris:
  Lætaque mollito credite farra solo.
Jucundamque simul palis adjungite vitem,
  Unde etiam nato serior umbra cadat.
Occupet hostiles vicino milite campos
  Squalor, & abducto vomere cesset humus.
Et quem Turca ferox nobis injecerat, illis
  Nunc regerant tristem classica pulsa metum.
Illi ferratos duris incudibus enses
  Procûdat rrlsti sedulus arte faber;
At nobis placeatque bidens, vomisque probetur,
  Et pastorali fistula facta modo.
Tum circum innumerâ florescant oppida pube:
  Insanus ferri quam viduarat amor.
Dii modò felices annos, & candida Paulo
  Dispensent largâ stamina ducta colo:
Ut toto, demum felix Oriente subacto,
  Quæ facit ipse aliis, otia longa terat.

*Ad Benedictum Accoltum.*

Ecquid (sepositis dum te juvat optime curis
  Hadriacis vitam ducere littoribus.
Et Venetos spectas patres, ausamque superbis
  Stare urbem æternum fluctibus arte notas)
Impositas septem suspiras collibus arces,
  Et quæ te ereptum mœnia celsa gemunt?
Illis vel potius doctas componis Athenas;
  Quæ quondam toto jura dedere mari?

Ro-

Romanæ aut relègens prisca exemplaria linguæ,
Cum magno confers jam Cicerone pedem?
Quidquid agas Accolte, simul mens nostra vagatur,
Observatque tuos, subsequiturque pedes.
Et quo tu veheris, vehitur fidissima lembo,
Nec tecum liquidas pernegat ire vias.
Ipse mihi videor nunc te tua fata loquentem
Audire, & casus nunc quoque flere tuos.
Et meminisse, olim quàm forti pectore diros
Fulminis afflatus, contuderisque minas.
Territus utque Marî divino est Cimber ab ore,
Sic Quæsitorem te extimuisse tuum.
Nunc pendêre iterum videor scribentis ab ore,
Et bibulâ dulces imbibere aure modos.
Quos circum exciti ludant delphines in orbem,
Et Phorci assultet curva per antra chorus.
Anne ego, subductis vitæ rationibus, amens
Accolti potero non meminisse mei?
Cujus opem expertus toties melioribus annis,
Fortunæ potui temnere tela meæ.
Ah potius peream, tali quàm crimine turpis
Arguar, & firmâ non puter esse fide.
Te nostræ referent vivaci carmine Musæ:
Ni mi sæva nimis fata fuisse velint.
Tertia nam misero jampridem ducitur æstas,
Ex quo me morbi vis fera corripuit.
Quam lectæ nequeunt, succisve potentibus herbæ
Pellere, nec magico saga ministerio.
Vecta nec ipsa Indis nuper felicibus arbor.
Una tot humanis usibus apta, juvat.
Decolor ille meus toto jam corpore sanguis
Aruit, & solitus deserit ora nitor.
Quæ si forte modis spectes pallentia miris,
Esse alium, quam me, tu Benedicte, putes.
Quid referam, somni ductas sine munere noctes,
Fugerit utque omnis lumina nostra sopor?
Et toties haustum frustra Cereale papaver,
Misceri & medicâ quidquid ab arte solet?

Se-

Sævit atrox morbi rabies, tenerisque medullis
  Hæret, & exhaustis ossibus ossa vorat.
Haud aliâ Alcid[illegible] confectum clade superbum,
  Oetæo memorant procubuisse jugo.
Illi Nessæo vestis conspersa veneno
  Hæsit dira humeris, intepuitque sinu.
Forte Jovi patrias votum sacrarat ad aras,
  Extaque jam flammis impositurus erat.
Abdita cùm tabes miseros depascitur artus;
  Et premit indomitus fortia membra dolor.
Qualis ad Apidanum choreis exercita Mænas
  Errat, & in molli gramine fessa cadit.
Oechaliæ talis domitor, Jovis inclita proles,
  Concidit, & tristes dat sine mente sonos.
Nunc ferus exoritur, sævo nunc frena dolori
  Laxat, & ipsa jecur vis generosa petit.
Ah quoties nullo cernens se robore fultum,
  Atque lacertorum disperiisse toros.
Ingemit; eque imo vellens suspiria corde
  Sæpius hæc secum tristia verba refert.
Hæ ne manus raptumque altè, vinclisque petitum,
  Tartareum quondam perdomuere canem?
Et toties leto sternendam viribus anguem
  Frangere Lernæam non timuere suis?
Brachia Centauros nostra hæc pressere furentes,
  Pocula cùm fervens vertit in arma Pholus.
Quæ si forte humeris, heu, nunc spectentur ab istis:
  Fulta olim nisu quis putet astra meo?
Scilicet una Oenei vecors me me edita partu
  Perdit, & indignâ perfida peste necat.
Quique steti Nemees monstrum contra, atque Erymanthi
  Pacavi trucibus vix loca tuta feris.
Femineâ absumptus fraude, atque immanibus ausis,
  Uror & ipsa atro viscera felle madent.
Talia commemorans, tantisque doloribus impar,
  Pallenti tristes ore ciet gemitus.
Consilium donec magno capit Hercule dignum,
  Stirpe satum quo mox se probet æthereâ.

Ipse

Ipse pyram properans Oetei in vertice montis
Excitat & mœstâ fronde coronat humum,
Impositusque rogo rapido se destinat igni,
Et tandem cœli, quæ tulit astra petit.
Subdidit aversus flammas Pœantius heros;
Præmia cui fortis tela fuere Dei.
Non tamen est moriens Joles oblitus amorum:
Tantum infixa animo cura Deusque valent.

*Ad Henricum Britanniæ Regem uxoris repudiatæ nomine.*

Scilicet hoc titulis deerat, Rex maxime, nostris,
Conjugio pactam non tenuisse fidem,
Et, quæ non sancti vinxerunt fœdera lecti,
Pellicis indigno posthabuisse toro.
Dii bene, longinquis tantum quod sævus in oris
Aggrederis dirâ conditione nefas,
Hæc semota orbi vasto tibi regna recessu,
Cinctaque dant animos fluctibus arva truces.
Est aliquid, fateor, ventos audire furentes,
Et quæ perpetuò murmura pontus habet,
Larga tui quocunque olim se audacia jactet,
Ingenio similis diceris esse loci.
Non sic Penelopen Ithacâ digressus Ulysses
Abruptè potuit linquere conjugio.
Illum non sævæ mutarunt pocula Circes,
Tristia nec longæ tempora militiæ.
Sed Divûm acceptus mensis, & divite lecto,
Prætulit his vultus, Penelopea, tuos.
Cumque olim posset cœlestia templa tenere;
Maluit optato conjugis ore frui.
Affixam saxis patriam sic maximus heros
( Parva lapis quamvis nil nisi nudus erat. )
Prætulerat cœlo; longis erroribus actus,
Ut posset casto membra levare toro.
At mihi nescio quæ titulis non æqua maritis,
Subducit lecti dulcia vincla mei:

Possi-

Possidet & stupro dotalia regna nefando,
Et gerit in gremio commoda nostra suo.
Tu tamen hanc falso prætexens nomine culpam,
Jam famæ narras consuluisse tuæ.
Et fratris mihi sæpe torum, tædasque priores
Obiicis, & vani nomina conjugii.
Cui quondam primis fueram desponsa Hymenæis,
Concordi heu nimium nupta futura domo.
Invidere meis contraria numina votis,
Numina ad humanas semper avara preces.
Nam ruit ad tædas properans dum læta juventus,
Araque Corycio fulget odora croco,
Illibata tibi linquens sua gaudia, manes
Ante diem indigno funere mersus adit.
Sic fratri frater, sic tædis impia flamma,
Sicque toro obrepsit igne micante rogus.
Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,
Si speras tantum posse latere scelus.
Arbiter ipse orbis Clemens, quo sospite terris
Pax viget, & sancto reddita jura foro.
Criminis admonitus tanti, crudelia dixit
Vota foves nostro terra aliena solo.
Priscorum & volvens veneranda volumina patrum
Subscripsit causæ Maximus ille meæ.
Perge pater, sanctique pius defende pudoris
Vincula, non ulli dissoluenda viro.
Ipse Deûm genitorque, & rerum summa potestas,
Cujus finitimum crederis esse caput,
Hoc ipsum ut strueret, tædas celebrasse jugales
Dicitur, & pictis accubuisse toris;
Pocula cùm pingui mutans Acheloïa musto,
Cessit ab humanâ conditione procul,
Scilicet has leges, æternaque fœdera sanxit,
Antiquata meo ut conjuge nulla forent?
Et quæ compositis laudaverit ipse libellis,
Improbet inconstans, dissimilisque sui?
Illuvies Germana tumet, neu cede furori,
Cui, per quem perijs, surgere posse licet.

At

At non ipsa fori discrimina sæva recuso:
Judicis innocuus non timet ora pudor.
Non ego sortitus vereor, non ferrea jura;
Te Quæsitorem mi licet urna ferat.
Sed tibi nullus adest æquus, te judice, judex,
Et præjudicio concidis ipse tuo.
Posterior caussâ sic me jam sæpe priorem
Arguis; atque artes, deficiuntque doli.
Ipsæ etiam, quæ te circumstant, perfide gentes,
Et populi, latâ quos ditione premis,
Libera si detur tantum nunc copia fandi;
Te memorant fractam conscelerasse fidem.
Atque odiis forsan consurgant undique justis,
Hisque tuis animis præmia digna ferant.
Diraque devotum poscant ad prœlia regem.
Aut celeres properent in tua fata manus.
At tu quam præfers, sævo male saucius arcu,
Dum censes animo cuncta licere tuo?
Nempe illam, nostros quæ comere sueta capillos,
Sæpius abrepto vulnera sensit acu.
Quæ nobis toties liquidis vestigia lymphis
Permulsit, durâ nec satis apta manu.
Credita cui fuerat lecti custodia nostri,
Cùm te non puduit dicier esse meum.
Forsitan hic referas veteres Briseidos ignes,
Et Telamoniadæ corda subacta ducis.
Thessalus ast formâ Briseidos arsit Achilles,
Et Tecmessa toro principe digna fuit.
Altera divini numeris insignis Homeri,
Nota Sophocleis altera carminibus.
Nunc te quæ moveat facies, quæ gloria morum,
Dispeream, si tu dicere sæve potes.
Sæpe tamen cur sim tibi idonea visa, requiro,
Quàm duris perstes ludificasse modis.
Dumque memor repeto priscorum nomina avorum,
Vix capiunt magnos atria longa duces.
Cæsare nil majus dederant pia Numina terris:
Huic tamen è nostro est sanguine ductus honos.

Quid

Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortum?
  Aut jactem antiquæ nomina clara domus?
Una mihi mater titulos Isabella, genusque
  Una parit; ceras implet & una graves.
Quæ quondam calathos, telasque exosa Minervæ,
  Martia femineâ sustulit arma manu.
Moxque suâ fractos sensit sub cuspide reges,
  Cæsaque captivos terga dedisse viros.
Exuviis hinc aucta novis, hinc aucta triumphis,
  Addidit imperio sceptra superba suo;
Enectæ donec cœli super ardua virtus
  Condidit in victo parta sepulchra solo.
Testis Anas, Sicorisque, vago quà prænatat alveo
  Terra potens: fulvi testis & unda Tagi.
I nunc, atque tuos nostris componere reges
  Aude: compositis femina major erit.
Imparibus ne forte ferox te in fœdera vinclis
  Deceptum quondam nostra venire putes.
Ire per æternos placuit mihi Martis honores;
  Sim licet ipsa uno Cæsare fulta satis.
Qui tamen es tu, quem nostri sic pœnitet oris,
  Congressu ut perstes abstinuisse meo?
Reginam thalamis qui sic excludis? & ipsa
  Connubii exagitas jura, fidemque premis?
Tecum ego florentes potero sic turpiter annos
  Exegisse, doli nec meminisse tui?
Aut ego te in castum polluto corpore florem
  Invasisse viri nomine sustineam.
Pellicis ut vano tandem correptus amore
  Exultes spoliis, impie, virgineis?
Ipsaque cæruleis sim fabula nota Britannis,
  Et vivo vivens sic ferar orba viro.
O mihi terra satis quænam nunc ima dehiscat:
  Quodque petat summâ hoc fulmen ab arce caput!
Debueram natæ jugulo demissa cruoris
  Flumina luminibus supposuisse tuis.
Et patriis artus sparsos apponere mensis,
  Obiicere & sævis viscera nostra lupis.

Sed,

Sed, quæ nulla tibi eſt, pietas crudelibus auſis
Obſtitit, & ſævum dextra refugit opus.
Veſtra decent tales animorum pectora motus:
Conveniens noſtro eſt mitior ira ſolo.
Hæc potius vivat, plenis & nubilis annis
Matris ad exemplum nubere cauta neget.
Nata vides patriis genitor te pellere regnis
Nititur: unde gravis ſit tibi juſta nota.
Et matrem fraudare toro, juſtiſque Hymenæis,
Heu, nimium turpi victus amore, parat.
Si tamen hic poſitis miteſcat litibus olim,
Sævaque det rapidis vota ferenda Notis.
Sola tibi, & tantis ſervatis ſedibus heres
Suſcipias tenera ſceptra regenda manu.
Tu faciles ſine lite toros, ſine lite Hymenæos,
Perpetuo ſummum carmine poſce Jovem.
Maternumque animo repetens perſæpe dolorem,
In noſtro diſcas cuncta timere malo.
Tiſiphone crinem brevibus redimita colubris
Intulit ardentes in mea damna faces.
Obſcœnum & carmen diro ingeminans ululatu,
Triſtia connubiis omina fudit avis.
Ipſa ſacros ignes devovit pronuba Juno:
Et mihi fœdifraga eſt zona ſoluta manu.
Veſtra tamen Superi ſi numina læſa repoſcunt
Errorum pœnas, ſupplicibuſque favent;
Hæc loca vi quondam Cæſar populatus, & igni,
Sæva jugum doceat æquora veſtra pati.
Quodque olim potuere Dei tela horrida Juli,
Dum furit, & medio fulminat ille mari.
Cæruleo oſtendas fruſtra vos ſidere ponto,
Lataque nequicquam fluctibus arva regi.
Cæſaris iſta horrent etiam nunc litora nomen,
Quo duce, ni fallor, bis potuere capi.
Ille ſibi objectas auſus tranſcendere moles
Intentata prius per vada fecit iter.
Et male defenſas in prædam fervidus arces
Vertit, & obſtantes milite fregit opes.

Sic ventos ſprevit virtus Romana furentes,
Et greſſum ignotis intulit æquoribus.
At precibus ſi quis ſupereſt locus, & tua poſſunt
Inflecti blandis pectora dura ſonis.
Dejectas hinc natam oculos, hinc aſpice matrem,
Nec pigeat tantis ingemuiſſe malis.
Æternum ſic læta viris, ſic læta puellis,
Tellus ſubjecto floreat iſta mari:
Et mala cuncta ferant per terras irrita venti,
Deprompſit læſo quæ mihi corde dolor.
Quod ſi ſola tuo videor non digna cubili,
Et triſti perſtas vivere diſſidio.
Nec te jura movent, precibus nec flecteris ullis,
Nec furiis obſtat filia parva tuis.
Me duce læta tuæ mittantur nuntia genti:
Henricum titulum mortis habere meæ.
Sedibus utque tuus genitor geſtire ſub imis
Poſſit, deque tuis ſurgere nominibus.
Audiat uxoris ſpoliis, & cæde ſuperbum,
Pellicis indigno colla dediſſe jugo.
Vos verò ultrices mecum properate ſorores,
Et miſerum diris pellite imaginibus.
Ut neque jam dulci declinet lumina ſomno,
Nec valeat ſanæ mentis habere modum.
Sed flammis cinctæ, quoquo veſtigia vertet,
Illuc Tartareâ lumina ferte face.

*Ad ſodalem, in morbo mortifero.*

Ultima jam properant, video, mea fata, Sodales,
Meque ævi metas jam tetigiſſe monent.
Si foret hic certis morbus ſanabilis herbis,
Senſiſſem medicæ jam miſer artis opem.
Si lacrimis, veſtrum quis me non luxit? & ultrò
Languentem toties non miſeratus abit?
Obſtruxere aures noſtris contraria votis
Numina, & hæc ventos irrita ferre jubent.

Vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant,
Ultima jam cineri dona parate meo.
Vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris,
Ignara heu nostri funeris, uxor abest.
Uxor abest, nostrique diu studiosa videndi
Pro reditu patriis dona vovet Laribus.
Hæc potuit præsens, nato comitata, feretrum
Floribus, & multâ composuisse rosâ.
Et nivei lactis fontes libasse, merique,
Conjugis ut manes spargere mœsta queat.
At, qui me extremâ compellet voce sodalem,
Et claudat tenerâ lumina nostra manu,
Et fugientem animam supremâ exceperit horâ;
Hoc vos communi pro pietate rogo.
Non operosa peto titulos mihi marmora ponant,
Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus:
Exceptet gremio quæ mox placidissima tellus,
Immites possint ne nocuisse feræ.
Rivulus hæc circum dissectus obambulet, unda
Clivoso qualis tramite ducta sonat.
Exiguis stet cæsa notis super ossa sepulta,
Nomen & his servet parva tabella meum:
Hic jacet ante annos crudeli tabe peremptus
Molsa, ter injecto pulvere, pastor abi.
Forsitan in putrem longo post tempore glebam
Vertar, & hæc flores induet urna novos.
Populus aut potius abruptis artubus alba
Formosâ exurgam conspicienda comâ.
Quidquid ero, vestra hæc pariter descendet in imam
Tellurem pietas, Elysiumque nemus.
Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
Ingruat, & virides explicet alta comas;
Quæ circum nitidis, æstus dum sævit, obumbret
Frondibus, & scissam tegmine opacet humum;
Jam mihi pyramides, regum monimenta, valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet.
Scilicet huc, diti pecoris comitata magistro,
Conveniet festo pulchra puella die,

Quæ

Quæ molles ducet choreas, & veste recincta
 Ad certos norit membra movere modos.
Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum
 Hic aliquis flavo cum Corydone Mycon;
Et cantare pares, & respondere parati,
 Alternis certent vincere carminibus.
Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum
 Me gemat, & lacrimis polluat ora piis.
Ac misero instauret funus, sternatque sepulchrum
 Floribus, & nomen tollat ad astra meum.
Et dulci referat Musarum ut captus amore
 Sustinui patriæ linquere tecta puer.
Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,
 Regales potui deseruisse domos:
Utque sub umbrosæ quercus, platanique virentis
 Maluerim densâ delituisse comâ
Quàm Tyriâ pictum chlamyde, auroque intertextum
 Captatis vulgi plausibus urbe vehi.
Tum faciles memoret mores, & pariter acta
 Percurrat vitæ tempora quæque meæ.
Non ego I.... volvens monimenta, nefandis
 G.... populos ritibus implicui.
Non mea mortiferos porxit tibi dextera succos
 Hippolyte, Ausonii flenda ruina soli.
Auspicio externas cujus tandem Itala tellus
 Abjectas Medicâ cuspide sensit opes.
Te rigidi stupuere Getæ, Rhenusque bicornis,
 Et tremuit famulis frigidus Ister aquis.
Miles ab Eoo veniens cum littore Nili
 Ingemuit latebras tam procul esse tibi.
Ultorem nobis talem tete affore, pensa
 Ferrea quæ ducunt, præmonuere Deæ.
Sed tantum terris, quis te ostensura putasset,
 Numina, tamque brevi tot peritura bona?
Itala res tecum periit, tecum Itala virtus,
 O nimis immiti stamina rupta manu!
Cuncta ego quæ Latii dulces vulgare per oras
 Dum propero, & laudes dicere, Magne, tuas;

Ante diem Elysios cogor cognoscere campos,
  Implet odoratum quà pia turba nemus.
Illic ne incertâ ludar regione viarum,
  Occurras vati nobilis umbra tuo.
Et myrto cinctum caput, aut Daphneide fronde,
  In tibi vicino me velit esse loco.
Interea dulces cœtus valeatis amici,
  Jam vocat in nigros mors tenebrosa lacus,
Increpitatque moras Lethææ portitor undæ,
  Et remi auditus per loca secta fragor.
Dii tamen in melius vertant hæc omina, si quem
  Humanis precibus non pudet esse locum.

*In discessu Turcarum ex Italia.*

Excessere truces Italo de littore Turcæ,
  Ver'aque præcipiti terga dedere fugæ.
Qui modò trajecto numerosâ classe profundo,
  Vastabant fines, Appula terra, tuos.
Quo terrore omnis trepidavit ab Alpibus usque
  Ad Superum, infernumque Ausonis ora mare.
Tuque elate jugis pater Apennine nivosis,
  Nutasti, & trepido territus amne Padus.
Sed vani cecidere metus; audacia cessit
  Hostibus, & sævas deposuere minas.
Nam simul Austriades invicto milite Cæsar
  Explicuit, vires opposuitque suas,
Selectasque acies Italorum, & robur Iberum,
  Et trepidis numen rebus, opemque tulit,
Excessere truces Italo de littore Turcæ,
  Versaque præcipiti terga dedere fugæ,
Qui modò Romanamque urbem delere parabant,
  Barbaraque in Latio ponere castra solo.
Non expectatâ petierunt æquora pugnâ,
  Versaque præcipiti terga dedere fugæ.
Utque olim vasti calcator Persa profundi
  Amissâ trepidum classe relegit iter.

Haud

Haud secus ex Italo cedentes littore Turcæ,
Perculsi fœdo vilia corda metu.
Vela Noto, remos undis, cœpta irrita ventis,
Versaque præcipiti terga dedere fugæ.

*Ad Herculem Ducem Ferrariæ IV.*

Otia Musarum sacris, & Apolline digna
Quærebam curis liber, & urbe procul.
Et nunc quà gelidis immurmurat aura viretis
Errabam tacito per loca sola pede.
Nunc nemorum exceptus dorso, & viridantibus umbris,
Pergebam Aonios lassus inire choros.
Hinc magnum Alciden victuris condere chartis
Mens erat; & summi facta referre Ducis.
Scilicet ut puero Phœbi chorus adstitit omnis,
Ad cunas primos dum ciet ore modos.
Eulserunt nitidis circum plectra aurea gemmis,
Et dulces cantus Calliopea dedit.
Divinum ambrosiæ Charites sparsere liquorem,
Quo languor teneris artubus omnis abit.
Ecce tibi Superos inter lis orta repente est,
Munera quis puero nobiliora ferat.
Ipsa oculis Cytherea novum mellita decorem
Afflat, & insolitum spargit in ora decus.
Mars pater immensum robur venientibus annis
Spondet, & invictas ad fera bella manus.
Regna Deûm genitor, rapido quæ intersecat amne
Hinc Padus, & tumidis alluit auctus aquis,
Hinc sale Thyrrheno clauduntur plurima, at illinc
Hadriacis latè fluctibus icta sonant.
In medio Eridiani surgit Ferraria ad undas,
Aureaque invictum tollit ad astra caput.
Qualis septa ardet baccâ Gangetide gemma,
Atque puellares nectit honore comas:
Talis culta inter vicinas enitet urbes
Clara hominum ingeniis, semideumque domus.

Quamvis nulla queat, non ipse excindere ferro
Juppiter, adversum si ferat arma, Deus.
Quin & avis atavisque potens, & sanguine Ibero
Mista Deûm soboles, id mihi carmen erat.
Externique iterum thalami, queis Regia conjux
Gaudet, & Herculeum suscitat alma genus.
At mihi livor edax Musarum sacra ferenti
Obstitit, & cœptum linquere jussit opus.
Ignotas subitò Nymphæ petiere latebras
Et flentem Phœbus deserit ipse pater.
Nil nemóra aut saltus miserum juvere, latentem
Invenit, effuso cuncta labore cadunt.
Quid referam obscœnos vultus, quid sanguine fœdo
Suffectos visus, quos meminisse piget?
Canities inculta genas, color obsidet ora
Buxeus, auratâ pallidior statuâ.
Hoc ego nocte satas monstrum exhorrere sorores
Crediderim, & siquid tristis Orcus alit.
Tu mihi seu fessis Italum succurrere rebus,
Seu perstas regnis consuluisse tuis.
Ausoniæ columen quo nunc Ferraria gaudet
Principe, & irati vix timet arma Jovis:
Huic monstro occurras pernix, & vindice dextrâ
Fac Stygios repetat, te feriente, lacus.
Herculeâ lætere diu sic optime fronde.
Æternum, terror hostibus unde cadat,
Sicque tibi placido delapsus in æquora cursu
Eridanus famulis littora pulset aquis.
Abstineat nostros olim si invadere fines
Pestis, & hæc telis concidat icta tuis;
Non mihi te potior fuerit Jove natus ab ipso
Alcides, cœli fulserit astra licet.
Straverit aut dirum Nemees sub rupe leonem,
Traxerit & Stygium cæca per antra canem.
Sævius his quando monstrum est, quo jactor, opemque
Numinis imploro terque quaterque tui.

### Ad Venerem.

Alma Venus, frondosa colis seu littora Cypri,
Seu petis Idalii florida culta soli.
Si te sique tuum colui, mea Numina, natum,
Deque meo vobis carmine venit honor:
Adsis, & teneræ senium defende puellæ,
Et quæ damna feret serior hora vetа.
Venit ad extremi (heu facimus) jam tempora veris
Hæc mihi non vano nomine dicta Dryas.
Tu domine, tu Diva precor, per si qua salutis
Est tibi cura meæ; protinus affer opem.
Scis Dea, cum libeat Divos exurere, ut hujus
Accendas nitidis lampadas ex oculis.
Sentiat illa prius raptæ dispendia formæ,
Cui riget in gelido pectore dura silex.
Cedere quæ nescit lacrimis, precibusque moveri,
Ingenti pretio cui placet emta Venus;
Huic macies niveos deformet turpiter artus,
Occupet & roseas ruga, situsque genas.
At mea perpetuo lætetur vere puella,
Quam tantum pietas quam benefacta juvant.
Illa quidem vatum observat pia numina Musas,
Et cupit ut de se fama loquatur anus.
Muneribusque sacros novit præferre Poëtas,
Poscit amatorem nec gravis ære suum.
Ergo fluant molles humeris volitentque capilli,
Stillet & Assyrio myrtea rore coma.
Nulla queat nitidam labes corrumpere frontem,
Neve mihi tantis sit superesse malis.
Neu videam obscuras oculos inducere nubes,
Neu sparsa indignis candida colla notis.
Quid precor ah demens? venti temeraria jactant
Vota: Venus nostras negligit ipsa preces.
Jam cedit niveo tam grata è corpore forma,
Jam jam puniceus deserit ora color,

*De Arce Capitolinâ, tactâ de cœlo, ad Paulum III. Pont. Max.*

Nuper Tarpejas repetitis ictibus arces;
  Impulit ardenti quod pater ipse manu;
Quodque idem mediâ nimborum in nocte refulsit
  Stellarum cinctus, conspicuusque choro;
Et tibi quod flagrans pinus mole excidit altâ,
  Hæc quoque nocturnis ignibus usta Jovis:
Paule, tibi optatam portendunt Numina pacem,
  Adventum magnæ testificata Deæ.
Sume animos: pacata secas pater æquora: malo
  Nil opus est, tutâ nat tibi puppis aquâ.

*Ad Dianam.*

Delia, quam sicco properans canit ore viator,
  Et minuit longæ tædia mille viæ,
Dum patrias repetit sedes formosus Alexis,
  Adspires placido numine Diva precor.
Neve illi molles urantur sole capilli,
  Detrahat aut solitum pulvis & ipse decus;
Ambrosiæ exudes tenui pro rore liquorem,
  Quo matutinum te duce carpat iter.

*Ad Solem.*

Sol pater, ætherea cujus sub lampade fœtus
  Concipit, & varias terra ministrat opes.
In virides cernis quæ jam procumbere ramos
  Poma diu, & curvo stipite nixa geri.
Pulcher Alexis abest patriis dum longiùs oris,
  Illi pendebunt sepibus ista suis.
Tu face ne nimio tandem violentus ab æstu,
  Neu rapido ad terram frigore lapsa cadant.

Ad

*Ad Cererem.*

Hæc tibi, magna Ceres, Daphnis jam messe peractâ
Affixit foribus spicea dona tuis.
Tu, Deâ, fac illi jacto de semine rursus
Falcem hebetent valida gramina secta manu.

*De Virgilio.*

Hos Musis in serta Maro fragrantia flores
Dedicat, & dulcis pocula bina meri.
Quas olim faciles, primis expertus ab annis,
Hybla tuum vatem vicit, & Afora tuum.
Nunc magni redit exuvias indutus Homeri:
Vos triplici heroi cingite fronde comam.
Este Deæ memores vestris ut maximus olim
Consiliis Grajas fregerit unus opes.

*De Farnesio.*

Cæsaris excitus lacrimis Farnesius heros
Cùm modò mutatis inveheretur equis;
Atque illam afferret speciem, qui maximus orbi
Præsidet, & terras numine replet avus;
Obstupuit gemino perculsus nomine Iberus
Et secum hos rauco mox dedit ore sonos:
Parce, minus Cæsar, sua nos si incommoda tangunt;
Queis tam præsentis cernimus ora Dei.

*De Hippolyto Medice Card.*

Hippolytum Medicâ cernis qui gente viator,
Et juvenem ignotâ veste nitere vides.
Cur ostro tectus non sit, si forte requiris,
Accipe, & hæc placidâ perlege mente precor.
Danubii ad ripas his quondam cultibus acrem
Summovit Turcam finibus Ausoniis:

Ulti-

Ultima Bactra olim viresque Orientis & Indum
In nostrum veheres cum Solimane caput.
Jure igitur sumptis colitur dux maximus armis,
Quorum præsidio libera turba sumus.
Ipsum aliàs decuere sacræ redimicula mitræ,
Et pressit flavas infula pura comas.
Hic diversa novos dispensant tempora cultus:
Tu modò Victorem ter veneratus abi.

*De Cruce Domini.*

Hoc quondam eversum ligno Pater optimus orbem
Sustulit, humanumque restituitque genus:
Ut conspersa Dei sacro Crux alma cruore
Vel magnis possit regibus esse decus.
Sidera fulsit apex, radice in Tartara fertur;
Hoc latus Eoos, hoc fovet Hesperios.
Quisquis es, hanc tecum mortales tolle per undas:
Inscia naufragii ligna trabemque vides.

*De Clemente VII. Pont. Max.*

Sidera dum repetit Clemens, terrisque relictis
In sibi jam parta collocat arce pedem,
Subducunt cœlum nubes, & nocte coorta
Proluvies fœdis imbribus arva premit.
Cæruleus tumido Tiberis caput abdidit alveo,
Et formidatis flumina laxat aquis.
Scilicet & fluvios dolor attigit; ipsaque funus
Certatim ducunt mœsta elementa novum.

*Ad Phœbum.*

Hunc tibi, Phœbe pater, lunata fronte juvencum,
Tibris quà undoso largiùs amne fluit.
Alcimedon jactata altè post terga securi
Mactat, & in sacros porricit exta focos.
Tu si sævitum satis est, & cædis abundè
Pœnarum exsolvit si tibi Roma satis.

Illu-

Illuviem hanc expelle, inimicaque tela retunde,
  Et melius Turcas mitte perire feros.
Qui cinxisse Rhodon perstant nunc fortibus annis
  Dilectam, & cives perdere classe tuos.

### *De Lycoride.*

Alcidæ magni spoliis dum lætus opimis
  Substrata in molli pelle quiescit Amor;
Languenti puero fessos sopor occupat artus,
  Et molles differt aura benigna comas.
Quem temerè inventum spoliis dum forte Lycoris
  Exuit, & rapta lampade culta nitet:
Sæva dolos frustra indomito componis Amori:
  Dixit, & inspectâ saxeus obriguit.

### *De Avalo.*

Eridani in ripis Avalus tibi, Juppiter, alta
  In quercu hostiles dum sacrat exuvias.
Quaque ferox vicit regum ter magne Feretri,
  Suspendit valida dona revulsa manu.
Tu pater ipse tuas spoliis nunc suscipe silvas;
  Nil tibi non victrix jam dabit ista manus.

### *Ad Deliam.*

Argutum inclusi junco tibi, Delia, gryllum,
  Cujus sæpe mihi munere parta quies.
Nam mihi nec somnum veniens cùm duceret Auster,
  Argento vel quæ purior unda gemit;
Hic veterem instaurans propiùs de more querelam
  Plus venti, & lymphæ murmure plus potuit.
Mox etiam majora feres, cùm messe peracta
  Capreolus nostri pignus amoris erit.

De

*De Cardinali Farnesio.*

Farnesi rapidæ, domino venante lacænæ
Commorant celeres per juga summa feras.
Fortè superveniens juveni cùm Delia, dextra
Impubi obstupuit, obstupuitque gena.
Et me quàm Latmi (dixit) nunc pœnitet alti!
Hoc poteram melius Endymione capi.

*De Colotii fonte.*

Quàm bene consurgit virgo in tua tecta, Coloti?
Non alio poterat tutior esse loco.
Jam sua numen habet Nympha; & te præside, Virgo
Incipit Aoniis vatibus esse liquor.

*Ad Carolum V. Imper. de Vulpii Cosmographia.*

Victor Alexander sumptis dum fulminat armis,
Angusto gemuit se nimis orbe premi.
Hoc tu quàm melius! cujus jam sceptra veretur
Hic radii quidquid Vulpius ambit ope.

*De Hippolyto Medici Cardin. ad Phœbum.*

Hippolyto Dictynna feras, Erycina lepores,
Vertice nata artes, dat Jovis uxor opes.
Dat superûm pater ipse togam, dat belliger ensem,
Quo petat in nostros qui feret arma Deos.
Mœnia quo Turcam cingentem Norica flammis
Aversum turpi cogat abire fuga.
Certatim juveni Dii dant sua dona: salutem
Nemo sed affecto, tu nisi Phœbe, dabit.
Quin melius vivo vitam des Phœbe perennem,
Quàm tuus extincto filius ante dedit.
Ille suæ placuit soli solo ore novercæ,
Hic virture placet regibus ac populis.

Nec

Hoc facias Rhodani atque Tagi rogat accola & Istri,
Cujus hic hostili sanguine tinxit aquas.
Hoc Roma, hoc Clemens, cui seu petis ardua, seu tu
Prona premis; toto par nihil orbe vides.

*De Venere marmorea Romæ.*

Candenti expressam saxo, somnoque jacentem,
Quà fluitat queruso garrula lympha pede.
Ut primum agnovit sese Venus aurea; tales
Subridens roseo protulit ore sonos.
Ipsa ego sum fateor duris his cautibus orta:
Nil mihi jam tecum est, æquoris unda; vale.

*De eadem.*

Spiranti ductam spectans se marmore Cypris,
Dispergit rorem quà levis unda sacrum.
Cui nudos, dixit, detexi corporis artus,
Aut cui tantum de me artifici licuit?
Haud alio accubitu visens Amathunta Paphonque,
Crediderim herboso ponere membra solo.
Lumina quæ veritus prudens effingere cœlo est,
Æterni occuluit clausa soporis ope.

*De rostris navalibus in apum alvearia versis.*

Ferrea rostra olim pressis erepta carinis,
Quæ Nili fractas testificantur opes.
Ecce apibus parcis pandas præpandimus aulas:
Congesto redolent (quis putet?) æra thymo.
Cæsaris hæc ingens laus est, quo vindice pacis
Jucundos fructus arma inimica ferunt.

*Ad Jo: Neretium, & Tryphonem Bentium.*

Annus septimus appetit, sodales,
Ex quo munere Tertius Deorum,

Ter-

Terrarum sola Maximus gubernat:
Quo rege ingenuas videtis artes
Antiquam reparasse dignitatem,
Et cunctas solito decore niti.
Multam nos igitur decet salutem
Curis dicere, sensibus receptæ
Si quæ nos stimulant protervìores.
Tum luce omnibus hac bonis cupitâ,
Par est perpetuam madere noctem
Vinoque, illecebrisque diffluentes.
Neretti, propera, novemque Musis
Indicas subitò solutiores
Lusus, quos numeris Tibullianis,
Peligno aut mage condiant lepore.
Tu rorantia largiùs ministres
Benti pocula, providusque sicces,
Quò mox fervidior tumente venâ
Scindas lacteolis superbientem
Mammis jam nimium diu puellam,
Subnixam male viribus genuque.
Forsan me Semeles puer juvabit,
Et fractos miseri fovebit artus.
Quòd tandem ut struerem libens relevi
Omnes (quod potui) meri lagenas.

*Ad Cosmum Ducem Florentiæ.*

Quòd miles modò Marte tuus pugnavit iniquo;
Turpi terga fugæ nec tamen ille dedit.
Sors illud, Virtus dedit hoc, quæ invicta tuorum,
Maxime per te animis usque & ubique nitet.
Sic Lacedæmonii, sic pugnavere Quirites;
Scilicet alta tui sic patris arma monent.

*Ad Pasquinum, in Martem conversum.*

Tunc cùm sola tibi Mavors Cytherea placebat;
Solus eras tanto dignus amore Deæ.

Non

Non erat in cœlo formoſior ulla Dione,
  Nec tibi par Superûm viribus ullus erat.
At nunc Roma tui manibus fundata Quirini
  Mille parit Martes, mille parit Veneres.

*In venuſtam Puellam.*

Quæ miſeros olim ſævis torquebat amantes
  Ignibus, & patriis Graja puella dolis.
Hic molles choreas, teneroſque reponit amores,
  Legibus intactæ vivere certa Deæ.
Sic quondam Phrygiæ victrix in vallibus Idæ,
  Nunc Romæ vero judice victa Venus.

*Ad lacus, ut placidos ſe principi ſuo præbeant.*

Egelidi ſalvete lacus, muſcoque virete,
  Veſtraque ſit puris dulcior unda favis.
Ac veluti inſignit multo vos nomine princeps
  Veſter, ab Eois notus ad Heſperios.
Vos illi tumidos fluctus lenite viciſſim,
  Et blanda errantes pervolet aura rates.
Et facite in veſtris ſi fors piſcabitur undis,
  In jacta ut multus retia piſcis eat.

*Ad Paulum III. Pont. Max.*

Annua jam fuerant Tertî ſolennia & ignes
  Urbs ſeptem extulerat collibus alta ſuis.
Intonat ecce tibi levâ cùm Juppiter arce,
  Et cœlum flammis occupat ætheriis.
Cedite mortales divinis ignibus ignes
  Et ceſſent gemitus æra cieta graves.
Ipſe Deus Paulli ſummos teſtatur honores,
  Emicat, & feſtos curat obitque dies.

In

*In eumdem.*

Accipe decoctas niveis tibi foffibus uvas,
Farcta puellari bina caniftra manu,
Servatafque tuos paulatim conficé in ufus,
Ora ferens dum nos triftia vifit hyems.
Maffaique memor, venientem dicito in annum,
Impleat hæc pinguis vitis amœna latus.
Sic tibi languenti decedat corpore pallor
Buxeus, & falvum jam mea dona petant.

*Epitaphium Lafcaris.*

Lafcaris hic fitus eft Janus, quo fofpite Grajûm
Res olim fractæ non potuere capi.
Hic etenim in Latium dilectas Palladi Athenas
Detulit, & gemino mox dedit ore loqui.
Sæpe etiam Regumque animos, populofque feroces
Cecropio flexit tum fale, tum numeris.
Annofi donec confectum viribus ævi
Exitio obrepens curva fenecta dedit.
Felicem ante omnes, folio qui pulfus avito,
Tam procul hic patriâ contegeretur humo.

*Jovis cum Neptuno expoftulatio, pro periclitante Cæfaris claffe.*

Cæfaris infaufto depreffam fidere claffem
Viderat e fummâ providus arce pater.
Cùm fratrem increpitans mœftis fic vocibus infit,
Subdita quem ponti cærula regna tremunt.
Quid Superûm magnis folus conatibus obftas,
Et perftas fanctum tollere velle caput?
I tandem, & tellus quas non detrectat habenas,
Indomitus quamvis, tu quoque difce pati.

*Ad Cæsarem in mari periclitantem.*

Intactis Libycis nuper quod videris undis
  Ipse tuas vento disperiisse rates.
Ne demitte animos: his, Cæsar, naufragus oris
  Erravit fato Troïus ante pater.
Imperiumque orbis Lavina ad littora vexit,
  Romano ut caderes Aphrica pressa jugo.
Sic tecum hæc istâ quæ nunc luctatur arenâ,
  Fessa dabit victas, sors licet atra, manus.

*De Veneris, relictâ Cypro sedem Venetiis deligente.*

Eductam cœlo mediis è fluctibus urbem
  Dum spectat, conchâ Cypria vecta suâ.
Condita in æternum flectens ad mœnia cursum
  Illo quo flammas ore ministrat, ait.
Sum patriam mentita satis: vos littora Cypri
  Culta olim & nostris apta valete jocis.
Dixit: & infrenes medio in sermone jugales
  Abjungens, Venetis se Dea mersit aquis.

*In Pompeii sepulchrum.*

Dux, Phariâ quamvis jaceas inhumatus arenâ,
  Non ideo fati est sævior ira tui.
Indignum fuerat tellus tibi victa sepulchrum:
  Non decuit cœlo te nisi, Magne, tegi.



# JO: RINALDI MONTORII

*In Othonem Truchses Cardinalem Augustanum.*

DUcis ab Imperio genus alto ſanguine natus,
At majus Virtus præbuit Imperium.
Tu ſplendor patriæ, cuſtos fidiſſimus urbis
Auguſtæ; unde etiam nobile nomen habes.
Et te patronum oſtentat Germania firmum;
Præfectum jactant te quoque Vindelici.
Sublimes ſervas Præneſtis Epiſcopus arces,
Quas eſt molitus Cæculus igne fatus.
Coccineumque tuum miratur Roma galerum,
Quam benè, quam meritò tempora cana tegat.
Gloria tu Latii: legatum plurima Mundi
Pars novit: terræ, notaque fama polo.
Unum deeſt, quo ſis ex omni parte beatus,
Te colat ut ſanctum quælibet ora Patrem.



FRAN-



# FRANCISCI MORANDI


## SIRENÆ.



*De Francisco Duodo Venetæ classis Præf.*

DUodus ob innumeros nequicquam territus hostes,
Primus in adversos arma animosque parat.
Primus ab arce ratis vastæ nova fulmina torquens,
Barbarico tingi sanguine vidit aquas.
Primus membra feræ gentis disiecit in auras,
Membra, avidum Protei mox alitura pecus.
Primus cæde, metu, flammis, fremitu omnia complet,
Quo socia est majus robur adepta manus.
Primus ut ancipiti in pugna superavimus, egit.
Quid? Duodi nunc stat res Veneta omnis ope.
Cur igitur non prima ambit præconia? mavult
Factis, quam fictis laudibus esse prior.





# JOANNIS MOTIÆ NEAPOLITANI.



## *Ad Petrum Bonihominis de Aversa.*

LÆta dies externa fuit, memorandaque semper,
Qua mihi perspicuum licuit te cernere coram;
Sed nox læta magis, qua dextram jungere dextræ
Fas fuit, & tecum dulci sermone foveri,
Me, quem cœna tibi dederat jocunda sodalem;
Nec tibi ficta loquor, nec blanda, vir optime; verum
Vera loquor; non ipse prius tua lumina vidi,
Nec prius ore tuo vox excidit ulla benigno,
Quàm citius surrexit amor compagine prompta
Dulcis amicitiæ, nobiscum fœdera jungens.
Tu licet indignum non asperneris amicum,
Petre, precor, tibi namque licet: dignissima virtus
Non jungat me, jungit amor, qui jungere magnis
Exiguos plerumque solet; vis maxima cujus
Cuncta regit. Sed forte modum transcendo loquendi.
Fortassis jam tempus adest, ut epistola finem
Sumat, & ore tenus tecum quid fando reservem:
Petre vale, memorisque tui, memor esto Joannis.



# JO: THOMÆ MUSCONII
## SONCINATIS.

*Ad Hermetem Stampam II. Marchionem.*

HAnc tibi in Amineo decoxit palmite fervens
 Julius; unde trahit nominis uva decus.
Nulla fere vitem commendat gratia; tantum,
 Quod nitet æstivo tempore prima, placet.
Freta tuos solo candoris honore penates
 Intrat, & indicium est pectoris illa mei.
Candidus huic uvæ color est; mnes candida danti;
 Candoremque tuum talia dona decent.

*Ad Baptistam Messirotum.*

Cum felix Fortuna tibi det cuncta diebus
 Saturnalitiis, quid dabit æris inops?
Nam neque de sterili quidquam grege venit, & omnes
 Excussit loculos Principis ipsa manus.
Sed ne forte vaces xeniis, & more vetusto
 Non possis hilari fronte agitare jocos.
Marcentes uvas capies, & munera cortis
 Parvula; quæ medio sunt mihi nata foro:
His accedet amor, vatis cum carmine rides
 Jam scio: tu nobis his meliora dato.

*Ad M. Hieronymum Vidam.*

Ecquid erunt tanti divini carmina vatis,
 Desueta ut tentem plectra movere manu?

Nam simul ac Divûm monitu patrimonia liqui,
Et mea sunt sacro colla subacta jugo;
Nil mihi cum Phœbo, nil cum Permesside lymphâ,
Nec lauro placuit composuisse comas:
Nunc quid agam oppressus verbis, & pondere rerum?
Mene tui sperem versibus esse parem?
Protinus ut fiant leviora gravissima quæ sunt
Carmina, sitque minor copia, culta minus.
Hoc tamen ingenium, gravitasque, leposque pusillum
Exuperent; tantum hoc pectore noctis inest.
Si forte exspectas, tradam tibi chalcea tamquam
Tidides; tu dans chrysea Glaucus eris.

## *Ad Hieronymum Trecchum.*

Æra mihi non sunt; & debeo plurima Trecche.
Quid faciam, ingrati ne puter esse animi?
Sarcinulas vendam? nihil est: brevis auctio fiat
Ruris? erit nobis hæc quoque summa levis.
Addicam libros, & quæ mihi fidus Apollo
Dictavit quondam carmina: sed quis emet?
Quid faciam? certum est ingratum nolle videri:
Me dedam & certo fœdere nexus ero.
Scilicet æternam firmo ut devinctus amore,
Hic animus Domino serviat usque meo.

## *Ad eundem.*

Numquid agis? debere nihil dum fingis amicum;
Arctius, & nexu me graviore premis.
Inductoque meo dum nomine tendis haberi
Magnificus, quæstus tu facis inde novos.
Heu, tamen usuram perdes cum forte benignus
Creditor: ad Janum res mea fracta perit.
Stringis obærato cur vincla tenacius? & quis
Si pergas meritis addere, finis erit?
Tandem impone modum, tibi solvere forte paratus,
Ne fugiat nimii debitor æris Amor.

## *Pro Jo: Mario Marone, ad Amicum.*

Si Maro sum, capies bona carmina, namque Maroni
  Egregios versus scribere Musa dedit.
Sum Maro, nec versus tamen accipis ipse disertos;
  Quæ ratio est igitur? sum Maro, nec Maro sum.

## *Ad Jacobum Covum.*

Emisti cancros, ego coxi: sunt utriusque.
  Mitto dimidium; dimidium teneo.

## *Ad gentem Italam.*

Hos jacet Italiæ virtus dispersa per agros,
  Frigida quos Rheni fluminis unda lavat:
Quæ nec aquâ periit, nec ferro, aut concidit igne;
  Sed confecta gelu torpuit atque fame.
Martia turba, jaces infelix hic ubi victor
  Romanus posuit magna trophæa parens.
Quæ tot barbaricis spoliis onerata triumphos
  Duxisti, aërias nunc alis, heu, volucres.
Quin & tempus erit, curvo molitus aratro
  Germanus terram cùm ruet ossa tua.
Quæ superes manus, Italiam tueare, tuoque
  Victrix ossa virûm barbara conde solo.

## *Ad Jo: Jacobum Covum.*

Carmina cùm poscas, semper tibi carmina mittam;
  Credere ut hinc possis, me meminisse tui.

## *De Cæsaris in Galliam adventu.*

Offenso est ausus Cæsar se credere Gallo:
  Fallere quam poterat, præstitit ille fidem.
Sit licet exemplum magnæ virtutis utrumque;
  At servasse fidem, plus, mihi crede, fuit.

*De eisdem.*

Perdere quem voluit Cæsar, se credidit hosti;
Servavit pactam sed tamen ille fidem.
Si qua fides regum tangit præcordia; certè
Nulla fides major quàm tua Cæsar erit.
Rursus, si qua fides tangit præcordia regum;
Nulla fides major quàm tua Galle fuit.

*De captivitate Francisci Regis.*

Lustra duo illustrant si Julî Cæsaris arma,
Quæ Gallos Latio supposuere jugo:
Quo debet Cæsar laudari Carolus ore,
Cui tota est uno Gallia capta die?

*Ad Carolum V.*

Matthiæ lux festa, tibi, fortissime, lucis
Imperiique fuit, Carole, principium.
Hæc capto te rege facit, regnique coronâ
Clarum: plus hominum cui dedit ulla dies?

*Ad Hermetem Stumpam.*

Si pretiosa forent nobis, tibi dona darentur:
Cortice nunc capias mala imitata nuces,
Quæ si fronte hilari capies, tibi plurima mittam:
At si displiceant, tu meliora dato.

*De Venetorum Urbe.*

Urbs Venetum, quis te posuit? posuere potentes
Cœlicolæ: nomen quis dedit? alma Venus.
Cur dedit alma Venus nomen? quia nata profundis
Illa Cytheriacis edita fertur aquis.
Quis tibi thesauros tot contulit? optima Juno:
Imperium pelagi quis dedit? ipsa Thetis.

Quid

Quid mirum, si tot, si tantis rebus abundes,
Urbs Venetum? magni te posuere Dei.

*Ad Jo: Baptistam Pallavicinum.*

Naturæ fuit egregium certamen, & Artis;
Clarus ut orator, Pallavicine, fores.
Utraque multa tibi, sed plus Natura leporis
Contulit; unde novo membra decore moves.
Verba fluunt, instar rapidi torrentis, ab ore;
Quæ pariter dulci voce manuque regis.
Adficis inde animos tantâ dulcedine, risum
Ut moveas populo cùm libet, & lacrimas.
Quis neget & silvas & saxa secuta moventem
Orphea Threiciæ plectra canora lyræ?
Creditur Amphion Thebas fide clarus, Apollo
Pergama vocali constituisse lyrâ.
Quid mirum? cùm tu vocis modulamine volvas
Vulgus, & ad Superos saxea corda trahas?
Quæ multis partita fuit, tibi contulit uni
Natura: Ars omni, quâ potis, ornat ope.

*Ad Joannem Musonium.*

Quod mecum cupis esse, meosque subire penates,
Quodque tibi ut pateat janua nostra petis.
Quid tibi vis? Helicon doctis communis habetur
Vatibus, & sacræ Phocidos umbra patet.
Non Aganippeo deterret ab amne poëtas
Delius, & Cyrrham non vetat ire Deus.
Tu tibi ne pateant non limina nostra vereris,
Idem Musarum quem mihi junxit amor?
Si sumus unanimes, studioque tenemur eodem,
Cur eadem non sit quantulacumque domus?
Si pater est Phœbus, si mater Pallas utrique;
Frater es, an nescis? hospitiumque vocas?
Fide, tibi de me promittens omnia; fratris
Candidaque æternum pectora frater ama.

*Ad Antonium Mariam Auguſtum.*

Qualis in obſcurâ pergit dum nocte viator,
Et vagus à recto tramite flectit iter;
Hæret, & interdum relegens veſtigia, quærit
Incertæ pateant quà loca tuta viæ.
Dum dubitat, caſu adveniens ſuccurrit amicus,
Ducit & ad patrii dux face tecta laris.
Talis ego, amiſsâ Libethride devius undâ,
Horrida per ſilvas teſqua ſecutus eram.
Errantem ſed tu cùm primum cernis amicum,
Sumis Apollineas ex Helicone faces.
Aonas in montes, meque in mea caſtra reducis;
Ut redit optato ſervus amatus hero.
Non igitur tantum debet tibi Phœbus & omnis
Phocis, & Aonii quæque puella chori.
Quantum ego, amice, tuo ſoſpes qui munere, ferre
Dicor honoratâ laurea ſigna manu.
Quid reddam tibi? non opis eſt perſolvere noſtræ;
Sed ſum mancipio tempus in omne tuus.

*Triſtani N. Epitaphium.*

Triſtano peperere mihi cunabula nomen,
Triſtitiæ nomen, triſte quod omen erat.
Ut numquam variuſve labor, curæve tenaces
Defuerint, lethi triſtis ad uſque diem.
Tres habui fratres, tria funera triſtia vidi,
Cum quibus in patrem tela cruenta tuli.
Triſtanus vixi triſtis, mox triſtis: ab ipſis
Pœna mihi ſupereſt triſtior exequiis.

*Epitaph. Cæſaris Barbovis.*

Cæſareâ Barbos Cæſar virtute per hoſtes
Dum ruit, & forti prœlia miſcet equo,
Concidit, & tutos cùm poſſet habere receptus,
Maluit egregiè, quàm dare terga, mori.

Ber

Ergo avidum pugnæ properant dum perdere, vitam
  Invida perpetuam fata dedere viro.
Inclita nam spatium virtus si prorogat ævi,
  Vita potest nulli longior ulla dari.

*Bartholom. Mayssi epitaph.*

Hac jacet, heu miseræ Mayssus cura parentis,
  Ante diem raptus Bartholomæus, humo.
Flexisset duras vario modulamine linguæ,
  Suavisonoque canens dulcius ore, Deas.
Invida sed blandam eripuit Proserpina vocem,
  Ut fieret campis cantor in Elysiis.

*Epitaphium Galbani.*

Galbanus minimo jacet hoc Lisana sepulchro,
  Grandia cui numquam rura fuere satis.
Conducebat enim fecundos sordidus agros,
  Ex inopumque fame quærere avebat opes.
Sustulit hunc inter congesti farris acervos
  Tisiphone, et ulnas tres premit ille soli.

*Franci Treini epitaph.*

Litibus implicitus miseræ data tempora vitæ
  Egisti, extremum tempus adusque diem.
Nunc quia nec morte est tua lis finita, licebit
  Sub Minoe tuum Rege citare reum.

*Epitaph. Theodosii Bobbii.*

Indolis egregiæ puer hac Theodosius urnâ
  Clauditur, heu, mœsti cura dolorque patris.
Limina vix vitæ attigerat, jam laudis honestæ
  Spem dederat; pulchro tantus in ore decor.
Mors rapit in tenebris, genitricis ab ubere; sæva
  Ne posset Parcas forma movere dies.

*Epitaph. Stephani Azanelli.*

Pharmaca amara ægris solitus componere, & undas
Ex herbis sollers elicere igne novas;
Conditur hac Stephanus morbo consumptus in urnâ;
Olface, ut ipse Arabo fragret odore lapis.
Scilicet in terris varios quia semper odores
Miscuit, hos tumulo nunc quoque tectus olet.

*Francisci Chizolæ tumulus.*

Qui coquere es solitus panem, Francisce, popello,
Nunc tibi cærulea est Styx superanda rate.
At nullam quare meministi ferre placentam
Mellitam, crudo munera grata seni?
Quid facies? parcat vector, tamen ossa relicta est,
Qua canis obstrueres guttura tartarei.
Spes tamen una tibi, video: Proserpina Diti
Illic pistorem quod volet esse suo.

*Prosperi Columnæ epitaph.*

Armorum decus, & Latii nova gloria Martis,
Callidus in multos ducere bella dies.
Prosper humo hac tegitur; quem non manus hostica pugnæ,
In medio belli machina nulla tulit.
Paulatim morbo in plumis consumptus inerti,
Quem medicæ Phœbus nesciit auctor opis.
Non gemitus moriens, non edidit ore querelas;
Sed doluit, quod non contigit ense mori.

*Benedicti Fodrii epitaph.*

Certamen fuit egregium Benedictus Olympo;
Contendunt Superi dum dare summa viro.
Juppiter insignes equitis largitur honores
Clarorumque novas principum amicitias.

Divi-

Divitias Juno, formam Venus, impiger artes
  Mercurius, sophiam Pallas, Apollo dies.
Invidit Lachesis Divûm pia munera, rupit
  Candida felici stamina ducta colo.
Cerratur cœli sedeat quâ parte: supremum
  Quem tenuit terris occupat ille locum.

*Tumulus Valentinæ Stangæ.*

Dum medicâ adfectat formosior arte videri,
  Membraque odorato sæpe liquore fovet;
Et formam liquidis & vitam amisit in undis;
  Naufragium viden' ut fecerit illa novum?
Sic Veneri Idaliæ formæ dum certat honore,
  Est famula infernæ lurida facta Deæ.

*Christophori pueri tumulus.*

Ah miserande puer quis te fœdavit? iniqui
  Cognati caussam dic rogo? propter opes.
Fecerat heredes pater hos male cautus, adissem
  Tartareas dulci si sine prole domos.
Hi, me auri studio, cæcaque cupidine ducti,
  Dum surgo tamquam surculus, ense necant.

*Homoboni Offredi tumulus.*

Venerat ad ripas fato modò functus Averni
  Offredus, Stygio constiteratque lacu.
Obvius Hippocrates, patriisque Epidaurius herbis
  Nobilis, & gemino corpore Phillirides;
Quorum ope nigra diu vivens spoliaverat umbris
  Regna senex, morbos depuleratque graves.
Dis torvùm hunc spectans; quid tu hoc, ait, orbe petisti?
  Hæc loca num solitâ vi populare paras?

*Alexandri Bonetti tumulus.*

Hoc jacet egregia tumulo puer indole, ruri
  Dum nat Alexander, vortice raptus aquæ.

Spem

Spem dederat patri summæ trieteride plenâ
Virtutis, fuerat tantus in ore decor.
Invidit Lachesis; puerumque nitentibus undis,
Mersit, & Alcidæ Nympha remisit Hylam.

*Epitaph. Petri Mannæ.*

Sarcophago Petrus hoc quamvis nunc Manna tegatur,
Non obiit; Superos verius ille adiit.
Nam licet in terris morbos certâ arte fugaret,
Sciret & herbarum nomina, vimque senex;
Æthereas tamen ille vias cognorat, & ortus,
Sidereos animo viderat atque obitus;
Naturæ latebras invenit & abdita rerum:
Nota igitur jam tum sidera jure tenet.

*Galeatii Zuchi epitaph.*

Hic situs est viridi raptus Galeatius ævo,
Zuchus, honor patriæ, fama decusque domus.
Huic manus hostilis tenebrosæ munere noctis,
Ferro animam juveni dum rapit, astra dedit.
Flere nefas mortem, vitæ quæ caussa beatæ est;
Sed nihil, hoc lethum qui gemis, ipse gemas.

*Tumulus Nicolai Corii.*

Quid fles? non obiit Corius, licet ossa sub isto
Marmore sint: armis gloria parta viget.

*Tumulus Caspari Parmensis.*

Certamen fuit egregium; Lucretia mater,
Filius & tristi Caspar in interitu.
Ille mori pro matre cupit: rogat illa sorores,
Ne liceat: vicit mater & occubit.
Filius amplectens genitricis corpus, amaro
Cum gemitu riguit, hæc habet urna duos.

*Epitaph. Marchionis Asterni.*

Hispanæ spes certa manus; fidissima dextra
Cæsaris, Armorum gloria, Martis amor:

Au-

Auspice quo captum deplorat Gallia Regem,
Deflet & Insubrum tristior ora Ducem;
Hoc jacet Aterni Princeps sub marmore; nemo
Cur gemit? Ausonii nominis hostis erat.

*Locarini tumulus.*

Quid clamas Locarine? vetat mea creditor urnâ
Ossa tegi, donec debita persoluam.
Addicas illi tua prædia; non satis: uxor
Spondeat, at dotis nomine & ipsa petit.
Quid facies? vivens elusi debitor omnes:
Nunc magis eludam mobilis umbra manus.

*Pater, Maximiano Cipello, loquitur.*

Quid fles, nate mihi sublate virentibus annis
Maximiane? puer quid gemis in tumulo?
Nil de morte queror: mors me revocavit ab imo
Exilio exutum corporis, ad Superos.
Sed quia te oppressum morbo tristique senectâ,
Præsidio cogor destituisse meo.
Hoc quoque mitte queri: quæ vita ingrata parenti est,
Non est longa: brevi te sequar ipsa mora.

*Christ. Malagnini tumulus.*

Piscator fueras, lampetris terror acerbus,
Piscibus atque aliis hic Molagnine jaces.
Morte tuâ gaudent anguillæ & thynnlus, & qui
Vicino capitur gratus in amne lupus.
Cocytus metuit, postquam Malagnine notavit
Tendere te Stygio retia rara lacu.

*Epitaph. Francisci Brambillaschi.*

Hac tegeris, Francisce, Faber lignarius urnâ,
Huic Brambilla domus quem genuit patriæ.
Orbibus hîc olim cingebas vasa rotundis
Impiger, & celeri dolia multa manu.
Atropos invidit: filum secat, Orcus adegit
Fracta Charonteæ ligna dolare ratis.

Tu-

*Tumulus Jo: Angeli Coradelli.*

Hoc tumulo, Coradelle, jaces? an sidera cœlo
  Adscitus, fausto jam premis astra pede?
Jam premo: non debet terrenâ sede gravari
  Angelus, ætherei sed colere arva poli.
Ergo cur tumulum lacrimis perfundit inanem
  Brixia? non videt hoc, dum nimis illa gemit.

*Lucretiæ Mantellæ tumulus.*

Æmula Romanæ Lucretia casta puellæ,
  Moribus, & patriæ nobilitate domus.
Clauditur hac, si terra tamen tegit ulla pudorem,
  Et blandas Charites, conjugiique fidem.
Noluit huic Lucina manum florente juventâ
  Porrigere, ut superis posset adesse choris.

*Jo: Bapt. Musconii F. Tumulus. Dialogismus.*

Quis mihi te rapuit misero, Baptista, Deorum
  Tam celeri fratrem morte secute tuum?
Decepi, pater, invitus tua vota: senectæ
  Debita sed fato sors erat ista tuæ.
Ergo nihil prodest pietas? nulli expedit ergo
  Esse probum? nostræ est hic pietatis honos?
Quid? tu rere tibi Divos nocuisse, supremum
  Pro terris cœlum si tribuere mihi?

*De Victoriâ Columnâ ux. March. Piscar.*

Non vivam sine te, mi Brute. exterrita dixit
  Porcia, & ardentes sorbuit ore faces.
Te, Davale, extincto, dixit Victoria, vivam,
  Perpetuò mœstos sic dolitura dies.
Utraque Romana est: sed in hoc Victoria victrix;
  Perpetuò hæc luctus sustinet; illa semel.



JO: AU-



# JO: AURELII MUTII
## MANTUANI.



### *In D. Joannis Baptistæ laudem.*

NAscere, quid cessas dudum? cunctisque petitum
Votis redde diem veniens, age Lucifer, almum:
Dignum quo possit Superûm favor omnis in unum
Congessisse virum quodcumque est ulla potis vis,
Quoque olim non te pigeat, vatum optime, nasci.
Quem cœlo ex alto Superûm Rex tempore, quo se,
Venturus tandem populorum orbisque saluti,
Jam jam hominis faciem, & mortales inducre artus
Certus erat, terris quondam præmisit habendum:
Dum nos interea solennes dicere laudes
Aggredimur, vatisque pii celebramus honores.
Ille quidem in silvis, perque avia lustra ferarum,
Propter aquam, & vario depictas gramine ripas,
Pulcher ubi, fluvioque ingens Jordanis amœno,
Collibus è curvis per pinguia culta volutus,
Exercet cursu latices, simul & secat arva,
Florem ævi totum primis exegit ab annis,
Divinis animum curis & pectora plenus,
Magna Deo, populoque docens instantia fata.
Non illum Veneres, non illum pocula Bacchi,
Non epulæ flexêre ullæ, non purpura dives,
Verum undas hausitque manu, & quas plurima ubique
Fundit humus, teneras decerpsit graminis herbas
Horridus, hirsutoque humeros contectus amictu.

Illuc, ut perhibent, diversæ atque agmine lato
Certatim coëunt gentes atque inde reversæ
Haud dubia ex dubiis referunt oracula rebus;
Deseritur Solyme linquunt Hierumque, Themnamque,
Arva Palæstinæ, palmosæque oppida Idumes.
Undique conveniunt, & inhospita rura frequentant.
Ille autem super his, ripas lucosque silentes
Insuetum multo calefactus pectora Phœbo
Personat, & vacuæ responsant omnia valles:
Nunc pater è summo claram demittit Olympo
Progeniem, ætherei monimentum & pignus amoris:
Jamque aderit Deus, ecce Deus: quæ tanta moratur
Segnities? quæ tanta animos dementia fallit?
Ite, agite, & Superûm venienti occurrite Regi:
Quamque viam instituerit, terras, regna ultima, visens
Certa Dei soboles, studiis ingentibus illam
Sternite: nunc opus est animis, nunc mentibus æquis.
O multum monitique mihi multumque monendi,
Spernite opes, inquam, ac variarum, nomina vana,
Delicias rerum, & contagia divitis auri,
Versantisque orbem, & mortalia cuncta trahentis,
Otia, desidiam, sævique Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona,
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare sitim, & jejunia longa suetus
Corpoream imminui molem, & mortalia sensim
Membra tulit, gaudens vinclis & carcere cæco
Exonerasse animum, ac volucrem super æthera ferre;
Huic sæpe in somnis primum sese obtulit ultro
Ipse Deûm genitor, ultro docuitque futura;
Mox etiam atque etiam claro se lumine passus
Contingi, eloquio ardenti, adspectuque beato
Affulsit, sanctumque inspirans ossibus ignem,
Divina implevit penitus dulcedine mentem:
Usque adeo magni mentem facit æthere natam,
Ardua conantem sponte, & præclara volentem.
Hæc & plura heros memorans populumque patresque
Spargit rore levi, & felicibus abluit undis

Con-

Conceptus mundi labes ab origine primâ.
Continuò mores suscepit, grataque servat
Posteritas, sacrumque pii coluêre minores.
Ecce autem ætherei Regis certissima proles,
Pro mortali hominum genere & pro numine læso,
Heu, fato indigno & crudelis vulnere dextræ
Projectura animam, & finem allatura malorum,
Dudum aderat, summique Patris præcepta docebat
Nota sibi, atque animos supera ad convexa vocabat:
Progeniem quoniam immeritam cunabula mundi
Postgeniti, ob noxam primique errata parentis,
Damnatam omnipotens pœnas expendere jussit,
Terribilique hosti Divum concessit in iras
Hunc simul adspexit juvenis; & fluminis alveo
Terque quaterque manu liquidas superintulit undas,
Reddita vox ingens reserato è vertice Olympi,
Testatusque sacta præsens pater alite Natum,
Intonuit late, tremefecitque ætheris arces.
Ex illo haud dubitas, magnorum maxime vatum,
Solvere fatidicum os, & spem vulgare per agros,
Advenisse hominum certam requiemque laborum,
Pollicitique Dei toties mox testis adesse,
Unum præ cunctis, populis spectantibus ultrò.
Et monstrare manu & verbis signare volentem;
Visa canens, monitusque datos pridem æthere summo:
Tu matri, tu vocis adhuc & luminis expers
Prima utero exultans fœto das signa supremi
Adventu super Herois, magnamque parentem
Pandere res altas, summique arcana Tonantis
Decreta, & volucrem superâ de gente ministrum,
In medio visumque die auditumque fateri
Impellis, tua sidereus facta optima Natus
Mox probat, & cunctis præferr mortalibus unum
Te vatem: ô longe melioribus optime sæclis
Nate Pater, meritoque adscripte Quiritibus olim
Cælicolis, suave ô regi gratissime Divûm,
Ac nos composito celebrantes carmine laudes,
Ritè tuas, pariterque preces, ac tura ferentes,

Nunc videt is quanto moveant fera bella tumultu
Crudeles animæ, sæva illinc arma Britanni
Expediunt: solidas latis Hispania terris
Cum populis urbes effundit, & omnia versat;
Hinc Gallorum acies, & prodiga corpora vitæ,
Cædis amor, ferrique armat scelerata cupido.
Inter utrosque facem intentans Discordia sævit,
Impius armatos stimulat Mars, & furit ingens.
Ah, ne iterum tanto concurrant agmina motu:
Ah, ne iterum largo pinguescant sanguine campi.
Has tu iras, atque hæc imperdita corpora bellis,
Quæ dudum Ausoniæ cicrant in viscera reges,
Verte hostem in Turcam, Superis det sanguine pœnas
Cizicus, & populi quos dividit Hellespontus:
Æquius huic fuerat nostra arma opponere genti:
Hunc tu animis pater accensis immitte favorem.
Ecce tibi Decimus præses simul & decus orbis,
Afflictis quem vos rebus sæcloque ruenti,
Auxilium cœlo properastis mittere ab alto,
Augusto ingentes voluit sub pectore curas:
Jamque Scythas vexat bello, atque amissa reposcit
Regna animo; mox excidiumque stragemque daturus.
Actutum valido complebit milite campos:
Olli igitur vires ultro se ad bella paranti,
Quo sine nulla super miseris mortalibus est spes,
Sufficite; ipse animosque sibi, mentemque ministret.
Nunc ô quique Hebri, vitreas & Strymonis undas,
Quique bibunt Xanthon, & fluctisonum Simoënta,
Quosque aliis longè positos in partibus horrens
Caucasus hinc, illinc prospectat maximus Atlas,
Agnoscant veri tandem præcepta Tonantis,
Et fluvio discant natos mersare salubri:
Teque adeo ante omnes unum, tuaque arma tremiscant,
Nota nimis miseris ac cæde inspersa suorum.
Testis clara Rhodos, facti non immemor umquam,
Cùm latè implerunt campos, passimque per herbas
Agmina multa virùm jacuerunt æquore toto,
Carpathiique maris fœdarunt sanguine fluctus.

*Ad Leonem X. Pont. Maxim.*

Dum tu orbem immensum paribus compescis habenis
 Atque animo terras prospicis, & maria.
O Decime afflictis tandem pater optime rebus,
 Præsidium extremis reddite temporibus:
Totque tuo ingentes concursant pectore curæ:
 Quot fluctus vasto gurgite pontus habet.
Nos tibi sic inter tantarum culmina rerum,
 Actutum toto fluximus ex animo:
Sicque leves jactant promissa tot irrita Cauri,
 Ut folia autumni tempore ventus agit:
Quæ simul occursant inter se, & prœlia miscent,
 Post tandem ad terram ex aëre crebra cadunt;
Atque hæc præteriens calcat neglecta viator;
 Non gregibus, non his parcere cura homini.
Interea exercet me me, nec definit umquam
 Pauperies omnes mi facere insidias:
Cuncta minatur enim misero mala Juppiter: atræ
 Ut paupertatis omne genus pereat!
Quæ mihi nec suaves Musarum expromere cantus,
 Nec sinit a tanto mentem inhibere malo:
Sed duras curarum inter stipata cohortes
 Urget, & hoc semper vexat acerba caput;
Cujus dispeream, similis si pestis in orbe est;
 Tristius aut quidquam Tartara nigra pavent.
Quinetiam Stygium hacce Jovem torquere nocentes:
 Fama tulit, nudas cùm jubet esse animas.
Non gemmarum infra, non usus divitis auri,
 Nec quisquam nudâ corpora veste tegit:
Nonve dapes adhibet mensis, non dulcia vina,
 Ast tenebras latè, squalidaque arva situ
Gens colit: hanc durum quatiens insana flagellum,
 Inferna excruciat per loca pauperies.
Tartarei ex vultu pendet suspensa Tyranni
 Pallida, & ad pœnas, quos cupit ille legit.

Innumeras pestes atque agmina sæva sororum
Immittit miseris perpetuamque famem: (quam
Hanc trepidæ aspicientes quantum horrent animæ, &
Optarent votis tunc quoque posse mori.
Nusquam illic urbes, nusquam illic tecta: maligno
Sub Jove, Regem etiam durum habitare ferunt.
Contra autem ex auro atque ebore alti in vertice Olympi
Summa nitent claris atria cœlitibus.
Hic passim toto diffundit Copia cornu
Ambrosiasque dapes, Nectareumque merum.
Plausidus ac cœlum vario latè undique cantu
Perstrepit, & lætas Numina agunt choreas.
Huc Dii fulgèntes magni cum vestibus aureis
Conveniunt, summo stat pater in solio.
Juppiter & Superis edicit jura vocatis,
Divino mulcens sidera colloquio.
Dispositos sic infra olim sede editus altâ,
Conscriptos cernis, numina vestra, patres.
Cùm tu Oratores, per quos tibi supplicat orbis,
Atque tuo sese subiicit imperio,
Excipis: illi autem placidum sibi numen adorant
Prostrati, & sacris oscula dant pedibus:
Dein divina, domum redeuntes, jussa reportant,
Quæque alia externis regibus ac populis
Pectoris è sancti penetralibus abdita profers,
Suspensis captant quæ prius auriculis.
Quare quid mirum est, si aurum quoque judicibus Dîs
Vulgus amat, largas divitiasque probat?
Ut quæ unæ valeant facere ac servare beatos,
Et dare compositi lætitias animi:
Quæque etiam veluti me invisum deseruêre,
Jactatumque maris fluctibus in mediis.
Quòd neque jam dignatur opem Rhamnusia virgo
Ferre, nec ulla hominum pectora consilium.
Atqui olim non me hæc miserum sperare jubebas,
Degere sed discincta otia Pegasidum:
Multaque quæ vestro mihi nomine rettulit olim
Hadriaci Bembus gloria magna soli;

Bem-

Bembus amor Muſarum, & Palladis ultima cura,
Caſtalio Bembus potus in amne pater;
Omnibus his qui te, te unum jam prætulit, uni
Dulcia Pieridum Numina poſthabuit.
Quæ nunc aërii ſub verticibus Parnaſſi
Te ſibi flent tantum ſurripuiſſe decus.
Da mî igitur dextram, meque hoc ex turbine mentis
Totque ærumnoſis eripe vorticibus.
Hoc tibi reſtat opus, hoc eſt tibi perficiendum:
In te uno eſt una, atque unica noſtra ſalus.
Quod ſi non æquâ hæc mea carmina reſpuis aure,
Verbaque das rapidis irrita ferre Notis;
Me neque tantillum, quantum eſt ſervare Deorum
Jam poterit, non ſi mox velit ipſa Salus:
Quin totis penitus Fortunæ abſorptus in undis,
Protinus ingratos ore bibam latices.



# LUCÆ NICOLAI DEL MUTO PRATENSIS.

*Divæ Catharinæ Virginis, & Martyris exemplo probatur, humaniores litteras a femi[illegible] non abhorrere.*

FEmineum quicunque bonis genus artibus arcet,
  Invidus, aut aliquis durior ille Cato est.
Fallitur, ingenuas nimium qui tetricus artes
  Moribus ingenuis posse nocere putat.
Hasque pudicitiæ, si quando femina lapsa est,
  Non bene servatæ prædicat esse reas.
Quod si casta parum fuit inter carmina Sappho,
  Et famam læsit docta Corinna suam;
Carminis hoc vitium non est, neque culpa Poësis:
  Ipsæ se probris implicuere suis.
Omnes Virgineo gaudent cognomine Musæ,
  Castus inest illis, virgineusque pudor.
Nil vetat esse igitur castas, doctasque puellas,
  Castis nec pugnat moribus ingenium.
Quin etiam doctrinæ extat concordia magna,
  Atque pudicitiæ, si quis utramque colat.
Si adamas fulvo inclusus magis emicat auro;
  Sic bene conveniunt lilia mista rosis.
Testis Virgineo insignis Catharina pudore,
  Et docti florens laudibus ingenii.

Ar-

Artibus illa bonis mores conjunxit honestos,
  Nec quia docta, fuit Virgo pudica minus.
Ipsa pudicitiam juvit doctrina, suisque
  Præstitit ut telis fortior illa foret.
Illa cupidineas docuit vitare sagittas,
  Otiaque, unde capit plurima damna pudor.
Insidiasque procul, fraudesque, & Cypridis astus,
  Si quos prospiceret, tunc ea, Virgo, cave:
Virgo, cave, dixit; te callidus ecce Tyrannus
  Appetit illecebris aggrediturque minis.
Virgo, cave, multi jam te in certamina poscunt
  Doctrina celebres, eloquioque viri.
Heu cave, ne mentem perplexa sophismata fallant,
  Garrula quæ è cathedris fundere turba solet.
Neve Sophistarum tibi callida verba repente
  Offundant tenebras, excutiantque fidem.
Pectoraque abducant æterni regis amore,
  Cujus connubio se tibi junxit amor.
Tu ne cede malis, sed callida verba retunde,
  Et quæ præmonui, tu bona Virgo, cave.
Dixit, at illa datis confestim accingitur armis,
  Aggrediens multos una puella viros.
Una sed illa licet, cunctos sibi cedere cogit.
  Et veræ fidei subdere colla jugo.
Nec mora, quos vicit, Virga præmittit ad astra,
  Miratur lætus tanta trophæa polus.
Talia qui laudat, doctrinam in Virgine laudet;
  Nam factura minus, si caruisset, erat.

*Angelus ad Pastores, Phaleucium.*

O quos sollicitos tenent ovilis
Dulces excubiæ, Gregisque cura
Nocturnò jubet abstinere somno,
Bethlæum, moneo, petatis antrum,
Antrum nobilius, beatiusque
Vel regum domibus, magis superbis.
Illic quandoquidem jacet puellus,

Com-

Complectens hominis. Deique formam,
Virgo quem peperit Davidis orta
Claro sanguine, clarior, quod illam
Dignatur Puer hic habere Matrem.
Vestris hunc Patribus spopondit olim
Æternus Pater, Abrahæque dixit
Hunc de semine filium futurum,
Totum qui regat, erigatque Mundum
Ærumnis, quibus undique involutus
Olim jam premitur, vetusque sacro
Quem fundet, scelus expiet cruore.
Illuc vos celeres movete gressus,
Illuc vos hilares jubente Cœlo
Pastores properate, Civitatum
Prælati Populis; ter o, quaterque,
Vestra si hæc bona noscitis, beati!
Queis libamina prima gaudiorum
Fas decerpere, cœlicumque primos
In terris Puerum videre natum.
Ite, & rustica ne timete dona
Afferre huic Puero: nihil Puello
Hoc est mitius, aut magis benignum,
Nil demissius, aut magis remotum
A quovis animi tumore; leni
Vos ille excipiet benignus ore,
Matrisque è gremio caput tenellum,
Attollens, oculosque, vos sereno
Obtutu efficiet beatiores,
Quam si divitias, opesque regum
Vobis protinus assequi liceret.
Vestra hinc munera, crassiora quamvis,
Blandusque accipiet, simulque magno
Vobis fœnore munerum rependet.
At cur vos moror, ampliusque vestra
Dictis gaudia differo? Puellum
Vos invisite, plura vos ab illo,
Quam quæ nunc ego spondeo, feretis.



Heu! satis in scelerum cœno defixus, & hærens
  Turpis servitii vincla pudenda tuli.
Illecebris me blanda suis complexa voluptas
  Colla mihi duro presserat ante jugo.
Cogebatque meas malesanus amare catenas,
  Et gaudere meis, quæ nocuere, malis.
Cur ita? me nisi quod cæcum cæcâ ipsa voluptas
  Fecerat, insidiis obrueratque suis?
Per Dalidam quondam captus sic lumine Sampson
  Præda Philistæis, ludibriumque fuit.
Dum volat oblatam male cauta volucris ad escam,
  Et visco, & laqueis implicat illa pedes.
Piscis & æquoreis hamum dum captat in undis,
  Fallitur, & prædæ præda fit ipse suæ.
Sic & me, præbet dum pabula grata voluptas,
  Implicuit laqueis insidiosa suis.
Neve catenatum laquei, nexusque pigeret,
  Illecebris texit blanda inimica dolos.
At mihi jam patuere doli, patuere catenæ,
  Et servile pudet sponte tulisse jugum.
Ah! pudet in morem pecudis jacuisse profundo
  In scelerum cœno, luxuriæque sinu.
Et pudet, & turpes mens est abrumpere nexus,
  Et laqueis solvi, servitioque juvat.
Aude anime, & temet servilibus exue vinclis,
  Subtrahe tam turpi libera colla jugo.
Reiice, Tartareus quæ injecit vincula Prædo,
  In cor enim nullum jus habet ille tuum.
Non bene servitur Stygio, mihi crede, Tyranno:
  Ingenuum summus Conditor esse dedit.
Quis pudor ingenuum vinclis damnare? quis, inquam,
  Quis pudor, o anime, est jus violare tuum?
Excute ab ingenuo servilia vincula collo,
  Exere tam turpi libera colla jugo.
Quod si forte genus famulatûs quæris honesti
  Et famuli nomen, conditioque placet;

Cui

Cui Superi parent, cui Sol famulatur, & astra,
Illius imperio jure subesse potes.
Et potes, & debes illi te subdere, servum
Solius Domini te decet esse tui.

*De hirundinum ad nos reditu.*

Salve, quæ ad nos incolumis te vertis hirundo,
Quandoquidem veris nuncia grata redis.
Et nos ceu socios post frigora sæva revisis,
Et tecum nobis tempora læta refers.
Te redeunte redit facies lætissima Mundo.
Sævus abit Boreas, mitior aura redit.
Solvunturque nives, & grato murmure rivi
Labuntur ripis, prataque amœna rigant.
Herba solum vestit, pinguntur floribus arva,
Omnis abit squallor, pulchra juventa redit.
Te redeunte virent, nuper quæcunque rigebant,
Arboribus redeunt te redeunte comæ.
Salve igitur felix cunctis mortalibus ales,
Nuncia veris avis, nuncia lætitiæ.
Vera loqui censes? ah falleris improba hirundo,
Falleris, ex animo si hæc tibi dicta putes.
Non hæc ex animo tibi dicta fuisse mereris,
Quandoquidem haud nobis, sed tibi amica redis.
Ah! pereas, læto quæ tantum tempore nostra es,
Ast ubi fugerunt tempora læta, fugis.
Scilicet infida infidos imitaris amicos,
Et specimen fictæ prodis amicitiæ.
Tu siquidem rauco dum bruma Aquilone remugit,
Dum squallet tellus, arvaque cana rigent,
Demigrans alio nos deseris, improba hirundo,
Et læto tantum tempore nostra manes.
Sic etiam præbere solet se infidus amicus,
Fortunæque negat ferre utriusque vices.
Si fortuna favet, felici hic adstat amico,
Si fortuna tonat, protinus ille fugit.

Hunc

Hunc & tu pariter fallax imitaris hirundo,
 A nobis toties quæ fugis, atque redis.
Desine nos igitque blando jam fallere cantu,
 Blanda salutatrix, fraus mihi nota tua est.
Ut nostras comedas fruges, nos vere revisis,
 Frugibus absumptis nos iterumque fugis.
Ergo mihi postquæ non tu dicêris hirundo,
 Dicêris potius callida hirudo mihi.

*D. Philippus Nenius pro nimio Divini Amoris ardore queritur. Phaleucium.*

Ohe! jam satis est, Amor, quid ultra
Felix pectora vulnerare pergis,
Et flammas placet aggerare flammis?
Sunt conflata tibi, fatemur ultro,
Auro tela: tamen minus potenti
Ictu non feriunt vibrata pectus,
Quam si cuspide ferrea rigerent.
Telorum pretiosus ille fulgor,
Quo nos sæpe petis jocantis instar,
Totus flammeus, igneusque totus
Urit pectoris intimas medullas,
Et fibras penetrat profundiores.
Hinc tantis flagrat, æstuatque flammis,
Quandocunque tuis, amor, sagittis
Cor nostrum petitur, fere ut nec ipse
Tantis æstuet ignibus Vesevus.
Sed jam deficimus, diutiusque
Tanta incendia perpeti videtur
Morte ipsa gravius: rogamus ergo,
Ut vel pectora mitius calescant,
Vel tali penitus crementur igne.

Τῶν καλῶν ὐδεὶς κόρος.

*Pulchrarum rerum nulla satietas.*

Pulchra placent, & nulla sui fastidia gignunt,
Et spectata diu non minus illa placent.
Sæpe oculis, & sæpe manu juvat illa tueri;
Visa revisa licet, tædia nulla ferunt.
Numquam sordescunt, & nausea nulla videndi est:
Sed magis atque magis pulchra videre juvat.
Pulchrarum rerum cunctis amor insitus hæret:
Pulchrum si tollas, nil, quod ametur, erit.
Hoc placet, hoc cupitur, totoque hoc regnat in Orbe,
Hoc in nos summum possidet imperium.
Si pulchri semper flores, semperque recentes
Essent, in magno semper honore forent.
Sol quod inocciduo spectandus lumine fulget,
Optatus semper nascitur ille Polo.
Hoc habet ipsa Dei sincera, ac summa venustas,
Quod numquam satiat corda, sed illa beat.

Δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι.

*Secundæ cogitationes sapientiores.*

Quidquid ages, expende diu, tacitoque voluta
Pectore, ne præceps in tua damna ruas.
Tempus enim meliora affert, potiora ministrat
Consilia, & quæ sint utiliora, monet.
Democritus verum puteo latitare profundo,
Nec subito nobis posse patere docet.
Ac veluti longo fit homo sapientior usu,
Sic meditanda diu, quæ peragenda semel.
Festinare nefas magnis in rebus agendis;
Sat facit ille cito, qui bene cuncta facit.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

*Sustine, & abstine. Aurea Epicteti Philosophi sententia.*

Scire cupis, quæ ad virtutem compendia ducant?
  Sperne voluptates, duraque disce pati.
Aurea conspicuos moderatio spernit honores,
  Atque voluptates, quæque coluntur opes.
Fortis in adversis perstat patientia rebus,
  Robore fortunam vincit & ipsa suo.
Hæ veluti Herculeæ sunt in virtute columnæ,
  Quas ultra virtus ire nec ipsa potest.
Hâc nisi virtutem sapienter quæris, aberras:
  Hâc si quæsieris, te reperisse puta.

*Omnes Divini Amoris vires in uno Eucharistiæ ferculo parando absumptæ, atque exhaustæ.*

Est Deus Omnipotens, sed tanta potentia nobis
  Majus se donum tradere non potuit.
Illius agnoscit nullos sapientia fines.
  Attamen hoc illi in munere meta fuit.
Omnes effudit, quamvis ditissimus, una
  In dape divitias prodigus ille suas.
Nemo igitur posthac majora his munera poscat:
  Nil Deus hoc majus, quod dare possit, habet.
Sit licet omnipotens, sapiens, ditissimus idem,
  Unum divinas hoc opus hausit opes.

*D. Maria Magdalena de Pazzis, pati, non mori postulat.*

Pro Christo voluisse mori meta ultima amoris
  Fertur, at ulterius te tuus urget amor.
Nam, quo plus patiare, mori, bona Virgo, recusas;
  Teque diu in pœnas vivere posse cupis.

Ma-

Magnus amor vitam pro Christo impendere: sed plus
Est voluisse pati, quam voluisse mori.

*De eadem.*

Hesperiæ splendor fertur dixisse Teresa:
Sive pati, Jesu, da mihi, sive mori.
Magdala magnanimum votum tu vincere certas,
Teque ultra hanc meram nobilis ardor agit.
Namque audes morti juges præferre dolores,
Quidquid & est toto durius Orbe pati.
Inde rogans Sponsum fundis pia vota, precesque:
Da mihi, Christe pati, non peto, Christe, mori.
Quisquis utramque audis, illarum confer amorem:
Par amor ut fuerit, fortior iste fuit.

*De D. Joseph.*

Sistite regales fasces jactare superbi
Terrarum Domini, quos colit aula frequens.
Pauper, inopsque licet Joseph Davidica proles,
Imperium vestro majus in Orbe gerit.
Nutibus ille suis regem moderatur Olympi,
Descenditque libens in sua jussa Deus
Sidera cui parent, totus cui subditur Orbis,
Non piget huic sese subdere sponte seni.
Gloria summa aliis famulari posse Tonanti,
Gloria sed Joseph est dare jussa Deo.

*De D. Thoma Aquinate.*

Digna legi superis Thomas conscripserat ipsis,
Quippe facem ingenio prætulit alma Fides.
Explanarat enim sacræ miracula vocis,
Qua in potum, atque cibum vertitur ipse Deus.
Præmia tanti operis Thomas hinc poscere jussus,
(Et quidquid peteret, Christe daturus eras.)

Te

Te præter, Jesu, dixit, nihil amplius opto,
  Tu merces operis, tuque laboris eris.
O prudens votum! nihil hic petiisse videtur,
  Sed tamen hoc majus poscere non poterat.

*De Augustissimo Jesu Nomine Kalend. Januar.*

Urbibus eversis, victisque ex hostibus olim
  Romulei nomen sæpe tulere Duces:
Africa, & Allobroges, Daci, Germania, Cimbri
  Nomina Victori clara dedere suo.
Tu quoque jure tuum, Jesu, tibi Nomen adoptas,
  Illud sed causa pro meliore datur.
Sævitie aliis, Tibi dat clementia Nomen;
  Quando servato Nomen ab Orbe capis.
Quodque illi emerunt alieno sanguine fuso;
  Emptum tu proprio sanguine Nomen habes.

*De eodem.*

Dum novus Annus init Jano resonente Kalendis;
  Olim quæ terris aurea secla ferent.
Christe novus Consul proprio spectabilis ostro
  A te servandi suscipis Orbis onus.
Sanguine mercaris titulos, mercaris honores,
  Et proprium fuso sanguine Nomen emis.
Hinc ego disco, tuum quam sit venerabile Nomen,
  Cum tulerint pretium Nomen, & Orbis idem.

*De eodem.*

Assumit Nomen dum servatoris Jesus,
  Nominis in pretium sanguine terra madet.
Non sat Avis clarum se, nec Davide propinquo
  Credidit, hic tanti ni foret emptus honor.
Discite, quo pretio veri quærantur honores,
  Cum Deus ipse sibi sanguine Nomen emat.

*Puer Jesus inter duo animalia.*
*Parodia ex Martiale.*

Te pius, & supplex, Jesu, quod Asellus adorat,
  Jam rude sit quamvis, tam stolidumque pecus;
Quodque genu tibi Bethleo bos flectit in antro,
  Non est hoc artis, sed pietatis opus.
Hoc illi ut facerent, nullo didicere Magistro:
  Crede mihi Numen sentit uterque tuum.

*De D. Thoma Apostolo.*

Dum tibi confirmant socii vidisse sepulchro
  Egressum Dominum, credere posse negas;
Et fossi lateris nisi tangam vulnera, dicis,
  Vivere defunctum non erit ulla fides;
O Thoma quid ais? profers pugnantia secum
  Verba; quid his verbis stultius esse potest?
Namque fides, poscis dum tangere, destruis ipsam:
  Credere vult, non vult tangere vera fides.

*De eodem.*

Posse alios sanare suo quis crederet ægrum
  Morbo, aut ex tenebris lumen habere diem!
Præstitit hoc Thomas, redivivum credere Christum
  Dum negat, & socios falsa referre putat.
Divini siquidem lateris dum vulnera tangit,
  In nobis firmat, qua caret ipse, fidem.

*De eodem.*

Christi dum tangit redivivi vulnera Thomas,
  Exploratque sacrum dextera jussa latus:
Ingens portentum! dictu mirabile! tacto
  Vulnere convaluit, quæ fuit ægra, fides.

Chri-

*Christus ad Thomam.*

Effossum scrutare latus, quære undique Thoma
Amissam possis si reperire fidem.
Et quoniam illa oculis gaudet velata latere,
Illam tu nostro in pectore quære manu,

*Beatissima Virgo in Templo præsentatur.*

Cœlica vix ternas numerabat pupula messes,
Et patris, & matris pupula dulcis amor.
Linquit utrumque tamen Cœlo invitante Parentem,
Templaque vix hærens gressibus illa petit.
Templa petit, famulamque vovet se Virgo Tonanti,
Sistitque & Domino victima grata suo.
Multa licet sacras oneraverit hactenus aras
Hostia, non tamen hac gratior ulla fuit.

*D. Caroli in egenos liberalitas.*

Dum tibi commissos populos gravis urget egestas,
Exedit atque inopum pallida membra fames:
Una dies tantum tibi, Carole, prodigit auri,
Quanto vel Crassus ditior ipse foret.
Sic tu dum tot opes, tantum largiris & auri,
Ferrea quæ fuerant, aurea secla facis.

*Idem pestilentia laborantibus inservit, nec læditur.*

Dum caput Insubriæ viduaret Civibus Urbem
Dira lues, totas depopulata domos:
Carolus (o pietas!) inter discrimina vitæ
Versatur, vitæ prodigus ipse suæ.
Detque ut opem miseris, mortem contemnit, & audet
In se grassantem sollicitare luem.

Non tamen illa audet sacrum contingere corpus;
A qua, vix tutus, qui fugit, esse solet.
Hoc tamen haud mirum est: cœpit mors ipsa timere,
Cum vires sperni cerneret illa suas.

*Nosce te ipsum.*

Quid fueris, quid sis, quid eris, si sæpe volutes,
Credè mihi, numquam corde superbus eris.

---

# PETRI MYRTEI

## UTINENSIS.



*Alcon.*

MAxima Naiadũ, atque Athesis pulcherrima conjux
Ægle, quæ nitidos flavo lavit amne capillos;
Audierat cari discessum conjugis, & se
Desertam immenso Tiberini Alconis amore,
Mœstaque de nigris lacrimarum flumen ocellis
Deducens, tali implebat liquidum aëra voce.
Magne Athesi, & vitâ longe mihi carior ipsa,
Rursus abes? nec te ulla relictæ conjugis urget
Cura? nec incœpto potes unquam absistere cursu?
Tu dulci amplexu magni de partibus anni
Tris abes, & viduo pateris me flere cubili
Nequicquam optantem tardos absentis amores;
Quare ego (nam sedet altè infixa injuria menti
Ista meæ) magni repeto monumenta doloris.
Te sine ver placidum, sine te mihi præterit æstas
Sole rubens, gravidaque autumnus pomifer alvo:
Et modo te volvens flavas Tiberinus arenas
Excepit, strictis modo tristior ensibus Ister.

Nec

Nec tamen id tantum dolui, quantum ægra laboro,
Nunc te hieme in mediâ, & gelido procul esse Decembri;
Pastores externi optatâ in pace fruuntur.
Ah nimium peccas Athesi, dum te trahit Alcon,
Et patriam dilectam, & amantem deseris Æglen;
Deseris & lævi semper labentia musco
Antra, quibus centum tibi Naiades & tibi Nymphæ
Centum aliæ, natæ Musis & Apolline ludunt.
Sed quid ego aut Nymphas memoro, aut mea damna re- (volvo?
Forsitan Hadriacis de fluctibus altera conjux,
Vel Nereum mentita patrem, vel Protea magnum,
Lecta tibi, & scopulo tecum luctatur aperto.
Forsitan illecebras omnes, tibi munera mille,
Divitis illa parat regni, conchylia mille,
Mille tenendi artes; nec tu discedere curas.
At non muneribus superat me Nereis: amne
Sunt tibi de vivo lecti, mea munera, pisces.
Est tibi de soceri nitidâ grave pondus arenâ
Argenti: neque, si placeant, conchylia deerunt.
Ah ne aliqua excipiat pelago, sævisque procellis;
Illudatve tibi mendaci carmine Seiren!
Ah ne, cum te Neptunus pater ire per altum
Viderit, atque tuum ex humero pendere tridentem,
Invideat, nec te tali dignetur honore.
Hæc ego, quæ toto te animo, te pectore toto
Excepi, dilecte Athesi, timeo omnia: namque
Sæpe suum invidia effundit tristissima virus
Immiscetque graves violis beneolentibus herbas.
Credo etiam ille, suo mecum si certet amore
Alcon, concedat facile mihi: tu tamen illum
Crudelis sequeris; & sola relinquitur Ægle;
Linquitur & mecum, quondam tibi filia grata,
Perlina: quæ latè diductis murmurat undis;
Exiguoque tuam rivo perlabitur urbem.
Quod tibi siqua manet pietas, si conjugis ulla,
Ulla tibi natæ cura est, si munera tantum
Nostra valent, quantum Neptuni cærula regna?
Huc Athesi propera, & mihi tantum absterge dolorem.
Sic

Sic pater æternum te diligat Appenninus:
Sic nimboso humero tibi serviat arduus Ochra.

*Ad Paulum Jovium.*

Non parum teneor, Jovi, disertis
Istis historiæ tuæ libellis;
Non parum capior tuis tabellis
Pictis artificum manu eruditâ.
Sed verum fateor meo sodali,
Et quidem ex animo, ut decet sodalem;
Gratâ multò habeor mage a catenâ.
O Jovi, Jovi, habes me; habes puto, & scis
Quidnam dicere nunc volo, medullis
Quod me cogit ab intimis libellos
Omnes negligere; & omnium tabellas:
Non tuas modo cum tuis, sed omnes,
Sed meipsum quoque, quod magis dolendum est.

*In Adonin.*

Ah, ne Aquilo eripiat mihi te; ah ne bruma colorem
Extinguat, labra hæc purpurea abde puer. (mi
Ah ne Aquilo potius tibi me, ah ne bruma animam hanc
Eripiat, labra hæc purpurea abde puer.
Id timeo quia amo te, amo me: sed si improba fata
Hoc tulerint, facite ô dii sequar ipse animam.

*Ad Bernardum Xanthium, Episc. Aquilejensem.*

Te quamvis foveant toro jacentem,
Xanthi, vellera delicatiora
His quæ molle Tarentum ovesque Marsæ
Mittunt pectine seligenda docto,
Non credo tamen excitare somnum
Tibi, quàm mihi, posse dulciorem.
Nam tu dum meditaris altiores
Tam dilectæ Aquilæ tibi volatus,

In-

Insomnes agis inquietus horas,
Et per non tacitum cubile ferris.
At me vilior hispidæ capellæ
Lana, nunc reliquis laboriosis
Curis explicitum acquiesse Musis,
Et vos, dico, odium & valete curæ.

*Tumulus Bartoli.*

Hic est Bartolus ille Juris ingens
Lux & commodus explicator: hic est
Quem mors ante diem abstulit maligna.
Heu mors invida & ævo iniqua nostro,
Quæ leges iterum jacere cogis.

*Tumulus Ambrosii Monachi.*

Viximus ambrosia, sed enim concessimus Orco:
Nunc iterum cœlo redditur Ambrosia.

*De Philelphi certamine cum Timotheo Græculo.*

Numquid sat tibi non fuit Philelphe
Linguæ gloria nobilis Latinæ,
Ni græcas quoque pervagatus urbes
Dignus conjuge nuptiisque Græcis
Ferres Timothei novum triumphum.
Cui dum una super ille dictione
Tecum pignore certat, atque barbam
Abradi sibi ferre pollicetur
Victus, aut positam pecuniam abs te
Victor auferat, abnegasti eadem
Barbam posse pecunia obtinere
Victor: atque novacula expedita
Barbam illius habere maluisti.
Jam nunc non tali Philelphe, sed sis
Græcæ gloria nobilis palæstræ.

*De villa Nicolai Perotti.*

In villâ Fugicurâ obit Perotus.
O villam nimis & nimis beatam!
Quæ viventis heri levare curas
Posset, nunc cineres tenet sepulti.
O villâ dominum beatiorem,
Cui curas moriens reliquit omnes.

*De Laurentio Medice, literarum patre.*

Occidit ut fato Medices Laurentius, ora
Convertens in sollicitas Florentia Musas,
Dixit: abite, aliud vobis nunc quærite tectum.
Cui Musæ: hospitium nos sanè perdimus, usquam
Quærendum; sed tu Medice Florentia rapto,
Amissum invenies nusquam: quin desinis ipsa
Esse illud decus; & Latii Florentia lumen.
Nos erimus Musæ: tum si quid nostra parente
Ab Jove dat pietas sperare, videbimus ullo
Tempore post heroa Deorum in sede suprema
Immortalem, alti nutu Jovis, astra regentem.

*Epitaph. Joviani Pontani.*

Qui vos Sidera clara, citriosque
Flores, Hesperidum hortulis virentes
Versibus cecinit laboriosis,
Pontano date, sidera alma, lymphas:
Vos Horti date serta, quæ sepulchrum
Ornent perpetuò cadente flore,
Spargant perpetuò fluente rore.

*Epit. Petri Criniti.*

Priscos Poëtas vivere
Crinite, dum doces, obis.
Ergo tibi superstites

Debent poëtæ non minus.
Ipse amplius nihil volens
Debere, dono carmine
Hoc te sepulchro conditum.

*Tumulus Hieronymi Donati.*

Donate, Divum munera
Fudisti ut orbi nectaris;
Quantumque manat gratiæ
Divino ab ore cœlitum;
Servasti & exul patriam,
Diis restitutus denuo;
Orbi querenti deseris
Nil præter ossa & lacrimas.

*Tumulus Antonii Nebrissensis.*

Me putat æternùm saxo posuisse sub imo,
Acerba mors, & fallitur,
Non ingrata etenim mea gens volitare per ora
Dat, & per oras omnium.
Hæc mihi pro reduci studio Latiisque Camœnis,
Certè trophæum non minus,
Quàm tibi pro Mauris debet, Fernande, fugatis,
Et pro recepta Bætica.

*Tumulus Pomponii Gaurici.*

Ibat Gauricus ad suos amores,
Sed diis haud potuit suos amores
Uti Gauricus: abstulere fata:
Verùm nulla manet sepulchri imago.
Namque, quòd coluit pari labore
Musas & Venerem; vel à Camœnis
Raptus creditur in juga alta montis,
Qui imminet Stabias super vetustas;
Vel pulchræ Veneri datus sacerdos,
Tyrrheni maris in sinum profundum.

*Tumulus Benedicti Lampridii Cremonensis, Mantuæ mortui.*

Ergo ego, nobilium ô genitrix atque hospita vatum
Mantua, quod nimium vicina Cremona Maroni
Obfuerit, solus pœnas abs te ipse reposcor?
Ille soli tantum damnum tulit: ast ego de te,
Mantua, deque tuo meritus bene principe, carâ
Pro patriâ & vitam & cineres tibi reddere cogor.

*Tumulus Jo: Bocacii.*

Si quæram cineres tuos Bocaci,
Hic jacent: si animam, petivit astra:
Si quæ gloria sit tuis libellis
Major, non ego, Lydiusve linguæ
Cultor patriæ, & æmulus Latinæ:
Sed judex erit, aut jocis Cupido;
Aut gaudens facili Venus loquelâ;
Aut quem dicere malo totus orbis;
Cui vivunt Veneres Cupidinesque:
Quibus cultior est tuus libellus,
Elegantior omnibus libellis.

*Tumulus Pogii.*

Olim Pierides, olim Florentia mater,
Vivente risit Pogio.
Nunc tumulum hunc adit, & donum, pro carmine, flores
Fert, proque risu lacrimas.
Quæ nisi pro verâ sat sint pietate, rogabit
Amnus ministret ut suas.

*In obitum Philippi Beroaldi.*

Sæpe novos linguæ mirata Bononia flores,
Non alios legit quàm, Beroalde, tuos.

Quo

Quo nunc amisso, languent cum floribus horti;
Et flet delicias ad tumulum illa tuas.

*De morte Andreæ Maronis.*

Postquam secundum publica abstulit clades
Maronem, & urnâ caruit infelix, campis
Quæsitus Elysiis, nec inventus Musis:
Phœbus furoris nam minister illius,
Quo carmen edere inclitum Maro suerat,
Inter Sibyllas rapuit, æternum ut vivat.

*De Jo: Mario Catanæo.*

Vide, viator, quanta jactura occulti
Esset sepulchri, ni ingeni sui claris
Perenníoribusque monumentis tectus
Adhuc ubique viveret Catanæus.



# NALDI DE NALDIS FLORENTINI,

*Ad Petrum Medicem in obitu Magni Cosmi ejus Genitoris, qui vere dum vixit optimus, Parens Patriæ, cognominatus fuit.*

Ergo quis infandum possit narrare dolorem?
  Quis possit lacrimas explicuisse graves?
Quæ mihi, quæ possit carmen spirare Dearum;
  Dum gravis affligit pectora nostra dolor?
Dumque adeo Medicis lugemus funera Cosmi,
  Natus ut extincti tristia busta patris.
Quum nova præsertim quæ jam dictare solebant
  Vatibus Aonio verba notanda pede,
Nunc etiam nigra squallescant veste Camœnæ,
  Et solvant tristes in sua colla comas.
Cum graviter Phœbus casu concussus acerbo
  Dicatur mœsta conticuisse lyra.
Nam neque Sylvani tantum te Cosme Quirites
  Extinctum lacrimis condoluere suis.
Sed superi, quorum lugendi rarior usus,
  Et procul a tristi vivere mœstitia.
Quod bene de cunctis adeo si Cosme fuisti
  Promeritus, vita dum fruerere pia;
Ut sua nunc mœstis tundentes pectora palmis,
  Heu mortis doleant fata severa tuæ.
Non precor e nostro discedat corpore luctus,
  Aut sim præcipuæ conditionis ego,

Hoc

Hoc precor, usque adeo laxentur membra dolore
  Ut pateat stupido pectore vocis iter.
Qua liceat mœsto dum fundimus ore querelas,
  Fortunæ miseras condoluisse vices,
Qua liceat patriæ dum datur justa parenti,
  Tristia flebiliter publica damna queri.
Tempus erat Titan quo fervida signa per orbem
  Altior Herculei terga Leonis adit.
Cum prope jam positus supremo in limine vitæ
  Senserat extremum Cosmus adesse diem.
Ergo non vanos metuens in morte dolores
  Inscia quos hominum turba timere solet,
Sed constans veluti qui dudum certus eundi
  Sidereas cuperet nempe redire domos.
Advocat hic natum, qui verba extrema parentis
  Audiat; heu levibus non referenda modis.
Qui simul accitus monitis gravioribus, ille
  Divini subiit ora verenda patris.
Naturam nivei Medices imitatus oloris
  Suprema moriens talia voce dedit.
Si morbus gravior tristi vitiata senecta
  Corpora nostra vetat vivere posse diu;
Te precor, ut nostri tales de pectore curas,
  Et medicam mittas, quam Petre quæris, opem.
Nec tu Parcarum durum contende tenorem
  Humanis unquam flectere consiliis:
Nam me fata vocant, video, nam Juppiter ipse
  Me jubet humanas deseruisse vices.
Non invitus eo, nec me mortalia tangunt
  Vota, nec est vitæ jam mihi cura meæ.
Humanas pridem meditor deponere curas;
  Et procul humano me removere gradu,
Corporis ut cæcis tenebris vinclisque solutis
  Extremum valeam carpere mente bonum.
Quo facere id possim, curas tu, nate, paternas
  Suscipe, sunt humeris pondera digna tuis.
Quarum nulla magis me me nunc urget euntem,
  Nec magis ingenium degravat ulla meum.

Quam

Quam me, quæ semper vita mihi carior ipsa
Extitit heu patriam linquere, nate, piam.
Quod te per geminos tua pignora cara nepotes
Oroque perque meum, Petre, senile caput.
Ardenti ut studio Lydos tueare penates,
Et procul infesto semper ab hoste tegas.
Et quæ nunc multos est jam ferrata per annos
Florentis placidus ocia pacis ames.
Concordes moneo semper complectere cives,
Et quibus est Patriæ maxima cura suæ.
His precor, ut sociis Etrusci fræna Leonis
In rectum semper flectere, nate, velis.
Nec tu justitiæ monitus contemne severos,
Dum statues ubi libera jura tuæ.
Namque potes diros populi vitare tumultus,
Hac duce dum meritus quemque tuetur honos.
Quin ubi te justis urbes populique videbunt
Legibus Etruscas instituisse domos.
Undique convenient ad te, mi nate frequentes,
Qui rebus cupient consuluisse suis.
O quam conspicies hanc urbem, qualia cernes
Tempore Lydorum surgere regna brevi!
Cum tibi vel reges potius parere monenti,
Quam reliquis mores imposuisse volent.
Hic ego si tenues fuero dilapsus in auras,
Ut nequeam sedes, nate, videre novas.
Attamen Etrusci gaudebo ut regna Leonis
Accipiam monitis aucta fuisse tuis.
Nam me quæ tenuit vivum tellure repostum
Suscipiet patriæ maxima cura meæ.
Jamque vale; & nostrum pompis ornare sepulchrum
Desine! quod terra est, fac quoque terra tegat.
Vix ea finierat, cum fama accita sinistra
Advenit huc celeri patria mœsta gradu.
Namque suburbanum quod te tum Cosme tenebat,
Casibus accessit exagitatu novis.
Ergo ubi jam subiit Medicis penetralia magni,
Atque patrem vidit filia mœsta pium.

Tri-

Tristibus extemplo Cosmum complectitur ulnis,
  Effundens querulis verba dolenda modis.
Quis me, quis miseram genitor carissime natam,
  Quis me, quis sine te, vivere posse putet?
Cui modo, si moreris, cuinam deserta relinquar,
  Aut quonam potero me refovere sinu?
Quid vos fata juvat sævissima numina tristi
  Funere divinum sic temerare patrem?
An quoque quod sacrum est audetis tollere, Parcæ,
  Nec pudor est sanctos perdere morte viros?
Quin ego crediderim mortem tibi posse parari
  Juppiter & nigros posse subire rogos.
Si modo si Medices superum dignatus honore,
  E nostro trahitur in cava busta sinu.
Dixerat, & lateri posthæc affixa paterno,
  Non oculos usquam dimovet illa suos.
Et modo defessi permulcet membra parentis,
  Et modo dat canis oscula mœsta genis.
Interdum sævam tentat si flectere mortem,
  Aut lacrimis posset vincere fata piis.
Ast ubi tot cernit precibus nil fata moveri,
  Aspera sed cursum continuare gravem.
Quod superest, cari morientia lumina Patris
  Cogitat heu tristi composuisse manu.
Sed nequit infelix subitis exterrita monstris
  Officium patri reddere nata pio.
Namque ubi perspexit gelidos miserabilis artus
  Extremis Cosmum deseruisse rogis.
Heu gelidum magno pectus stupefacta dolore
  Concidit in patrios exanimata sinus.
Post ubi jam stimulis urgens gravioribus, illi
  Excussit stupidæ languida membra dolor.
Consurgit pugnis pectus percussa decorum,
  Et lacrimis mœstas irrigat usque genas.
Hinc magnum subitis Cœlum clamoribus implet,
  Dum vocat extinctum patria mœsta patrem.
Quis te, care pater, sævus mihi casus ademit,
  Quæ potuit sacrum vis temerare caput?

Quis

Quis te, quis nobis invidit, Cosme, Deorum,
Aut quæ te rapuit livida Parca mihi?
Cui tantum de te concessum Cosme, quis ausus
Æternum tristi perdere morte virum?
An passa est rerum natura extinguere Cosmum?
Ah potuit tantum sustuluisse nefas?
Ut modo sustulerit tali quem forte creatum
Ipsa quidem summa finxerat arcis ope.
Esset ut in terris aliquis qui mente valeret
Divina superos æquiparare Deos.
Cui foret in cunctis ea mens præsaga futuri,
Qui foret aut tali præditus ingenio;
Ut nihil instaret dubium mortalibus usquam
Quin hic non acie cerneret ante gravi:
Hinc igitur quotiens olim te Cosme videbam
Insigni egregios arte præire viros.
Dum tua consiliis peterent oracla futuris
Undique vel summi turba verenda duces.
Verius & posthæc a te responsa referrent
Quam possint ulli reddere illa Deo:
Non ego credebam, ut sic mors inferne per ævum
Auderet nigras in tua terga manus.
Sed te divina victurum sorte putabam,
Aurea dum geminus pasceret astra polus.
Nunc moreris, nec me tecum trahis ipse volentem,
Nec sinis in sortem Cosme venire tuam.
Heu quibus inveniam te nunc pater optime terris,
Aut ubi qui pariter me colat alter erit?
Quid primum deserta querar, quis damna rependet
Talia? Fesuleas temperet arte domos?
Unus enim nostras penitus quæcunque finissent
Sive gerenda domi, sive gerenda foris.
Sæpe alias quamvis divino in pectore virtus
Laudibus eluxit concelebranda novis.
Hoc tamen egregias Medicis cognovimus artes
Tempore quo Lydos presserat ipse furor.
In mea cum misceri sævirent viscera cives,
Cum timui socias in mea damna manus.

Passus

Passus es antiquas nimirum linquere sedes,
In me ne videas vertier arma pater.
Cum saperes diro cessisti, Cosme, furori,
Non veritus caros deseruisse lares.
Ne tu si contra contendas viribus, ipsum
Cresceret alterna seditione malum.
Tum si fata mihi tandem meliora venirent,
Restares patriæ spesque salusque tuæ.
Sic postquam precibus per me revocaris honestis,
Publica res Medicæ noscat ut artis opem.
Heu nostris humeris suffultus, Cosme, redisti.
Quanto candidior hac fuit illa dies.
Ast ubi compositos Medicum virtute Quirites
Maximus in placida pace revinxit amor.
Ex illo semper Medices tibi maxima cordi
Cura fuit Tuscum surgeret ut imperium.
Hinc memini summas dum rerum flectis habenas
Dumque doces Lydos candida jura patres.
Insubris e laribus nostris horrenda Philippi
Agmina consiliis pulsa fuere novis.
Viribus antiquum cum Piccinine Mucellum
Sub juga credebat posse venire tuis.
Nam licet hoc ipsi trepidarent tempore cives,
Dum timor insolitos vertit in arma viros.
Constanti Medices a cunctis pectore Cosmus
Civibus ingentem jussit abire metum.
Atque suis tandem melius confidere rebus
Dum monet, hostiles pellere ab urbe minas.
Donec in Anglari Piccinus valle subactus
Cœpit conflictus in sua damna graves.
Singula sed referam quid nunc bène gesta parentis?
An premat ut gravius pectora nostra dolor?
Sed premat usque licet, moriar prius ipsa necesse est
Præstita quam taceam, candide Cosme, tua.
Tu nostris Calabrum propulsas mœnibus hostem,
Tu Lusitani fortia castra ducis.
Sicque graves casus, & summa pericula summis
Vitabat studiis Tuscia prisca tuis.

Urbe quod in tota non te divinius unquam
  Consilium patriæ qui daret ullus erat.
Acrius ingenio te nullus, Cosme, videbat
  Tempore vel dubio quæ faciunda forent.
Ergo ferox Arago cum Lydos forte Quirites
  Fideret insolito posse domare jugo.
Consilio tantum, tantum pietate fideque
  Publica res per te constabilita fuit.
Ut Calaber Tusca pulsus virtute tyrannus
  Inceptis caderet turpiter ille suis.
Nec satis est acies procul hinc fudisse molestas,
  Hosti aut Fesuleas eripuisse domos.
Quod mihi perpetuos dempsisti, Cosme, timores
  Inspice quas vires patrius ardor habet.
Inspice quo Medices nostri succensus amore,
  Æternas Tusca pellat ab urbe minas.
Ne quis enim Lydos auderet forte Quirites
  Viribus interdum sollicitare novis.
Cum duce Bebriaco fœdus contraxit amicum,
  Civibus Etruscis quod violare nefas.
Cum meminisset enim qua Gallus mente Philippus
  Sæpius indixit bella gerenda mihi.
Utque suis cuperet Lydum d muisse leonem,
  Viribus & Tuscos diripuisse lares.
Cum bene novisset posthæc te maxime rerum
  Sfortia militibus consuluisse meis.
Quantaque præterea constanti e pectore virtus
  Surgeret & quantum mens agitaret opus.
In me ne posset Ligurum sævire tyrannus
  Amplius ingenio prospicit ille gravi.
Inde videt monitis etiam conatus honestis
  Ne desint merito præmia digna viro.
Nam tibi Cæsareas cum forti e pectore vires
  Cerneret in bellis enituisse novis.
Ut posses armis summos sperare triumphos
  Fortibus & priscos æquiparare duces.
Ni te deficiant comites qui forte ministrent
  Sfortia virtuti commoda quæque tuæ.

Non cessat Medices opibus contendere magnis,
Non cessat vires accumulare tuas.
Sic dum consilio Medicum suffultus & auro
Expugnas populis mœnia sæva meis.
Insubris imperio quondam subjecta Philippi
Tradita sunt merito Gallica regna tibi.
Hinc me majori jam tum pietate tueris,
Hinc manet in socio major amore fides.
In me quum princeps odiis agitatus iniquis
Antiquus ruerit in mea damna ferox.
Nec tamen heu sævam potuerunt pellere mortem
Tot merita in patriam, Cosme benigne, tuam.
Quæ cum sint, aderit quisquam, qui lumina nostra
Perpetuis lacrimis posse carere putet?
Adde huc optatæ per te tot commoda pacis,
Adde huc & nati munera tanta tui.
Nam cum pauca mihi veteris vestigia belli
Restarent Medica fræna tenente domo.
Cum Veneti Tuscam cuperent turbare quietem,
Cum raperet nostros Appulus hostis agros.
Mittitur in fœdus Cosmi genitoris alumnus.
Comprimat ut motus Mars violente tuos.
Qualis enim notam generoso e pectore virtus
Quam similis Cosmo surgeret illa patri.
Nec spes destituit dum tantæ pondera molis
Sustinet, atque iras temperat arte graves.
Dum Petrus egregiam percusso fœdere pacem
E Veneto rediens attulit ille sinu.
Sic nati virtute nova, virtute parentis,
Tradita sunt Italis ocia tanta viris.
Ast ubi me diris jactatum sæpe procellis
Accipit in tutos mollior aura sinus.
Erigis auratos, insignis Cosme, penates,
Ut vetus Etrusca crescat in urbe decus.
Hinc in honore Deum cunctos celebranda per annos
Condita sunt opibus candida templa tuis,
Candida Fesuleis templa hæc suffulta columnis,
Quæ sint ingenii signa notanda pii.

Nam quicumque novas ſpectavit protinus ædes
  Quas addis ſacræ, candide Coſme, Cruci.
Quique Pio Marci constructum nomine templum
  Viderit aut cameris atria longa novis.
Laurenti cernet nitidum quicumque lacunar
  Auratas tecto verſicolore trabes.
Aut Canonum ſurgens templum ſedemque ſacratam
  Viſat ubi pulchro fornice tecta mitent.
Aſſeret hic dudum qui jam tot templa, tot ædes
  Ingenti Medicum condidit ære ſacras.
In terris olim nulli pietate ſecundus
  Extitit aut ſuperum relligione Deum.
Nec tegit hæc pietas Coſmum; tot ſacra colenti
  Improba mors nigras intulit ecce manus.
Nec juvat heu doctas ſemper coluiſſe Camænas,
  Illarumque choris uſque fuiſſe ducem.
Nam quicumque ſacram ſperans libare liquorem
  Optabat vitreo ſpargere fonte caput.
Te duce Cyrrchas hinc eſt deductus in oras,
  Votaque complevit te duce, Coſme, pia,
Quidquid enim Medices uni tibi forte placebat,
  Quidquid & ingenium ſanxerat inde tuum.
Hoc alacres etiam Nyſæ ſub vertice Muſæ
  Numine firmarunt tempus in omne ſuo.
Quo te non patrii tantum dixere poëtæ
  Qui cuperent frondes carpere, Coſme, ſacras,
Sed quoque Bebriaci divino carmine vates,
  Sed quoque te Latii concinuere viri.
Qualia Pierias tentabant gaudia mentes,
  Qualia Caſtalii pectora ſancta Dei;
Bellerophonteas cum te ductante cohortes
  Spectarent auctos ex Helicone choros!
Nunc mecum heu lugent communia damna querel
  Communemque dolent numina mœſta patrem.
Nec tantum Cæſar qui feſſas dicitur omnes
  In placido Muſas continuiſſe ſinu;
Ad lacrimas movit divarum lumina quondam,
  Dum ſubit extremos morte jubente rogos.

Nunc

Nunc Medices quantum fato correptus iniquo
In fletum mœstas compulit ire Deas.
Et merito: quis enim Latiis erat alter in oris
Qui daret heu doctis munera tanta viris?
Numquis erat, Medices, qui non donatus abiret,
Nomine qui ferret scripta legenda tuo?
Ille domum de te suscepit, Cosme, laremque,
Hic etiam de te prædia læta tulit.
Divitiis alius Medicum ditatus & auro
Invenit ingenio qualia dona suo!
Quid referam summo quos es dignatus honore?
Aut duce te summum qui tenuere gradum?
Enumerare mora est quot jam dum præmia dignis
Digna paras, artes edidicere bonas.
Hinc oratores, hinc sunt mihi, Cosme, poetæ,
Hinc sunt philosophi, turba verenda, graves.
Sed bona quot nobis tecum modo rapta fuerunt!
Decidimus quanta spe modo, care pater!
Per te jam virgo terris Astræa redibat,
Ut tecum fraudes pelleret illa malas.
Jam mihi jam Medices te consultore redibant
Aurea Saturni secula prisca senis.
Jam fore credebam me tandem, Cosme, quod olim
Cæsaris Augusti tempore Roma fuit.
Fallor, at infelix fatis confixa malignis,
Fallor ut in lacrimis tempora longa teram.
Nam mihi quæ veniat sine te modo, Cosme, voluptas?
Pectora quid sine te nostra juvare queat?
Quid prodest placida quod per te pace fruamur,
Quidve juvant populos ocia tanta meos?
Si moreris vitæ Medices pars maxima nostræ,
Conspectu si nunc tolleris usque meo.
O saltem exequiis patrium celebrare sepulchrum
Sivisses meritis pignora cara pater!
Hæc aliqua heu nobis solatia Cosme fuissent,
Hæc poterant luctu membra levare gravi.
At cupidus vitam quem tu servaris in omnem
Actibus extremis exhibuisse modum.

Usque vetas ullis efferri funera pompis,
Aut Mausoleo condier illa novo.
Ast ego, quæ nullis astringor legibus usquam,
Libertas, monitis cui data Cosme tuis.
Ipsa quidem tali semper dignabor honore
De te quæ restant maxima facta pater.
Syllana veterum quali dignatus avorum
Non fuit Etruscis alter in urbe meis.
Denique vel qualem Ciceroni Roma rogato
Libera vix uni præbuit ipsa viro.
Namque Pater Patriæ Tusca vocitaberis urbe,
Libera dum populis jura petita dabo,
Hæc tibi dum magnum radiis sol circuit orbem
Constabunt titulis nomina juncta tuis.
Hæc tibi non fatum, non invidiosa vetustas,
Non tibi, longa licet, auferet ulla dies.
Dixerat, & variis tandem confecta querelis
Reiicit in fratrem languida membra Petrum.
Ille sinu accipiens dictis solatur amicis,
Et fessam luctu sublevat inde gravi.
Si visum est Medicem fatis extinguere Cosmum,
Si patre nos privant numina terna sacro.
Niteris in vetitum, nam Ditis busta tenebras
Cum semel intrabunt, janua clausa manet.
Nec revocare datur, cum fuscæ janitor aulæ
Obseret æterna limina dura sera.
Disce igitur querulis jam finem imponere verbis,
Disce tuis lacrimis exhibuisse modum.
Ne tibi, ne dubita desit qui publica curet
Munera, Fesuleas qui regat arte domos.
Nam mandata pater quibus hæc tua damna leventur
Extremis moriens vocibus ipse dedit.
Egregios etiam Tusca de gente Quirites.
Nonne vides plures hic superesse tibi?
En Florentini proceres sanctusque Senatus
Fluctibus en adsunt portus & aura tuis.
Hi licet ing[illegible] vexentur corda dolore,
Et tibi sit luctus maxima causa gravis.

Hic tamen edocti Cosmi virtute parentis,
Te poterunt tantis eripuisse malis.
His igitur ducibus lacrimis conabor ab astis
Ad lætos tandem te revocare gradus.
Annuit illa viro, & quotiens solatia quærit
Ad notos Medicum confugit ipsa lares.

*Ad Braccium Martellum.*

Quid, Bracci, totiens graviter me impellere tentas,
Ut scribam læto carmina læta pede?
Desine me tantum monitis urgere severis,
Desine me verbis cogere, amate, tuis:
Lætos læta decent; me caræ fata puellæ
Æterna cogunt vivere mœstitia.
Nunc elegi heu nimium nostris sunt fletibus apti:
Nunc dolor inde gravis flebile carmen amat.
An ego non miseris obtundam cuncta querelis?
An mihi non lacrimæ fluminis instar eant?
Cum quæ sola mihi tantum dilecta fuisset,
Unica nec quantum pignora mater amat,
Me miserum! ante diem fato prærepta nefando
Liquerit in tantis Alba pudica malis.
Sic ubi mors nitidos extinxit tristis ocellos,
Luce magis solis qui nituere mihi.
Perpetuis lacrimans versabor amice tenebris,
Et miser in luctu tempora longa teram.
Ut Phaëtontiadum fuerint quæ fata sororum,
Dum fratrem lugent nocte dieque pium;
Nunc eadem timeam nimium crudelia nobis,
Umbris dum dominæ mittimus inferias.
Ast hunc si quando possim sedare dolorem,
Aut aliquem lacrimis imposuisse modum;
Tunc ego non dubitem quidvis, Martelle, quod urges
Ludere, jam totiens vota perita tibi.
Namque canam (placidum sic sit habiturus amorem,
Annuat optatis sic Cytherea tuis)

Ut Florentinas præstat candore puellas,
  Quæ sola ingenium est digna subire tuum;
Nec tantum tulerit quas nostri temporis ætas,
  Sed facile priscas vincat ut illa nurus.
Ausim quin etiam formis præferre Dearum,
  Vidit in Idæa quas male valle Paris.
Nam si visa foret superis hæc mixta figuris,
  Cum grave judicium de tribus ille tulit;
Diceret hanc Divas forma vicisse supremas;
  Diceret & Veneri: vinceris, alma Venus.
Æquo sic animo præferri passa fuisset,
  Judicio cedens hanc Dea quæque sibi.
Ex quo non ira in spretas cecidisset acerba,
  Judice nec Phrygio numina læta forent:
Nec patriæ turpis gravius nocuisset adulter,
  Per mare dum munus exitiale petit.
Non Helene Paridi nimium placuisset iniquo,
  Dum jus hospitii frangeret ille sacri.
Nec Juno in Teucros movisset bella Pelasgûm,
  Sed staret Priami regia celsa senis.
Neve Hecube miseræ præberet tristia vitæ
  Exempla, rabido facta dolore canis.
Sic odio dignus quanto fuit ante, malorum
  Tam gravium Teucris causa nefanda Paris;
Egregiæ tantum laudis Marietta tulisset,
  Non belli, at pacis causa futura bonæ.

*Ad Annalenam feminam castissimam.*

Surge liber; nigram tristis nunc indue vestem;
  Namque color lacrimis convenit ille tuis.
Vade: dolor si te jam nunc sinat ire nefandus
  Quem capis: atque Annæ casta sacella pete.
Tu tamen hic dubius ne sis, aut inscius erres,
  Huc iter ista tibi signa notanda dabunt.
Invenies pontem, qui tertius imminet undis,
  Quas Arnus placidis in mare volvit aquis.

Fesuleis surgunt post, quæ suffulta columnis
Candida templa petes, Spirituamque domum.
Hunc a fronte locum quo mitteris inde videbis,
Est modo qui gradibus meta futura tuis.
Veneris huc postquam, primum prece numen adora,
Quod sibi præcipuum casta sacella colunt.
Hinc ubi conversus pulsaverit ostia solers,
Quæ tibi prima domûs interioris erunt.
Ostia pulsanti custos reserabit amicus,
Namque patet castis protinus ille locus.
Atria jam subiens cernes loca digna videri
Plurima, te quorum non remoretur amor,
Quominus Annalenam, liber, hanc mœstissime visas,
Quæ gravis accessûs est tibi causa tui.
Vestales quamquam spectabis in ordine castas,
Fundentes sacras in sua vota preces;
Invenias licet ipse locum, qua parte fuisset
Hæc tibi, quæ lacrimas suggeret usque graves.
Sed puto non facies, nam sunt graviora fatemur
Hæc præcepta, damus quæ tibi parve liber.
Te nihil heu poterit, video, retinere ruentem,
Quo minus hunc adeas, inspiciasve locum;
Quo minus hæc miseris implens loca questibus amens
Effundas querulis verba dolenda modis.
Parcius ista tamen, linguis quia forte favendum
Est ibi, tu facies parcius ista tamen.
Cum dederis lacrimas nullis clamoribus actas,
Impleerit tacitus cum tibi corda dolor;
Annalenam properans adeas, dominamque salutes,
Si dare qua careas, mœste, salute queas.
Hanc ubi convenies sacrata in sede locatam,
Quæ tibi divini numinis instar erit;
Dic quo consilio, quibus aut rationibus actus
Viseris hanc, vel sit quæ tibi causa viæ.
Dic age, sed vultu qualem decet illius esse,
Qui miser in lacrimis tempora longa terat.
Dic, liber, Albieram sic te doluisse cadentem,
Dum ruit heu fatis rapta puella malis;

Ut

Ut nihil acciderit quondam tibi tristius usquam,
Nec sit quod gravius pertimuisse queas.
Ut Phaëtontiadum fuerint quæ dura sororum,
Hæc eadem possis fata timere, liber.
Cum tamen hæc ita sint, non est minor ille, supremum,
Sit quamvis sapiens, quem capit Anna dolor.
Dicitur hæc etiam lacrimas fudisse pudicas
Albitiæ fato virginis acta gravi.
Nec mirum, sic Anna piam dilexit alumnam,
Pignora sola velut anxia mater amat.
Hanc ubi sis igitur sacro veneratus honore,
Insuper hæc illi pauca, sed apta, refer.
Non ego te, mater, jubeo deponere curas,
Quas tam legitimo victa dolore geris.
Hæc tantum facienda putes nunc, Anna, rogabo,
Quæ facienda tamen sunt quoque visa mihi;
Ut tantum spatii tribuamus uterque dolori,
Et tantus nostris sit modus ut lacrimis,
Illius ut memores solitum servemus amorem,
Hanc ut uterque prius, nunc & uterque colat.
Tu precibus sacrum castis augebis honorem,
Et quem pro meritis nuper adepta fuit.
Ast ego quæ totum fuerint celebranda per orbem,
Illius in nomen carmina sancta canam.
Sic ea te superis melior duce fiet in oris,
Vivet & hic numeris aurea facta meis.

*Eulogium in Albieram Albitiam morientem, ad Sigismundum Stuphiam ejus Sponsum.*

Huc quæcumque tenes Arni vada fluminis, aut quæ
Incolis Etruscas, Nympha pudica, domos,
Et quæcumque piæ mores imitata Dianæ
Prosequeris castos per juga summa choros;
Huc precor, ut venias, pectus percussa decorum,
Et manibus mœstas dilaniata comas.
Namque Fluentinis formosior una puellis
Occidit, Albitiæ fama decusque domus.

Occidit Albieræ fato pia forma nefando;
 Cura patri misero, cura dolenda viro.
Nec fuit indignum sævissima numina, Parcæ,
 Illius heu plenas sic laceraſſe colos?
Vix hæc infelix vitæ tria lustra peregit,
 Cum cecidit sævæ facta rapina neci.
Profuit Albitiæ nil optima forma puellæ,
 Qua poterat superas urere pulchra Deas.
Ah quotiens doliturа nefas Venus aurea dixit:
 Illa Cupidinibus altera mater erat.
Quid juvat ingenium? variis quid lingua figuris?
 Pallada quid prodest mille referre modis?
Quidve pudicitiam penitus servaſſe? quid aureis
 Moribus Etruscas exsuperaſſe nurus?
Optima quæque rapit tollens tria Cerberus ora;
 Deterius numeris prævalet omne suis.
Flos erat, ipsa cadit, moriturque Polyxena virgo
 Jam sene tam miserum matre vidente nefas.
Interpres superûm cecidit Cassandra Deorum:
 Delirans Hecube nuncque superstes erat.
Quid referam patris pro te, quid vota mariti?
 Plura licet fuerint, nil valuiſſe tamen.
Atra dies aderat vitæ tibi terminus esse,
 Fortibus illa quidem sæpe tremenda viris.
Jam stabat vacuâque colo Dea de tribus una,
 Ut secet auratas livida Parca comas.
Cum solata virum, cum tu solata parentem
 Intrepidis loqueris talia verba modis:
Sancte quid heu conjunx, lacrimas ita fundis acerbas?
 Quid, pater, ingeminans, verba dolenda refers?
Tristia quæ vitæ disrumpit stamina Clotho,
 Non audit miseras invidiosa preces.
Illa proterva magis, semper magis improba sævit,
 Quo magis est meritis exagitata piis.
Neve quod illa manus mihi nunc inferre moratur,
 Id facit a verbis Parca retenta bonis;
Sed quia Saturni superis expectat ab oris
 Improba dent nobis tristia signa dari.

Que

Quæ simul accipiet, non me remorabitur hora,
Lurida sed nigras inferet illa manus.
Non genus Albitiam, talis neque gratia formæ,
Qualem spectatis, proderit ulla mihi.
Non decus heu famæ, non vita pudica, nec ætas
Me queat e nigris eripuisse rogis.
Nil, Sismunde, tibi fuerim quod sponsa, juvabit;
Me tua defendet mutua cura nihil.
Nil prodesse queat cari mihi cura parentis,
Is licet assiduo corda dolore premat.
Proderit haud populus faciens mihi vota benignus,
Vota procellosis illa ferenda Notis.
Est calcanda semel cunctis via mortis acerbæ;
Omnibus atra semel styx adeunda palus.
Discite qui statis juvenes, teneræque puellæ,
Terrenis solidum rebus adesse nihil.
Plura locuturæ gelidum mors improba pectus
Occupat, & sævas iniicit usque manus.
Illa graves tollens oculos vix pectore ab imo,
O pater, o conjunx, inquit, amate, vale.
Dixerat, & fatis tandem confecta malignis
Deserit in gelido candida membra thoro.
Hic quos clamores dederit pia turba dolentum,
Musa licet faveat, nemo referre queat.
Nam patris ut fletum gemitus, fletumve mariti,
Utque pius lacrimas fudit uterque pias;
Astabant matres lecto, tristesque puellæ,
Copia carminibus non referenda meis.
Quælibet ac miseris tundentes pectora palmis
Figebant gelidis oscula mœsta genis.
Tractabant aliæ niveum de vertice crinem,
Posset Apollineas qui superare comas.
Atque aliqua ex illis dixit: fera Parca, supremas
Jam potes e medio tollere acerba Deas.
Jam potes in superos tua jura tenere beatos,
Si cecidit manibus sic Dea tanta tuis.
Nam sicut fuerat formosior una Deabus,
Crediderant penitus ne moritura foret.

Hæc cum, Nympha, tibi non exaudita referret,
In nemus Elyſium candida vertis iter.
Huc te mortales nullæ comitantur euntem,
Sed quibus in ſuperas ſunt loca certa domos;
Relligio, Pietas, te ſunt, Chariteſque ſecutæ,
Te decus ingenuum, purpureuſque pudor.
Quid memorem ſanctamque fidem, caramve ſororem,
Dædaleâ lances quæ tenet arte pares?
Teque pudicitiæ decor aureus, aurea ſummæ
Forma venuſtatis rite ſecuta fuit.
His comes irriguos fontes & amœna vireta
Devenies, nuribus prata tenenda piis.
Per Tyberim, Romæ, Matrem quæ ſola Deorum
Traxerat, occurret Claudia priſca tibi.
Illa manu capiens te, per nemus ire docebit
Erudiens cultus caſta puella pios.
Hic expectabis fidum Dea facta maritum,
Mortales donec deſerat ille vices;
Eſt ubi tam triſti fatorum ſorte negatum,
Dum ſuperes, tecum vivat ut ille ſimul;
Sitis ut hic junctis animis, & mente futuri,
Dum ſol occiduas ingredietur aquas.

*Epitaphium Albieræ Albitiæ.*

Quid juvat, Albiera, ingenium, quid forma? quid ætas?
Quid te nobilitas, Albitiumque decus?
Quid te, quod juveni primati ſponſa fuiſſes?
Quidve pudicitiæ cuncta dediſſe piæ?
Ecce jaces, ſubito truncant dum fila ſorores,
Deliciæ patris, deliciæque viri.

*In eamdem.*

Conjuge quid rapta lacrimas, Siſmunde, pudicas
Fundis? ſum vulgo mortua, vivo tibi.

Ad

*Ad Laurentium Lippium.*

Lippus erat priſcus, lyricis cui verſibus olim
Romanus primas uſque daret populus.
Lippius agnomen tibi, nunc quoque carmen eburno
En lyricum plectro muſa benigna dedit.
Quam prope conveniunt igitur tua nomina Lippo,
Tam prope & ingenio ſitis uterque pares.

*Ad Antonium Tridentonem.*

Quam bene conveniunt Muſarum magne ſacerdos,
Priſca Tridentonum nomina clara tibi!
Nam velut æquoreas Neptunus temperat undas,
Utque tridente ſuo commovet acer aquas;
Sic quoque tu, ſeu vis ægros, divine Tridento,
Mortales dulci detinuiſſe lyra;
Seu cupis hos rurſus numeris impellere ad æſtus
Mentis, ad triſtes acrior inde minas;
Id facis egregie; ſic quod Deus ille tridente,
Docte Tridento poteſt, tu potes ingenio.

*Ad Philippum, & Amerigum Corſinos.*

Sunt gemini cœlo fulgentia ſidera fratres,
Quos magna ad cœlum fama tulit celebres;
Hic pugili inſignis palma fuit, alter equeſtri:
Nemoque tantorum viribus æquus erat.
At vos & geminos paribus nunc artibus æquum eſt
Pieria cœli tendere in aſtra via.

*Ad Petrum Cenninum.*

Cum, Petre, quid valeam meditor, penituſque repoſtas
Ingenii vires mente voluto mei;
Sacri non auſim nomen ſperare Poëtæ;
Quum nequeam gracili magna referre lyra.

Sed

Sed tu cum biberis lymphas Helicone petitas,
Doctaque Gorgoneo tinxeris ora lacu;
Ut possis certo quæ mox ventura trahantur
His qui nosse velint, protinus ore loqui,
Suspicor interdum fieri quoque posse, quod augur
Carmine Lesboo vaticinatus ais.
Sed tamen hac illud puto conditione futurum,
Si tibi quod dederit, mî quoque Musa dabit.

*Conqueritur de infelicitate sui natalis.*

Tristia tunc ternæ ducebant pensa Sorores,
Editus in lucem cum miser ipse fui.
Nunc ceptum servant crudelia fata tenorem,
Jactatam ventis fors agit ipsa ratem.
Vix mea bissenos ætas heu viderat annos,
Cum cari extuleram funera acerba patris.
Quin etiam moriens mater mihi maxima cura
Attulit hinc oculis tristia visa meis.
Nec, germane, minus, quam quondam Castora Pollux
Dilexit, fratrem linquis, amate, pium.
Nam miser ante diem morbo præreptus acuto,
Clausisti vitæ vix duo lustra puer.
Præterea res ipsa, malis tutoribus acta,
Urget in angustum pessima sæpe locum.
Ut mihi, dum cupio placidas attingere musas,
Quarum præcipue me modo raptat amor;
Tempora sint curis nunc impendenda molestis,
Fluctibus emergat navis ut acta malis.
Sed postquam fato ducenda est vita severo,
Meque bonis privat fors inimica suis;
Præstabo saltem, ne quis tot casibus unquam
Dicere me victum succubuisse queat.

*Ad Antonium Puccium.*

Puccius, unde tibi deductum nomen avitum,
Clarior unde domus Puccia nomen habet,

Fle-

Flectendis fertur Lydorum doctus habenis
  Egregia multos arte præisse viros.
Ast ubi fatali genuit te sorte creatum
  Puccius, Antoni, spemque decusque tuis;
Accidit, ut quantum vicit pater ipse priores
  Ingenio, tantum viceris inde patrem.
At tu si studeas imitari facta tuorum,
  Et patris ingenium, nate, referre tui;
Atque huc Pierias adjungas protinus artes,
  Ut facis, & quidquid Calliopea monet;
Te, Pucci, nequeant ulli superare nepotes,
  Virtutes possit vincere nemo tuas.

*Ad Titum Strozam, Poëtam insignem.*

Tite, Fluentinæ magnum decus urbis, avitum
  Qui trahis a Stroza nobilitate genus;
Quem nova quod placidæ dederint tibi carmina Musæ,
  Frondibus ornavit pulcher Apollo suis;
Quod fuit Augustum, vates, apud, optime, regem
  Pollio, Mæcenas vatibus ante bonis;
Id precor Estensis mihi sis prope Principis aurem,
  Sic quæcumque cupis fors det amica tibi.

*Epitaphium in Carolum Marsupinum, vatem nobilissimum.*

Ingemuit graviter quondam Parnassia laurus,
  Mæonium rapuit cum fera Parca senem.
Rursus morte tua, vates sanctissime, tantum
  Luxit, ut ex illo cura secunda fores.
Et merito; quoniam Latio tibi ludere plectro,
  Carole, quod potuit Calliopea dedit.



Epi-

*Epitaphium in Philippum Antellam Antistitem Florentinum.*

Hic tuus Antiſtes fuerat, Florentia, quondam,
Romanæ mirus relligionis honos.
Sed dum jura pius ſanctiſſima dicit in omnes,
Et vetat in populo crimen ineſſe ſuo;
Antellæ non clara domus, non ſancta Philippum
Vita poteſt nigris eripuiſſe rogis.

*Epitaphium in Antonium Lucenſem, Medicum inſignem.*

Auctor opis medicæ, medicam cui Cynthius artem,
Cui dedit, ut geminos noſceret arte polos;
Antoni, ratio terræ cui nota fuiſſet,
Qui noſſes numeros, hoc ſitus es tumulo.

*Epitaphium in Antonium Baroncium.*

Cyrrhæis olim ſemper verſatus in oris
Diceris Aonias excoluiſſe Deas.
At dum prima novis modularis carmina nervis,
Antoni, juvenem te rapit atra dies.

*Ad Herculem Eſtenſem.*

Muſa, ubi tu dederis ſolitas in carmina vires,
Et mihi Pieriam mentem ſpiraris, ut ante;
Borſius Eſtenſis cum ſe bonus obtulit ultro,
Carminibus noſtris, divino ex more canendus:
Muſa, velim Tuſcas dubites haud linquere ſedes,
Herculis auratos ſubeas ut, diva, penates.
Poſt ubi regalem venies in principis aulam,
Hæc illi noſtro referes mea nomine dicta:
Urbibus idcirco pia fata dediſſe Liburnis,
Rebus ut Herculeus princeps frueretur avitis,

Ut desiderii ferat hic solatia magni;
Omnibus ecce suis, moriens quod triste reliquit
Borsius Estensis lacrimabile tempus in omnes,
Ni foret Herculeum robur, nisi maxima virtus,
Quæ facit, ut penitus lacrimæ ponantur acerbæ,
Omnibus & lætæ veniant in gaudia mentes.
Hæc ubi dicta viro dederis, qui nomina prisci
Herculis usque refert; latum mea musa per orbem
I, pete, magnanimosque duces, populosque potentes,
Et quoscumque, sua qui sub ditione tenebunt
Urbes & populos latos, gentesque virosque;
Quos ubi convenies, moneas, ne temhere jura
Ipsa quidem statuant, cupientes vivere rapto,
Si quos offendes non æquo jure tyrannos,
Qui vexent populos injusto Marte propinquos,
Protinus abstineant; graviter monuisse licebit,
Ni faciant quodcumque voles, quodcumque jubebis:
Et nisi desierint agitare tyrannide sæva
Innocuos, illis vel adhuc superesse referto
Herculeas vires, quondam quibus ille solebat
Injustos latum reges domitare per orbem;
Nam superest alter, paribus qui temperat urbes
Legibus Estenses, & acuta protegit hasta,
Robur & Herculeum propriis virtutibus æquat.
Hic igitur cum sorte nova, fatisque benignis
Cœperit imperium magnum, populosque regendos,
Viribus Herculeis statuit crudelia monstra
Tollere, & injustos condigna morte tyrannos.
Hinc iterum Diomedis equos domitabit agrestes
Is novus humanis vescentes carnibus heros.
Temporibus nostris fuerit si forte repertus,
Qui sua tam tristi perfundat corda veneno,
Ut velit aut homines diris opponere monstris
Impius, aut sævis velit objectare periclis;
Si modo Mænalias aper invasisset in oras,
Cunctaque fulminibus vastaret rursus, ut ante,
Hunc tamen ille suo superet modo robore princeps,
Herculeis Estenses ritu qui temperat urbes.

Inde fuga æripedem Cervam superabit et idem,
Veloces olim cursu quæ vicerat Euros;
Ut fueras quondam validis, Acheloe, lacertis,
Herculis utque manu tandem superatus & arte,
Privavit cornu cum te fortissimus Heros;
Sic modo convictus clava, convictus & armis
Herculis, Estensi venies nova gloria palmæ.
Quin etiam superanda Palus Lernæa labori
Se dabit Herculeo, tenuit quam corpore vasto
Septem dira novis immanis hiatibus hydra,
Cui licet & capiti tot nunc, velut ante, redirent,
Ora quot a monstro penitus convulsa fuissent;
Non tamen is molem dubitet superare nefandam:
Unus præsertim de tot cervicibus anguis,
Si velit Herculeas se contra attollere vires.
Crudeles licet extiterint Busiridis aræ,
Ille peregrinos quibus infestabat ut hostes,
Impia dum patriis imponitur hostia sacris;
Non tamen hunc tegerent crudelia facta tyrannum,
Quo minus Herculeis ita nunc velut ante fuisset
Viribus, Estensi fieret nova præda triumpho.
Certamen summum priscorum viderat ætas
Herculis Antæum procul a tellure tenentis;
Ipse viam donec vasto sibi fecit ab ore
Spiritus, atque leves in ventos vita recessit.
Si quis, ut Antæus fuerat, venit ergo superbus,
Qui vocet heroas ferus in certamina fortes:
Hic expectet idem, quod tandem contigit ipsi,
Qui dulcem presso vomuit de pectore vitam.
Quin Leo si Nemees sese ferat obvius alter
Herculis ecce novis summis modo viribus, aut si
Irruat Estensem contra Teumessia moles;
Attamen hic victor jugulos aperiret, & acer
Amborum gemina frueretur pelle leonum.
Geryonem quid enim referam tria corpora habentem?
Quid Cacum memorem dirum, celebremque latronem?
In quos libravit clavam Deus ille trinodem
Sæpius, effractoque illisit in ossa cerebro.

 Quid

Quid tristem Nessi dicam, mea Musa, ruinam?
Herculis uxorem magno qui victus amore
Ceperit, & pœnas dederit malesanus acerbas?
Estensem credam pariter nunc rursus iniquos
Centauros domitare manu quoque posse feroci;
Hos ut adulterium pigeat patrasse nefandum.
Es quoque tu magni subiturus tartara Ditis
Qui regis Estenses, rursusque in vincla daturus
Custodem magnum, quamvis tria Cerberus ora
Porrigat ad nigram venienti janitor aulam.
Inde petes superas divino numine sedes;
Ut quæ gessisti terris agitatus in imis,
Cœlicolis eadem facias quoque nota supremis.
Nam roget hic aliquis si, quæ mihi causa videtur,
Cur fuit Herculeo capiti subeundus & axis:
Hanc ego crediderim, quia quæ Tyrinthius heros
Gesserat in terris, ea maxima facta per orbem
Mortales, superique simul condigna putarint;
Auctor ut illorum fama penetraret Olympum.
Ergo si potuit sævissima vincere monstra,
Atque feros superare duces Tyrinthius heros;
An dubitet quisquam, sit adhuc cum fortibus armis
In terris alter, referat qui nomina prisci
Herculis, ut possit pariter nova vincere monstra,
Atque novos virtute nova domitare tyrannos?
Quare agite, o reges, monitus neu temnite sacros;
Namque novem, quarum vos nunc petit una, puellis
Numen inest: igitur ne non prædicta putetis,
Hæc animis penitus vestris sua figite dicta.

*Elegia in septem Stellas errantes sub humana specie per urbem Florentinam curribus a Laurentio Medice Patriæ Patre duci jussas more triumphantium.*

Mirari genus antiquum, quæ viderat olim
Desinat, in terris maxima facta geri.
Sit leve, quod veteres quondam cecinere poëtæ,
Sit leve, quod priscus scripsit & historicus.

Et

Et quod Roma potens fecit, quod Græcia dixit,
Edocet innumeros cum bene multa viros.
Dum monstrat, nitido quot sunt errantia cœlo
Sidera, quæ virtus cuique tributa manet.
Quidquid Olympiacis in montibus Herculis acer
Contemplans animus vidit in arce poli.
Sit leve, sitque hominum neque gloria tanta priorum,
Dicitur antiquis quanta fuisse viris.
Nam meliora dedit Medices, majora paravit,
Quam quæ ab antiquis gesta fuere prius.
Militibus inultis quia si domitavit & orbem
Cæsar, ut imperium surgat in alta Remi.
Aut si rex Macedum multas superaverat urbes,
Rebus ut a gestis nomen in astra ferat;
Id fecere duces fieri quod posse facultas
Est data, conditio nostra quod ipsa dabat.
Si varias superum sedes adiere Deorum
Felices animæ stelligerosque polos;
A causis possent ut res bene nosse futuras,
Deque vagis stellis quot bona certa fluant;
Fecerunt homini quod erat fecisse potestas;
Quod valet ingenio quis, quod & arte valet:
Quod menti licuit mortali in corpore clausæ,
Viribus humanis quod licitumque fuit.
At plus ecce dedit nobis Laurentius heros,
Quam sit ab humana conditione datum.
In Cœlo quæ sunt alii docuere sub umbra,
Nube sub hi superas exposuere domos.
Primus hic in terras altum deduxit Olympum,
Primus hic en oculis astra videnda dedit.
Hic prior huc stellas deduxit ab axe vagantes,
Quæ nusquam superos deseruere prius.
Vidimus hæc primum terras habitare jacentes,
Quæ cælo semper fixa fuere suo.
Vidimus hæc igitur, manibus tractandaque nostris
Sunt data Te, Medices sidera tanta duce.
Nec dubitare datur, quid fert Saturnus agitque,
Sideris aut virtus quæ sit habenda Jovis.

Quid ferus inducat nobis Gradivus, ut arma
Suggerat illa, quibus patria tuta tua est.
Quot bona Sol tribuat mortalibus, ut ferat hos, qu
Communem monitis rem, patriamque regunt.
Quid gerat alma Venusque boni, quid amica ministre
Nobis, ipsa suis septa Cupidinibus.
Nec tu Mercurius nobis dubitandus haberis,
Quid facis aut quod te sub duce fervet opus.
Ultima de septem nec tu, vaga Luna, moraris
Nos docuisse homini qualia danda putas.
Corporeis oculis vos hæc manifesta tulistis,
Sensibus humanis sint ut aperta magis.
Sint ut aperta magis per vos quæcumque geruntur
Omnibus his animo qui minus illa vident;
Qui minus ingenio possunt cognoscere tardo,
Moleque corporea nosse nec alta queunt.
Nec tantum signis quot erant ea sidera certis
Monstrasti, Medices, qua specieque forent.
Dulcibus at numeris suavi modulatus ab ore
Singula quid faciant præcipis arte cani.
Præcipis arte cani tanta, foret omnis ut inde
Stella magis nota hic, quàm sit in arce poli.
Qui cantus postquam fuit his bene ceptus haberi
Ad suaves, placuit quos statuisse, modos;
Constitit hic cœlum subito, stetit aureus axis,
Quo circum ipse agitur semper uterque polus.
Nec non a solito requierunt flumina cursu,
Neve aliter steterunt, quam manet alta silex.
Ipse aër solitus qui semper in orbe moveri,
Constitit ad numeros, quos cecinere, bonos,
Quin etiam venti late posuere feroces,
Omnibus atque fuit tradita summa quies.
Frondibus ex levibus nulla est ibi visa moveri;
Sic intenta sono quælibet aura fuit.
Rursus aves, liquidum quæ cantibus aëra mulc
Quæ duce natura semper ab arte canunt.
Gutturis ora sui subito clausere volentes,
Et statuere omnes sponte tacere sua.

Quod

Quod meliora quidem se tunc audire putarent,
Quàm fuerant ea, quæ blandula cantat avis.
Nam meminere illi, quibus est data cura canendi,
Sidera quid soleant omnibus alta dare.
Dixeruntque gravis quàm sit Saturnus in omnes,
Ut creat & tristi relligione viros.
Sive nigras vestes capiantque, ferantque libenter,
Infectas fusco sive colore gerant.
Quosque melancholicos vocitant, Saturnus & affert,
Quos & avaritiæ dira cupido tenet;
Ingenioque valent, & acumine mentis abundant,
Quique solent animo res agitare diu.
Hæc ubi dicta; canunt, cœli quid ab arce creare
Juppiter est solitus, vel bona quanta ferat.
Utque Sacerdotes magnos creat ille, gravesque,
Illustresque sacro semper honore facit.
Pontificesque pios, quique ordine cardinis alto;
Pilea rubra ferunt, Juppiter ipse tulit.
Marsque det ut vires recipiunt, animique ferocis
Robur in hostiles præstet ut ille minas.
In medio positus cur Sol ab origine mundi est,
Scilicet ut radios fundat utrimque pares.
Spargat & ut vires stellas Deus æquus in omnes,
Vimque det ut reliquis inde calore suo.
Astra quod ille novo faciat splendere nitore,
Posse quibus Titan plusve minusve dedit.
Lucis enim quidquid residet, seu roboris illis,
Tradidit auricomum tempus in omne jubar.
Nam bene cum sapiat, sapienter & alta gubernet
Cynthius illustrans omnia luce sua;
Procreat inde pios vates, sanctosque poëtas,
Et quos ex humili gloria tollit humo;
Famaque quos ornat; dat enim nomenque decusque
Sol bonus, & celebres reddit honore viros.
Gignit item medicos, non tam qui corpora sanant,
Quam bene qui menti consuluere malæ;
Qui purgant animos vitiis gravioribus ægros,
A vera possint ut ratione regi.

Unde domus Medicæ Phœbus mihi primus & auctor
Creditur, & credam cur, mihi causa paret.
Nam quicumque vir est toto male sanus in orbe,
Et morbos animo sentit inesse suo.
Ad sanum per te, Medices, ratione magistra
Ducitur, & monitus servat ubique tuos.
Hæc ubi dicta satis Phœbo; Venus ipsa quid affert,
Quid facit, hinc placidis concinuere sonis.
Gratia namque Deæ cum sit data maxima semper,
Ignitas in nos commovet illa faces;
Unde fit, ut semel a Veneris qui tangitur igne,
Torreat hunc formâ pulchra puella suâ.
Semper amore gravi namque ille tenetur, & ardet,
Semper in alterius corpore fervet amans.
Idem amor & gelidis pisces grave torret in undis:
Torret aves, dulci conficit atque malo;
Per Venerem totus quoniam renovatur & orbis,
Arboribus frondes prosiliuntque suis.
Lætaque diverso variantur prata colore;
Floribus a multis picta relucet humus.
Hanc igitur læti, divamque sequamur ovantes,
Matres, atque nurus, vir puer, atque senex,
Lætius ut vitam suavem ducamus ab illa,
Quilibet ut lætos transigat inde dies.
Nec genitus Maja numeris indictus abisti,
Namque canunt alacres vis tibi quanta manet;
Quisque vir ut loquitur per te, populisque per artem
Quod volet hic suadens aurea verba facit;
Commovet utque gravem dictis, sanctumque senatum
Acribus, & populum vertit ad arma levem.
Ducit ut ad sanum cives ubicumque feroces,
Et qui plus ratio quam monet, alta petunt.
Rursus ad extremum dignatur honoribus isdem,
Luna quidem partes sumit & ipsa suas.
Nam Dea venandi cum sit, canibusque sit illa
Notior, optato quam sit amica viro.
Aurea dehinc Phœbe cantu celebratur eodem,
Namque refert cantus, quid solet illa dare.

Ut

Ut venatorem doceat bene retia ferre
  Huc ubi quammultas captet ab arte feras;
Quem quoque turba canum sequitur, rictuque sagaci
  Sæpe citat lepores per juga summa vagos.
Sæpeque capreolos, obscura in valle repostos,
  Sic agit, ut fiant præda petenda viris.
Inde mola si quis fruges bene frangit acuta,
  Si quis ad id vitreas ire coëgit aquas,
Accipit a Luna quæcumque est illa facultas,
  Possit ut in partes consuluisse suas.
Arboris & ramo seritur cum surculus alte,
  Gignat ut interdum poma aliena sibi,
Cynthia præstat opem, cœlo quam mittit ab alto,
  Et facit ad votum quemque venire suum.
Hæc, & plura satis cecinerunt carmina vates,
  Ex his, quæ septem sidera ferre solent.
Sed tamen hæc modo me tam maxima copia rerum
  Innumerabilium dicere cuncta vetat.
Me vetat, & Medices oculis quia cuncta tueri
  Cum dederit, nostris non opus illa cani est.
O res mirandas, & quas memorare poëta,
  Divinus quamvis, non queat ille tamen;
Tu quia Laurenti fecisti solus in orbe,
  Quod veteres cuncti non potuere prius.
Fecerunt illi pulcherrima multa fatemur,
  Miserunt orbem sub ditione sua.
Scandere tentarunt Cœlum, causasque latentes,
  Quoslibet ingenio perdocuere gravi:
Sidera mortales ut mentis acumine possent
  Nosse, quid afferrent, quid meditata forent.
Tu tamen, o Medices, non tantum hæc omnia nosti,
  Nec tam sunt alta mente reposta tibi,
Quàm virtute tua nobis potuisse videris,
  Corporibus sumptis astra videnda dare.
Astra videnda quidem reliquis, at rite jubenti,
  Omnia quæ cupias ferre parata tibi.
Tantus honos, Medices Laurenti, fulget in illa
  En tuus atque tuum tam movet illa decus,

Quod

Quod virtute nova sic jam meritisque parasti,
Factus ut hinc superis par videare Deis.
Ergo si qua fides, oculis quæ vidimus ipsi,
Danda est, id, quod agis, majus habetur opus.
Majus habetur opus tanto (mihi credito) quanto
Plus erit huc supera numen ab arce trahi,
Quam quæ sunt hominum superis si annectimus ipsis,
Si mortale quod est jungimus atque Deo.
Unde quidem priscos, illorum ut pace loquamur,
Vincis & ingenio, vincis & arte tua.
De gestis hominum quoniam ducere triumphos,
Mortalis currum quisque secutus erat.
Te nos de superis meritum nova ferre trophæa,
Vidimus in terris astra superna sequi.

## *Ad Sanctissimum D. N. Leonem X. Pont. Max.*

Cum genus humanum miserum, Deus alte, videres
Affectum variis ante fuisses modis:
Cum quoque perspiceres cædes, & vulnera late
Tot fieri, spes ut nulla futura foret:
Heu mala tanta polo tandem miseratus ab alto
Tristibus optasti jam posuisse modum.
Hinc dare sic requiem statuis, finemque labori,
Ne pereant omnes, ne genus omne ruat.
Cum dederis talem divino ex ordine nobis
Pontificem, qualis non datus ante fuit.
Nullus in urbe mea prior extitit, attamen unus
Instar multorum Tu, Leo, factus ades;
Ex quo penitus nos ut jactare queamus
Pontifices centum nos habuisse prius.
Ut jam Pontifices centum pear esse creatos
Ex his, quos vitreis irrigat Arnus aquis.
Ponderis en tanti quia sis, eris atque futurus,
Unus ut is multis plus habiturus eas.
Nam, Leo, Tu tantum Medices potuisse videris,
Cum virtute tua, cum Medicea domus,

Ut vincas cunctos Terræ quos accipit orbis,
Quos sinus exoriens, occiduusque tenet.
Omnis enim virtus sedem sibi fecit honestam
Morte vel in media, pectoribusque tuis.
Hinc meditaris opus, quo non aut Græcia majus
Præstitit, aut melius non Latiumque vetus
Ut templum, Leo, nunc, Medices, hoc esse pateris,
Romulidæ soliti quod statuisse prius.
Tunc ubi Virtuti sedem posuere sacratam
Sic, ut & a cunctis diva putanda foret.
Nam tua mens, postquam vitiis procul inde fugatis,
Est animi certe pluribus aucta bonis.
Ingenio nosti summo, quæ scripta fuerunt
Omnia, quæ tribuit utraque lingua tibi.
Novistique sacros vates, sanctosque Poëtas,
Quodque Maro cecinit, Mæoniusque senex.
Quod Cicero docuit, quod Quintilianus & auctor
Scripsit, & historici quod monuere graves.
Est quod Aristoteles meditatus, & arte notavit
Divina, dictus qui fuit ante Plato.
Atque alios plures, quos est mora longa referre,
Quosve meis numeris non meminisse queam.
Adde quod es musis factus pius inde sacerdos,
Pieridum manibus dum sacra ferre juvat,
Dum quoque Cyrrhæo totus sic fonte lavaris,
Ut sacer hinc vates Carmina sancta canas.
Qualia jam veteres quondam cecinere poëtæ,
Audiit Eurotas quæ tamen ante cani.
Sed quota pars meriti fuit hæc? majora feruntur
Quæ possint laudes accumulare tuas.
Namque pudicitiæ tantum tribuisse videris,
Ut sis spiritibus par, similisque sacris,
Cum vitam, Medices, ita Tu bene duxeris omnem,
Ut tibi jam fuerit cognita nulla Venus;
Hæc nisi Cœlestis, superum quæ gignit amorem,
Omnia componit quæ super astra manent.
Felices animas Venus hæc facit arte superna,
Hæc genitum patri jungit, eique Patrem.

Spi-

Spiritus hac, sociis geminis, qui sanctus habetur
Nectitur; hæc trinum colligat una Deum.
Qui tamen existat simplex, namque una voluntas
Semper, & una tribus mens animusque manet.
Unde fit æthereum late quia fundit amorem
Hæc Venus, & superas implet amore domos.
Semper ut hæc natos generet, similesque parenti,
Sanctaque sit sanctis septa Cupidinibus.
At licet hæc facias, Leo, mens quæ monstrat agenda,
Quæ contemplandis rebus & apta putas:
Aptaque sunt studiis, & quæ sapientia præstat,
Quæ docet, ac tacitis cogitat illa modis.
Fortia tanta tamen rerum natura creatrix
Tradidit ipsa tibi, tot cumulata dedit.
Ut quoque bella geras, Medices, atque arma capessas,
Tu quibus Italiam semper ab hoste tegas.
Nec sine consilio tibi sunt concessa superno
Talia, sed summo sic statuente Deo.
Omnipotens Cælo nam cum spectaret ab alto,
Corpore quanta pares, qualia mente geras;
In cunctis, Medices, ita te facit esse potentem,
Ingenio vires sic facit esse pares.
Ut quodcumque putas animo seu mente gerendum,
Corporeis possit viribus illud agi.
Ergo vices Christi tribuit tibi summus habendas
Omnipotens, serves tu quibus omne genus.
Tu quibus & sapias reliquis magis omnibus unus,
Quos sol exoriens, occiduusque videt.
Tu quibus in bello superes Garamantas, & Indos,
Quidquid & imperio paruit ante Remi.
Quod facere ut possis, Italis tibi cura vocandis
Prima sit ad pacem: pax statuenda prior:
Hos ubi compones bellis procul inde fugatis,
Omnibus & fuerit tunc ubi facta quies.
Unaque cum fuerit sententia facta gerendis
Rebus, & in Latios otia pacis erunt,
Ibis in hostiles pugnas ita milite forti,
Victor ut ex illis tunc rediturus eas.

Julia-

Julianus frater primum quoque ductor in agmen.
Primus adesse volet, primus in arma ruet.
Primu. & in Teucros sacra signa movebit iniquos.
Militibus cunctis Dux quoque primus erit.
Talibus auspiciis, ut nil nisi forte resultet,
Nil nisi quod vires augeat usque tuas.
Fortiter incipias quodcumque putabis agendum,
Viribus indomitis aggrediaris opus.
Per varios casus, per summa pericula Christus
Duxerat omnipotens Teque tuosque simul;
Liber ut effectus tandem pia bella ministres,
Ut perdas hostes tempus in omne graves.
Per Macedum populos iter aggrediare, volentes
Hæc eadem. statues quæ facienda, Leo,
Inde sepulchrales urnas invade, nec ultra
Permittas, habeant, qui tenuere diu.
Ad nos fac redeant, superum vice functus; honesta
Hæc loca, quæ Christum sustinuere patrem,
Quæ tetigere Deum, certam qui ferre salutem
Venerat, ut nobis esset habenda quies.
Tempora namque monent, hæc ut facienda putetis,
Cum male discordent qui sacra nostra premunt.
Inter seque gerant hostes, fera bella sequantur,
Cumque sit his virtus, quam fuit ante, minor.
Quale decus rerum spectare per agmina summi
Principis, ut sacras ille movebit opes.
Ut superabit eos, quibus est audacia talis,
In superum moveant ut fera bella Deum:
Utque sacram pergant Christi turbare quietem,
Sancius in terris quod nihil ante fuit.
Non impune ferent, quia non modo totus & orbis,
Et quoscumque suis Nilus inundat aquis:
Et quos Oceanus, quos nutrit & ultima Thyle,
Quos alit extremos Indica terra viros,
Felices animæ, sed quæ super alta feruntur
Sidera, quæ superas, incoluere domos,
Ad te descendent similem sibi rebus in illis,
Quas tractant, superi, quas agitare juvat,

His, Medices igitur Leo, te comitantibus ipsum,
Ardua bella geres, justaque bella geres.
Spiritibus Cœli pariter venientibus ad te
Viceris & quidquid maximus orbis habet.
Viceris omne solum, quod circuit unda, quod an
Terraque nectendas porriget ipse manus.
Auspiciisque tui totus superabitur orbis
Fratris, & exoriens, occiduusque sinus.
Ille triumphatas gentes deducet in urbem,
Victoris Currum quisque secutus erit.
Ista quidem fient jam nunc, quia tempus adesse
Creditur, ut possint talia facta geri.
Hostiles cum sint animi, viresque minutæ,
Hostilis cum sit vis quoque facta minor.
Adde, quod & primus datus es divinitus orbi,
Ut genus imperio pareat omne tuo.
Ut virtute tua totus renovetur & orbis,
Imponat vitiis ut, scelerique modum.
Tempora nam redeunt eadem, redit annus & idem
Qui fuerat, nobis num data certa salus:
Evenere tibi, Medices, quia maxima rerum
Signa, quod ad summum sis quoque natus opus.
Temporibus Christus veluti monstravit in illis
Se fore, qui cunctis consuluisse queat.
Mense quidem, Medices, sic nunc ornatus eodem
A te significas maxima quæque geri:
Qualia tunc fecit Christus, facturus ut esset
Ipse tua mundus dum renovetur ope.
Nam post victricis Christo data munera palmæ,
Post ramos virides, quos & oliva dedit.
Postque sacros versus, post decantata per urbem
Carmina divinis tunc recitata modis;
Ut duce cuncta Deo gens est renovata supremo,
Ut fuit a vitio tunc revocata gravi.
Tempore sic nostro, tibi Pontificalia jura
Cum data sint, & cum Pontificale decus.
Menseque sub Martis Tibi cum data summa potestas
A populo, rerum cumque tributus honos.

Talia

Talia significant, Medices, eademque futura
Sub duce te fieri, quæ prius acta forent
Obstendunt, veluti per te renovabitur orbis,
Utque vir ad sanctum quisque redibit opus.
Utilitas eadem veluti nascetur in omnes,
Ingenio certe non aliena tuo.
Tempore quæ Christi data tunc fuit omnibus illis,
Qui terras homines incoluere graves.
Te facit ipse Deus tanti Leo; tantus haberis
A Christo, geminos qui regit arte polos;
Ut per te statuat fieri, quod & ante per omnes
Fecisset populos, dum sibi vita fuit.
Ut possis eadem jam nunc quoque tempore nostro
Tempore quæ Christus fecerat ante suo.
Ut totum redimas, Leo, nunc quoque maximus orbem,
Ante sua velut hunc ille redimit ope.
Nam modo cum vigeant totidem mala, tanta resurgant
Temporibus Christi quanta fuisse putant;
Decrevit, Medices, Deus, ut medearis & illis,
De medio tollas ut scelus omne, Leo.
Ergo invade viam, vaginaque eripe ferrum:
Eja age, tolle moras, Tu quia victor eris.
Ibitis auspiciis, paribus, Leo; namque jubebis,
Quæ facienda putes, quæ facienda velis.
Julianus frater subito tua jussa sequetur,
Idque volet fieri, tu cupies quod agi.
Cernere jam videor substerni classibus æquor,
Hostibus inferri possit ut inde timor.
Per mare velivolum veluti prætoria navis
Se movet, ut Teucris inferat illa metum
Ut redeant ad nos, quas Constantinus & urbes
Condidit, ac opibus auxerat inde suis;
Ad nos ut redeant ea, quæ loca possidet hostis
Junctaque sint sacris hæc loca sancta locis.
Fiat ovile unum cunctis, ut pastor & unus,
Totaque gens uni serviat usque Deo.
Talia Julianus faciet sub fortibus armis:
Viribus ipse suis, auspice Teque, Leo.

Parte alia superis, Medices, divisque secundis
  Julius invadet, quæ gravis hostis habet.
Militibusque, Rhodus quibus imperat insula fortis,
  Julius ipse quibus Induperator erit.
Defuerit ne quis Medicum de sanguine, bello
  Ille vir addetur cui favet alma Venus.
Cui quoque Gradivus vires, animosque ministrat,
  Cui favet e summa Juppiter arce poli.
Qui virtute refert maguum quoque nomen avitum,
  De lauro sumptum qui quoque nomen habet.
Viribus iste novis sic aggredietur & hostem,
  Ut magno similis tunc habeatur avo,
In bello numquam qui perdidit, undique victor
  At fuit, & merito cui data palma fuit,
Nec mora, nec requies, donec spes nulla supersit
  Hostibus, ut possint ultima ferre mala,
Utque gravem possint a se depellere mortem
  Ut vitare necis vulnera sæva queant.
Ast ubi perspicient oculis atque auribus hostes,
  Accipient nostris quam pia corda manent.
Quantaque militibus nostris clementia, quam sit
  Mens pia, sit ducibus parcere quantus amor.
Ad vos convertent sese, sacra signa sequentur
  Vestra magis, cupiant quam sua signa sequi.
Seque dabunt, victasque manus, credentque vel hosti
  Se, potiusque suos deseruisse volent.
Cuncta forent vobis potius servire parati,
  Quam regnare velint, imperioque frui.
Seque volente Deo, nulloque labore dicabunt
  Omnibus his sacris, quæ sacra Christus habet.
Unde quidem veniet victoria digna triumpho,
  Quæ fuerit nullo sanguine parta tamen.
Nam Ducibus Latiis non tam sua regna redibunt,
  Quæ possessa Italis ante fuere viris.
Quam nova, quæ numquam fuerant amissa dabuntur,
  Ac dominis venient præda futura novis.
Urbs tamen ipsa magis, quam Constantinus habebat,
  Romanum cupiet nosse reversa patrem.

Te-

Teque salutabit reliquis magis omnibus una,
  Lætaque Pontifici se dabit illa suo.
Sacra, quibus caruit multos subjecta per annos
  Dum fuit, ac Teucris paruit illa malis,
Sacratis eadem manibus, Leo, cuncta resumet,
  Urbs ea divinis libera facta modis.
Hæc quos complexus rediens, quot tradet amoris
  Signa, quot adveniens, vel tibi quanta dabit?
Omnibus illa prior currum sectabitur altum,
  Subque triumphantis sede manebit ovans.
Jam prope tempus adest, quo talia facta gerantur,
  Auspice Te, Medices, auspice fratre, Leo.
Dicta monent vatum, sententia certa sacrorum
  Detegit illa mihi, quæ latuere diu.
Nam, veluti meminit scribens Erythræa Sybilla,
  Terminus en aderit, jam quoque finis erit.
Quo Constantini jam mœnia perdita regis
  Ad sanctos redeant, sintque recepta Patres.
Namque canit: quartus cum sexagesimus annus
  Fugerit, his menses addideri sque novem,
Dimidium mensis veniet cum rursus eisdem
  Mensibus, & numerus creverit inde magis;
Ad nostros redeat jam tunc Byzantia sedes,
  Tunc erit a ducibus illa recepta sacris.
Si numeres annos, aderit jam tempus, ut hæc urbs
  Debeat ad Latias ipsa redire domos.
Debeat ad rerumque Patrem, Dominumque reverti,
  Utque reversa tribus serviat usque Deis.
Qui tamen existant unus, faciesque sit una,
  Una tribus quoque sit mens animusque tamen.
Nectendasque manus dabit hæc tibi prima volensque,
  Prima tuos currus ista sequetur ovans.
Hinc aliæ comites urbes aderunt, venientque
  Ad tua, quæ duces, sancte, trophæa, Leo.
Cantabunt laudesque tuas, nomenque tuum tunc
  Carmine divino vel super astra ferent.
Quid Reges memorem captos, aut inde profectos;
  Unde jubar celeres surgere cogit equos:

Undeque sol abiens imas solet ire sub umbras
Et procul a nobis inferiora petit;
Divinae montes, quae sancta sepulchra tuentur,
In quibus & coeli conditor ante fuit;
Destituent loca sacra Deo Dominumque sequentur
Te, Leo, victori carmina sancta canendo
Ac dignas reddent grates pro munere tanto,
Quod loca sint ea, Te, libera facta, duce.
Omnia tunc Medici cedent, Orientis & ora
Cedet, & occidui gurgitis unda Tibi.
Felices anni! felicia tempora, quae Te
In rerum Dominum, Te capientque Ducem,
Felix quisque Tibi credet se maximus orbis,
Quive regi cupiet legibus usque Tuis.
Linquere quisque volet divos tunc denique falsos,
Ut verae faciat Relligionis opus.
Utque colat Christum, Christi sacra rite sequatur,
Non nisi divinis sacra colenda modis.
Orbis erit postquam, Leo, Te comitatus ad urbem
Hanc, ubi sit superis victima danda Deo,
Huc ubi Romanas stabit sacer ignis ad aras,
Ut grates reddat pro superante duce.
Spiritibus fiet par orbis ubique supernis,
Mentibus & superis se geret illa parem.
Te duce jam vitiis purgabitur ipse fugatis,
Delebit maculas tam bene quisque graves,
Ut nihil intersit tandem caelestibus ille,
Qui prius humano semine natus erit.
Ergo ubi permixti fuerint homines, superique,
Spiritus & quisquis stat super astra polis
Auspice tunc, Leo, Te, ducenteque fratre triumphis
Juliano laetus sic vagus orbis erit:
Omnis ut affirmet nil majus ab orbe creato,
Omnibus ac melius nil potuisse dari.
Quamvis & a vobis alii duxere triumphos
Ob victos hostes victaque Regna duces,
Corpora quo caperent, ut & urbibus imperitarent
Illaque mortalis non nisi causa fuit,

At

At Vos, de vitiis, Medices, procul orbe fugatis,
Victores eritis tunc vel utrique pares.
Alter eris, primus fueras quod & auctor in armis,
Bella quod egregie gesserit alter erit.
Sic & uterque novos ducetis in urbe triumphos,
Vidisset quantos nullus in orbe prius.
Mortales fuerant mortalia facta secuti,
Quod mortale fuit, præmia magna dabat.
Ast ubi victores animi mentisque nefandæ
Vos eritis, nec jam corpora victa cadent;
Sed mala mens, animusque malus ducetur ad hostes
Captivus sacros, præda futura Tibi.
Immortale quod est, vos inde sequetur ovantes,
De superis venient præmia danda locis.
Tunc aderunt homines puri sic mente, superbis
Mentibus ut fiant tempus in omne pares;
Non tam mortales tunc vestra trophæa sequentur,
Mortali vel qui conditione fati;
Sed qui divini divino a numine missi,
Qui procul a forti nil nisi sancta volunt.
Hi comitabuntur, Leo, Te divina gerentem,
Facta, nec humanis commemoranda sonis.
Hi quoque ducendos divina ex arte triumphos
Ornabunt numeris, Turba superna, sacris.
Cantabunt laudes ita cum divinitus illi
Compositas, ut nil jam nisi vestra proferent;
Te duce sancta, Leo, quod reddita cuncta per orbem;
Libera quod fuerint reddita fratris ope.

*Ad Cosmum Medicem.*

Heu modo qui læto dicebam carmine natum
Florentem ludens, Cosme beate, tuum.
Cogor in extinctum crudeli funere eundem
Dicere Flebilibus tristia verba sonis.
Quam cito fata suum vertunt mutata tenorem.
Quam cito sors diras vertit acerba vices!

Nam quo Syllana florentior alter in urbe,
Aut mage quem deceat vivere nullus erat.
En tristi subito correptus morte Joannes,
Extremis linquis frigida membra rogis.
Non tibi divitiæ Medicum, non fama per orbem
In cunctis prodest concelebrata locis.
Non tibi quod monitis divini edocte parentis
Servaris patriæ libera jura tuæ.
Nil etiam casta te relligione Deorum
Tam bene de superis promeruisse juvat.
Omnia mors rumpit, meritum nec respicit ullum,
Nescia vel sanctis parcere dura viris.
Quin etiam credam, cum sacri pignora Cosmi
Ausa sit e medio tollere acerba gradu;
Hanc quoque perpetuos ausuram attingere divos,
Et natis orbum reddere posse Jovem.
Desinite hic omnes quicquam sperare futurum
Longius humana conditione datum.
Postquam qui meritis totum complectitur orbem
Et trahit æternos in sua vota Deos,
Non potuit Medices natum defendere Cosmus,
Quo minus infernos transnatet umbra lacus.
At potuit: quis enim Cosmo neget ulla petenti
Audeat, aut tanto non dare cuncta viro?
Tristia nam vitæ quæ rumpit stamina Clotho
Intrarat Medicos diva proterva lares.
Jamque propinquabat thalamo, quo dira Johanni
Inferret nigras Parca maligna manus;
Sed cum de nato divino in pectore curas
Vidisset patrem tunc agitare pias;
Usque adeo sacri fregit reverentia Cosmi,
Ut ceptum subito linquere vellet opus.
Sed vetat hic sapiens Parcam discedere Cosmus,
Verbaque divina talia voce refert.
Ergo ubi tam firmus fatorum vertitur ordo,
Qui Jovis e medio defluit usque sinu.
Hactenus ut nullis hominum, nullisque Deorum
Contigerit celerem sistere posse rotam.

Hunc

Hunc ego non patiar nostro nunc numine frangi,
  Sed per me semper non temeratus eat?
Dixerat; inde suum servavit Parca tenorem,
  Sed quater invito substitit ante pede.
Sic Medices cari constanti pectore Cosmus
  Inspexit nati funera dura pater.
Ut nec Anaxagoræ nobis, nec sancta Catonis,
  Qui invicti manus imposuere rogis,
Sint optanda magis tolerandi exempla doloris
  Quam tua; nam Medices tu dare cuncta potes.
Experti hoc cives referunt se protinus omnes
  Esse vel in tota fortius urbe nihil.
Nam functus quicumque gravis solatia casus
  Officio voluit exhibuisse pio;
Invicti sensit fortissima pectora Cosmi
  Nil, licet ingenti, succubuisse malo.
Sed graviter nati reliquos in morte dolentes
  Solandi munus præripuisse magis.
Dicite Cecropiæ si quem vidistis Athenæ,
  Aut vos Ausonii mœnia celsa Romi,
Dicite vos quæso, dum prisca ætate virorum
  Clarorum vobis copia magna foret.
Si quem vidistis vultu qui immotus eodem,
  Quo natum genuit, efferat inde pium.
Invictas & qui præberet luctibus aures,
  Dum dolor afflictæ verberat astra domus.
Et quem dum mœstus lacrimas effundit acerbas,
  Non posset populus sede movere gravi.
Præcipue tanti præ se qui signa doloris
  Ferret, ut in lacrimas cogerat ire feras.
Nec tot Pompejo suscepit Apulia Magno
  Vota nec ægroto tot pia Parthenope.
Quot nunc Etrusca populus Syllanus in urbe
  Suscepit precibus maxima vota piis.
Ut tibi, cui vix dum Saturni exacta maligni
  Alterius cursus tertia pars fuerat.
Ejusdem saltem binos evincere cursus
  Concedat pensis livida Parca suis.

Tot sed vota cadent: quis vos, dum talia Divi
  Negligitis, possit esse putare Deos?
Nam modo qui navem jactatam fluctibus altis
  Ingredier portum cernere visus erat.
Hanc procul a terra rursus surgentibus undis
  Tristius inspexit edere naufragium.
Heu quam fallaci fluctuum confidere forti,
  Aut dubio quemquam credere vela mari.
Sed quamvis populus doleat spe captus inani
  Numina sic votis surda fuisse suis.
Quo tamen ipse potest sequitur te moestus honore,
  Et sua dat cineri maxima dona tuo.
Vexillis & quae longi sint pignus amoris
  Pluribus exequitur urbs miseranda nimis.
Maxima pars procerum mutata veste fuerunt,
  Dum tanti subeunt funera acerba viri.
Nec penitus tota civis fuit ullus in urbe,
  In lacrimas qui se non daret usque pias.
Quin & Fesuleo dicuntur vertice Nymphae
  Tristitia moestas dissoluisse comas.
Heu quos clamores tota quos urbe dolentum
  Sensimus, & questus edere cuncta novos?
Ille dolet misero pertundens pectora planctu
  Heu tam munifico se caruisse viro.
Hic petit a cunctis an cive humanior illo
  Omnibus audierint ante fuisse locis.
Ille refert prisca Medicem pietate Johannem
  Plurima in aeternos dona tulisse Deos.
Et queritur post haec magis indignatus in illos,
  Talia tam sancto nil valuisse viro.
Est quoque, qui patriam miserans, non desinit omnes
  Dicere Syllanos maxima damna pati.
Ut nullus Thusca restaret civis in urbe,
  Cum tibi supremas contulit inferias.
Legitima exstiteris cui non heu causa dolendi
  Praestita dum memorat officiose tua?
Sic omnes moesto dum spargunt ore querelas,
  Quas dolor infandus cogit inire graves:

Affir-

Affirmant, si responderunt fata, Johannes
E medio patriæ præripuisse sinu.
Non tamen hæc tantum cursu valitura perenni,
Omnia se quamvis vertere posse putent.
Tuscus ut æternos populus bene gratus in annos
Desistat nomen commemorare tuum.
Ex quo perpetua celebreris laude, futurus
Pabula sideribus dum dabit Oceanus.
Adde quod & fratris vives pietate: quis umquam
Dicitur in fratrem plura tulisse pium?
Cum nolit Latio quicquam cessisse Quirino,
Germani celebrat dum monimenta sui.
Nam velut ille Remi juxta se ponere sedem
Jusserat, ut socio nomine jura daret;
Sic Florentinas Petrus dum flectet habenas,
Atque dabit patriæ dum bona tanta suæ;
In fratrem mira ductus pietate Johannem,
Quo nihil extiterat carius ante sibi;
In cunctis, urbem spectent quæcumque tuendam,
Consiliis referet quam bonus ille fuit.
Hoc melius quam si constent simulachra perempti
Fraterno vives frater in ore diu.
At nos de multis, quos jam reor esse futuros,
Carminibus celebrent qui tua busta novis,
In te, quo nostrum, Medices, testentur amorem,
Hæc urnæ dedimus carmina pauca tuæ.
Syllani cujus fleverunt morte Quirites,
Dum premit infandus publica cuncta dolor,
Hic situs est, prisca Medices pietate Johannes,
Maxima germani, maxima cura patris.

*Ad eundem.*

Jam tandem Italiæ fugientes prendimus oras,
Hac Trojana tenus fors inimica tulit.
Jam nimis heu rapidis jactatum fluctibus æquor
Egreditur, patrium fessa carina petens.

Cum Medicis placido spectentur carmina vultu,
Lusimus in nomen quæ modo pauca suum.
Nunc mihi seu flavas volvat Pactolus arenas,
Quas mihi seu dentur Lydia novit opes.
Seu quicquid reges Indi tenuisse putantur;
Possideam, quicquid Persica regna ferunt.
Non tamen hoc ausim tali præponere sorti:
Sat, tibi si placeam, Cosme, beatus ero.

*Cosmo Medice Patri Patriæ.*

Quamvis nostra tibi veniat modo, Cosme, Camœna
Heu Medicum tantis consurgens molibus impar,
Posseque diffidat ludens tua dicere facta;
Qualiscumque tamen Tuscam dum protinus urbem
Incolet, hic cives inter versata modestos,
Te canet in triviis, te tota semper in urbe
Audebit verum Patriæ dictare parentem.
At si quando captus amœni ruris amore
Invisam valles Arni, montesque propinquos,
Agrestes Cosmum silvas resonare docebo.
Usque canent humiles mecum te, Cosme, myricæ,
Principium dabis ipse mihi, finemque canendi:
Primus eris nostri, tu carminis ultimus auctor.
Tu modo, tu Medices, castis nunc annue votis;
Et dubiæ rege navis iter: tu magnus Apollo:
Tu mihi Calliope gravibus vocitabere ceptis.
Auribus interea placidis te, Cosme, rogamus
Alpheum, Gnomona, velis audire canentes,
Pastores, minimum non dedignatus honorem,
Simæ dum viridi pendebunt rupe capellæ.
Jam jubar exortum noctis dimoverat umbram
Inque novos latum radios diffuderat orbem,
Gnomoni Alpheus cum primum talia dicens
Infit, Fesuleo prospectans vertice pastor.
*Al.* De senibus dudum priscis audire solebam,
Ut locus hic magnis confertus cladibus olim

Et fuit, & multos hominum contrivit in armis,
Ut sæpe incurvus terram dum findit arator,
Enses inveniat scabra rubigine fractos.
Nunc & summa quies late tenet omnia montis
Pascua; lætitiaque omnis gestire videtur
Accola, nec pestem pecori timet inde malignam.
Hæc ego conspicio; tantæ sed causa salutis
Unde sit ignoro; cupio tamen, & mihi nunquam
Noscendi talis cessat de pectore cura.
Dixerat Alpheus: vos quæ responderit alter,
Pierides, vos hæc nobis memorate puellæ.
Gs. An sic sis bardus tu nunc, Alphee, rudisque,
Ut quæ non simæ tantum tua cura capellæ,
Sed lapides duri norint, silvæque profundæ,
Tu tamen ignores, humano semine natus?
Conspicis hanc oculis urbem, quæ proxima nostris
Constitit, & nitidis Arnus quam dividit undis,
Quæ pulchro varias extollit vertice moles.
Illic & stupeas fulvos ubi forte Leones
Videris, exitiumque lupis, leporique salutem;
Hic prope Laurenti templum, sedemque beati,
Quam Medicum dicunt opibus consurgere magnis,
Ingenti constant excelsa palatia muro;
Quam pulchri postes subsunt, quam pulchra nitescunt
Atria, Fesuleis late suffulta columnis!
Aula sed interior regali ornata decore
Cernitur: auratis pendent laquearia tectis,
Aurataeque trabes nitido depicta colore
Contexunt tabulata modis splendentia miris.
Hæc ego dum caseum florentem pauper in urbem
Vendendum porto, pingues dum Civibus hædos,
Mirando plures consumpsi protinus horas,
Sed locus ipse domus, quo sunt penetralia patris
Divini, quamquam late patet ille volenti,
Cognitus est oculis non ullo in tempore nostris;
Tantus enim splendor sacro lucescit ab antro,
Et rudibus tantus perstringit lumina fulgor,
Ut nisi qui magnam paulatim cernere lucem

Pro-

Præparet ipse prius doctus spectare minorem,
Non acies tanto possit durare nitori;
Ut nequit ille novum tentat qui cernere solem,
Ni prius assuetus tremulo sit fonte tueri,
Quo vires minuisse suas lux magna videtur,
Atque hebetes nobis oculos minus inde fatigat.
Sed tamen e multis audivi sæpe, quis ille
Et foret, & qualis manet de pectore virtus;
Nam medio sedet ille senex grandævus in antro,
Tam clarus cunctis hominum, cunctisque verendus,
Ut manibus falcem, si prisci insigne teneret
Saturni, queat ipse Deus, Deus ipse videri:
Hunc alii heroes circumstant undique magni,
Consiliisque petunt ex hoc responsa futuris:
Non aliter quam cum pastores Tityrus ipsos
Fesuleis primus Pastorum in montibus unus,
Convocat, & justo cunctos moderamine servat.
Hi pacem dudum nobis, hic tanta paravit
Otia, securamque dedit traducere vitam.
Proh scelus indignum! quam urbs pulcherrima totam,
Quæ manet, ut cernis, domibus constructa superbis,
Culmine jam late bellis cecidisset ab alto,
Ni Deus hic humeris sustentans mœnia sacris,
Hinc procul, hinc propria Martem virtute tremendum
Pelleret, extremasque ferum relegaret in oras,
Quo nivibus gelidis campi, montesque rigescunt
Semper, & in nullis nascuntur gramina terris.
Hæc Gnomon: caput inde movens Alpheus in altum.
*Al.* Prospiciens (inquit) nimirum hic ille beatus,
Qui prope nos posuit sacras ditissimus ædes,
Quas habitent casta sub religione manentes
Pullati Canones, & Christi numen adorent.
Vah cœpi meminisse situs quo forte vir ille in
Colle sub hoc Medices, miro qui captus amore
Visere Fesuleos, dum late armenta sequuntur,
Pastores; nobis, o quam mitissimus olim
Ingenti villam construxerat ære decoram,
Heu modo quem tristes etiam flevere myricæ,

Quem

Quem duræ quercus crudeli morte peremptum;
Quin etiam credam, si rite audita recordor,
Divini egregia doctum virtute parentis
Hieronymo nuper sedem posuisse sacratam:
Durus; qui monitis etiam Gnomonis eorum
Vix memini, quæ plura puer cecinisse solebam.
*Gn*. Cur tam præsentem cunctemur dicere divum?
Dum saturæ fient arbusti e fronde capellæ.
*Al*. Grandior & cum sis, Gnomon, cantare prius me
Incipe, te sequar usque diem dum claudet Olympus.
Alternis ergo cœperunt versibus ambo,
Insigni quorum lætatæ carmine nymphæ
Saltantes movere pedem, Dryadesque puellæ,
Fesuleas quæcumque colunt animalia silvas
Excepere sacros numeros, quin protinus altum
Motavere caput, vel duræ robora quercus.
*Gn*. Collibus ut præstat longissima pinus in hortis,
Esculus atque humiles vincit cervice myricas,
Ut puto, sic omnes dedit hæc qui tot bona nobis
Fuderat, nullis hominum virtute secundus.
*Al*. Ipse licet faveat silvestri numine primus,
Duras qui docuit cantu mitescere silvas,
Non queat æternas hujus mea dicere laudes
Fistula, nec posse modulis æquare canendo.
*Gn*. Felix o nimium felix, si funera nati
Non inspexisset, nuper quem vidimus ipsi
Efferri nymphis ululantibus; improba quid mors
Niteris aspectu sacrum temerare parentem?
*Al*. Hujus in interitu quis non dedit ore querelas?
Astra quis in tanto non dixit sæva dolore?
Oscula cum gelido figens heu tristia nato
Divelli nequit amplexu mœstissima mater.
*Gn*. Adde quod & tristes hac tempestate capellæ
Faucibus extiterant siccis, nec pabula terræ
Ulla dedere gregi misero, nec flumina cuiquam
Extinxere sitim: tantus dolor strigit omnes.
*Al*. Si juvenem luget quidquid mortale peremptum
Nobis, Fesulei vel dura cacumina montis,

Side-

Sidera, quod teneant hunc, jam gestire videntur;
Clarus & assumptum nuper lætatur Olympus.
*Gn.* O talis patrem nati satis usque beatum
Erigis, ingenti dum candida templa decore,
Dumque focis mactas pingues castissimus agnos,
Hinc tibi divinos jam nunc meditamur honores.
*Al.* Tu nemorum saltus curas, tu candide silvas,
Per te maturis flavescit campus aristis:
Liber & ipse pater tibi se debere fatetur,
Plurima quod per te turgescit vitibus uva.
*Gn.* Hoc duce pastores audent per prata juvencos
Ducere securi pastum, simasque capellas,
Nec pecori insidiasque lupi tristesque rapinas
Horrescunt. Deus hic nobis bonus otia fecit.
*Al.* Rusticus & sylvas donec lustrabit & agros,
Optabit fieri sanos dum pastor & agnos,
Hunc precibus vocet usque suis: huic sacra quotannis
Instituat; Panisque sacros largitus honores.
*Gn.* Quid referam nostras quantum colat ille Camœnas?
Et nimis, heu, quamquam rudibus tenuique lepore,
Versibus exhibeat placidas mitissimus aures?
Neve levem dubitet dignam se ducere Musam.
*Al.* Quale sibi, o Gnomon, tali pro munere carmen
Reddemus? nam si nobis armenta darentur,
Omnia; non magis est, quam si nos ille canentes
Dignetur tenuem non aspernatus honorem.
*Gn.* Talia, pastores, at si non possumus ipsi,
Qualia nunc illum deceant virgulta canemus,
Alternis eadem nuper quæ lusimus ambo,
Colle sub hoc gracili repetemus carmina voce.
Finierat Gnomon. cum jam nox humida currus
Jungit equis, pastasque domum monet ire capellas.
Hæc ego nunc lusi tenui modulatus avena
Pauca, sed ingenti Medicis perculsus amore.
Vos precor hæc musæ faciatis plurima Cosmo:
Cosmo, qui mundi mensuram nomine complet.
Si quando major nostro de pectore surget
Spiritus, & vates non dedignetur Apollo

Cyr-

Cyrrhæos tandem me delibare liquores,
Divinas ausus Cosmi pertingere laudes
Tentabo currus lato deflectere campo.

## *Ad Americum Corsinum.*

Insultas nimium teneros dum ludis amores,
Sicque putas voto posse favere tuo.
Si versu cupiens placidam exorare puellam
Aonio credas scribere digna choro;
Namque levis primum blandis replet omnia verbis,
Et vacuas mentes leniter afflat amor,
Blandior & dulci perfundit corda veneno,
Nec venit hic musis cura molesta piis.
Sed si forte gravi pergat sævire sagitta,
Et nimis accensas inferat inde faces:
Tunc te non solitus risus, sed dira misellum
Circumstent sævi tela cruenta ducis.
Qui te cum duro transfixerit improbus arcu,
Iniiciet collo vincula quanta tuo!
Et sua captivum jurare in verba superbus
Coget, & invitum castra nefanda sequi.
Illic lascivo miserum puer ille furore
Imbuet, & nullo vindice liber eris.
Nam te non Musæ, non carminis auctor Apollo
Tam gravibus poterunt eripuisse malis.
Spiritus ille sacer, vatum qui pectora mulcet,
Deseret aligeri regna pudenda Dei.
Nec te Pieridum numeros cecinisse juvabit;
Amplius infelix carmina nulla canes.
Exemplo monet ecce sacra qui voce per ævum,
Quique novem cythara mulcet Apollo Deas.
Phœbus enim duci stimulis agitatus amoris,
Dicitur æthereas deseruisse domos.
Neve gregem puduit divum pavisse sub antris:
Pastor erat, Cœli qui modo rector erat.
Creditur ex illo chordas siluisse canoras
Tempore, nec festos concinuisse modos.

Si sapies igitur tantis edocte periclis;
Parces te duro credere velle Deo.

*In carmen Petrarchæ, ad Renatum Pactium.*

Si potero vitæ duros tolerare labores,
Et tandem gravibus tot superesse malis:
Ut quæ nunc ita resplendent tua lumina cernam
Languere, atque annis cedere mobilibus.
Auricomumque caput floccis albescere canis,
Ponere quas vestes læta juventa tulit.
Purpureos flores, & serta relinquere, quæ nunc
Dependent capiti munera digna tuo,
Et faciem roseam croceo pallere colore,
Quæ mihi, ne doleam, cuncta timenda facit,
Audebo saltem veteri compulsus amore
Dicere quæ tulerim vulnera dura miser.
Quique dies referam, & menses, & tempora duri,
Quæ dudum fuerint tristia servitii.
Tempus erit placidis at si non lusibus aptum,
Cum veniet tardo curva senecta pede
Nil tamen huic tanto solatia ferre dolori
Non poterit, quamquam sera, sed apta tamen.

*Ad Petrum Nigrum.*

Dulce mihi satis est, acri quod mente voluto,
Id licet assiduo corda dolore premat.
Dulcis & ille dies, quo pocula mixta veneno,
Mixtaque tam tristi dulcia felle bibi.
Dulceque sunt oculi, qui splendida lumina præbent,
Lumina tam nostris insidiosa bonis.
Dulce tui resonant pulcherrima verba loquentis,
Unde fit, ut stupeat sensus & ora mihi.
Dulce quidem gestus, qui maxima causa fuerunt,
Dulcibus ut doleant pectora nostra malis,
Dulcis & hic error, vitam qui reddit amaram,
Qui mihi pro dulci tristia melle parat.

Ut

Ut neque tam dubiam possim depellere sortem,
Tamque graves fati sustinuisse vices.
Sic igitur dulci ut pereant mea membra veneno
Convenit, hæc dulci sint quia danda neci.
Nam si causa venit suavis morientibus ulla,
Est opus, ut certe sit mihi dulce mori.

*Ad Petrum Compagnum.*

Lisia si cupido tibi nunc ita pulchra videtur,
Ut tibi sit visum pulchrius esse nihil:
Te curare decet cuncti ut mirentur, & ut te
Urbe tua videant doctius esse nihil.
Quod modo si facies, veluti cupis, inde futurum
Polliceor, verbis, tu Petre, crede meis.
Ut quantum Gallo convenit pulchra Lycoris,
Conveniat curæ Lisia pulchra tuæ.

*In carmen Petrarchæ, ad Johannem Cavalcantem.*

Permixtum gemmis aurum, nitidisque lapillis,
Canaque puniceis lilia mixta rosis;
Qualia deberet squalentia reddere bruma,
Arenti siccans florea rura gelu.
Sunt mihi, sunt duri toto nunc corpore vepres,
Qui pectus figunt, ilia quique graves.
In lacrimis igitur vivam, brevioris & ævi;
Maximus interimit nam brevè quisque dolor.
Sed tamen incuso speculum, crudele misello,
Cujus imaginibus facta superba venis.
Hoc jussit Dominum verbis imponere finem,
Dum supplex pro me funderet ille preces.
Qui tacuit postquam te nil aliunde petentem
Contentam propriis conspicit esse bonis.
Hoc imis positum Lethæis fecerat oris,
Merserat & tardis navita tristis aquis.
Ex quo principium longi fluit usque doloris,
Nascitur & mortis causa nefanda meæ.

Ad

*Ad Laurentium Strozzam, de Mariettæ Sororis laudibus.*

Huc precor, huc venias nitidis intonse capillis,
  Huc age virgineas pectine finge comas.
Pallantis canitur Strozæ dum candida proles,
  Huc ades aurata pulcher Apollo lyra.
Non minor hic labor est, quam si tua facta referrem,
  Niterer aut laudes enumerare tuas.
Namque ita formosos fulget Laurentius inter
  Editus in Stroza nobilitate puer;
Ut tibi persimilis facie videatur & ore;
  Dignus qui æthereos ductitet unus equos.
Nam tibi si flavi pendent a fronte capilli
  Si premit auratas laurus amata comas:
Hic pariter niveos enutrit vertice crines,
  Mox premet auricomum fronde virente caput.
Si mulcet cythara Phœbus quæcumque canora,
  Producens numeris quæque creanda suis:
Te quoque fama volat, Laurenti, edocte canendis
  Versibus Aonios tot didicisse modos;
Ut possis, veniet cum mox tibi fortior ætas,
  Flectere vel numeris corda superba tuis.
Macte puer virtute tua: sic ibis ad astra;
  Sic puer illustres exuperabis avos.
Nam si divino non es de semine natus,
  Neve potes patrem sorte referre Jovem;
At possis geminos etiam memorare parentes,
  Æquent ut magnos nobilitate viros.
Inde nepos cum sis equitis Pallantis, avitæ
  Nil est quod sorti præposuisse velis.
Fac tamen hæc desint: felix virtute sororis,
  Et felix forma tu potes esse tuæ.
Ah quotiens vidi, peteret cum templa Deorum,
  Inter matronas casta puella pias.
Viseret ut cupide populum concurrere Tuscum,
  Undique per stratas dum ruit ille vias.

Et

Et vidi egregia te tantum Strozia forma
Divina patrias sorte præire nurus.
Idalias quantum præstat Venus aurea matres,
Aut nymphas quantum Cynthia pulchra suas.
Te quoque præcedens sese tulit ante Cupido,
Telaque nunc torquens, nunc quatiensque faces.
Inde quot in miseros heu spicula jecit amantes,
Dum loca cuncta jubet, Diva, patere tibi!
Dum facit, ut plebs ipsa frequens tibi cedat eunti,
Dum populi cuneos dividit illa graves.
Illinc longa mora est juvenes quot fecit amare,
Dicere, quot senibus vulnera dura dedit.
Hunc rapit auratus pendens a fronte capillus,
Et quas innodat candida vitta comas.
Hic stupet ardentes nimis admiratus ocellos,
Qui possint geminos vincere Luciferos.
Candidulas videt ille genas, rapiturque videndo,
Datque cupidineo colla premenda jugo.
Inde vir est siquis dentes qui spectet eburnos,
Miratur lapides ut superent Parios.
Sic Florentini pariter juvenesque, senesque,
Laudibus invigilant Strozia pulchra tuis.
Neve tuam tantum mirantur, candida, formam,
Illa satis quamvis causa furoris erat.
Quam mores castos laudant, vitamque pudicam,
Qua nuribus Tuscis tendis in astra prior.
Jure quidem, nam tu superam Marietta Dianam
Moribus & forma sola referre potes.
Nunc velut ipse potest imitatus numina Phœbi
Frater Apollineum fronte referre decus.
Ite igitur tantis insignes laudibus ambo,
Pergite: divinas sumat uterque vices.
Ut Titan veluti splendens, velut aurea Phœbe
Stelliferi superant cetera signa poli.
Vos ita mortales reliquos superetis honore,
Sitis & ut Strozæ lumina bina domus.

# ANDREÆ NAUGERII

## VENETI.



*Vota Cereri pro terræ frugibus.*

ASpice, magna Ceres, tibi quos sementre peracta
  Ducimus agrestes rustica turba choros.
Tu face, ne nimio semen putrescat ab imbre;
  Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems;
Neu sterilis surgat silva infelicis avenæ:
  Et quæcumque bonis frugibus herba nocet;
Neu terræ prostrata animosis flatibus Euri
  Decidat, aut densa grandine læsa seges.
Neu direpta avidæ rapiant frumenta volucres,
  Monstrave, quæ terræ plurima sæpe ferunt.
Sed quæ credidimus bene cultis semina campis,
  Uberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit. interea nivei carchesia lactis
  Fundite, & annoso mella liquata mero.
Terque satas circum felix eat hostia fruges:
  Cæsaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc, post messem alii reddentur honores:
  Et sacras cingent spicea serta comas.

*Vota ad Auras.*

Auræ, quæ levibus percurritis aëra pennis,
  Et strepitis blando per nemora alta sono:
Serta dat hæc vobis, vobis hæc rusticus Idmon
  Spargit odorato plena canistra croco.

Vos

Vos lenite æstum, & paleas sejungite inanes,
Dum medio fruges ventilat ille die.

*Vota Jolæ Pani agresti Deo.*

Ille tuus, Pan montivage, venator Jolas
Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo adhuc rictusque suum, exuviasque leonum
Sacra tibi agrestis munera pinus habet:
Nunc jam annis gravis hæc devicti cornua cervi
Dedicat, imbelli congrua dona seni.
Quum tamen Herculeæ facta inter fortia clavæ
Is quoque sit laudem visus habere labor:
Tu, Dive, hæc inter viridis decora illa juventæ
Suscipe: neve illis esse minora puta.

*Vota Damidis ad Bacchum pro vite.*

Hanc vitem, multa quæ semper fertilis uva
Haud umquam domini fallere vota solet;
Nunc etiam large florentem consecrat ipse
Vineti cultor Damis, Jacche, tibi.
Tu face, Dive, tua hæc spem non frustretur: & hujus
Exemplo fructum vinea tota ferat.

*Lyconis vota Pani Deo.*

Longius a pecore errantem per devia taurum
Dum sequitur nemorum per juga longa Lycon,
Errantem scopulo capream conspexit ab alto:
Continuo certo dejicit hanc jaculo.
Mox etiam catulos sola sub rupe jacentes
Invenit: hos Crocale donat habere suæ.
E caprea in viridi statuit convivia luco:
Addidit & veteris pocula multa meri.
Quod reliquum est, Pan semicaper, cum omnibus ipsis
Suspensum e pinu hac tu tibi tergus habe.

*Thyrsidis vota Veneri.*

Quod tulit optata tandem de Leucade Thyrsis
  Fructum aliquem, has violas dat tibi sancta Venus.
Post sepem hanc sensim obrepens, tria basia sumsi:
  Nil ultra potui, nam prope mater erat.
Nunc violas; sed plena feram si vota, dicabo
  Inscriptam hoc myrtum carmine, Diva tibi:
Hanc. Veneri. myrtum. Thyrsis. quod. amore. potitus.
  Dedicat. atque. una. seque. suosque. greges.

*Thyrsidis vota, & querci, & silvæ.*

Et queercum, & silvam hanc ante omnia Thyrsis amabit:
  Et certo feret his annua vota die: (bra
Dum poterit memor esse, quod hac primum ille sub um-
  Ultima de cara Leucade vota tulit.

*Augonis venatici canis Epitaphium.*

Venator celerem moerens Augona Melampus
  Confossum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum, frondente sub umbra,
  Erigit: hoc ipso concidit ille loco.
Non impune quidem prædo sceleratus abivit:
  Procubuit jaculis cæsus, & ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus præstantior, Augon,
  Fide Augon, silvis qui modo terror eras:
Tu dilecte, jaces. sed ab alta hac fascia pinu,
  Millusque, & millo vincula juncta suo;
Quin decisa feri cervix tibi pendeat hostis:
  Sintque una ex animo signa dolentis heri.

*Invitatio ad amœnum fontem.*

Et gelidus fons est: & nulla salubrior unda:
  Et molli circum gramine terra viret:

Et ramis arcent soles frondentibus alni:
  Et levis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
  Exustusque gravi sidere fervet ager.
Siste, viator, iter: nimio jam torridus æstu es:
  Jam nequeunt lassi longius ire pedes.
Accubitu languorem, æstum aura, umbraque virenti,
  Perspicuo poteris fonte levare sitim.

*De obitu Hylacis canis Pastorii.*

Ante canes omnes pastori carus Amyntæ
  Nuper ab Illyrico litore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur:
  Nec vigilant socii cetera turba canes:
Qua rapidus sese media inter saxa Timavus
  Mergit, & inde iterum prosilit amne novo:
Ille quidem sæva vitulos tutatus ab ursa est,
  Ipse sed ingenti vulnere cæsus obit.
Constituit viridi tumulum de cespite Amyntas:
  Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mœsta gemunt armenta: mali furesque, lupique,
  Exstincto hoc, sibi jam cuncta licere putant.

*Vota Telesonis Cereri, Baccho, & Pali Deæ.*

Dat Cereri has Teleson spicas, hæc serta Lyæo,
  Hæc nivei lactis pocula bina Pali.
Pro quibus arva Ceres, vites fecundet Jacchus:
  Sufficiat pecori pabula læta Pales.

*Leucippen amica spe præmiorum invitat.*

Quum primum clauso pecus emittetur ovili,
  Urbs, mea Leucippe, cras adeunda mihi est.
Huc ego venalemque agnum, centumque, Chariclo
  Ipsa mihi mater quæ dedit, ova fero.

Afferri tibi vis croceos, niveosve cothurnos?
  Anne colum, qualem nata Lyconis habet?
Ipse feram, quæ grata tibi, tu basia junge:
  Gaudia, Leucippe, nec mihi grata nega.
Cras, ubi nox aderit, odiosæ elabere matri:
  Hasque inter corylos ad tua dona veni.

*Vota Veneri, ut amantibus faveat.*

Illi in amore pares, vicini cultor agelli
  Thyrsis, cumque suo Thyrside fida Nape,
Ponimus hos tibi, Cypri, immortales amarantos,
  Liliaque in sacras serta parata comas.
Scilicet, exemplo hoc, nullo delebilis ævo
  Floreat æternum fac, Dea, noster amor.
Sit purus, talisque utriusque in pectore candor,
  In foliis qualem lilia cana ferunt.
Utque duo hi flores serto nectuntur in uno,
  Sic animos nectat una catena duos.

*Vota Niconoës ad Dianam.*

Candida Niconoë, viduæ spes una Terillæ,
  Montivagas jaculo figere certa feras,
Hunc tibi, silvipotens, arcum, Latonia, ponit,
  Atque hæc in pharetra condita tela sua.
Illam cara parens tenero sociat Icasto:
  Ignotique jubet jura subire tori.
Tu, Dea, si silvis ægre discedit ab altis:
  Si lacrimans cœtus deserit illa tuos:
Tu bona sis, felixque illi: tu numine dextro,
  Optata lætam fac, Dea, prole domum.

*Vota pro vite Baccho, & Satyris.*

Quæ duo fert collis fecundi vinitor Acmon
  Expressi primum cymbia plena meri:

Hæc

Hæc avidis musti Satyris, mustique Parenti
  Dat, jucunde, tibi, vitis, Jacche, sator.
Illi illæsa suis linquant vineta rapinis;
  Tu tua fac largis auctibus uva fluat.

*Vota Acmonis Vulcano.*

Has, Vulcane, dicat silvas tibi villicus Acmon:
  Tu sacris illas ignibus ure, pater.
Crescebant ducta e Stati propagine silvis:
  Jamque erat ipsa bonis frugibus umbra nocens.
Ure simul silvas: terra simul igne soluta
  Fertilior largo fœnore messis eat.
Ure istas: Phrygio nuper mihi consita colle
  Fac, pater, a flammis tuta sit illa tuis:

*Defectio Euphronis a Pallade ad Venerem.*

Jam telas, calathosque, omnesque perosa labores,
  Quos vitæ quæstus pauperioris habet,
Palladio radium quum templo appenderet Euphro,
  Jamque sequi Venerem constituisset, ait:
Hactenus o mihi culta, vale, Dea; & hæc tua multi
  Instrumenta tibi plena laboris habe.
Jam tua perpessam dudum mala lenis habebit
  Adjungetque suo me Cytherea choro.
Nec mirum, quam prætulerit Phryx arbiter, a me
  Si prælata tibi nunc quoque Cypris erit.

*In Almonem Alcippes fastidio mortuum.*

Dum furit Alcippes forma Nonacrius Almon,
  Crudeli demum tabe peresus obit.
Almo capripedi non impar arundine Pani,
  Quo nullus Nymphis gratior Arcas erat.
Spargite odorato, pastores, flore sepulchrum:
  Et simul infusum lacque, merumque fluat.

Non jacet ille sub hac (ut vos male creditis) ulmo:
  In nemus Idalium transtulit alma Venus.
Hic Veneris pascitque greges, cantatque: canentis
  Una adstant Charites versibus, adstat Amor.
Quin etiam hunc Paphii Nymphe non ultima cœtus
  Deperit, & parilis fervor utrumque tenet.
Nimirum felix Almon: modo perfida virgo
  Aspera sævitiæ det documenta suæ.
Pastoris pereat succensa informis amore:
  Respuat assiduas surdior ille preces.
Præbeat hinc sævis tam dura exempla puellis;
  Formosa ut fastûs discat habere modum.

## *Acon.*

Candida Nympha olim, & Pani dilecta Lyceo,
  Crinibus, & culto conspicienda sinu:
Nunc vox, flevilibus quæ semper mœsta querelis
  Desertos scopulos, deviaque antra colis;
Salve, Echo officiosa: tibi sub rupe cavatâ
  Ipse ego lanigeri ductor Acon pecoris
Constituam umbrosum frondenti ex ilice lucum:
  Molliaque ex hedera serta virente feram.
Tu levibus allecta modis silvestris avenæ
  Excipis è summo carmina nostra jugo:
Tu quoties querimur, duros miserata dolores,
  Nescio quid tristi flebile voce gemis.
Nec mirum, quod tu lacrimis movearis amantum;
  Perdidit infelix te quoque durus Amor.
Ah misera, ipsa quidem & strophio subnectis olenti,
  Et longa molles excolis arte comas.
Ipse puer cultus, ipse omnes odit amores:
  Insequiturque vagas per juga summa feras.
Quin humiles addis voces: & verba precantis
  Effugit, atque omnes negligit ille preces.
Siste gradum immitis, non te violenta leæna,
  Non curvo sequitur dente timendus aper:
Sed quæ candenti facie, niveisque papillis
  Vel magno possit Nympha placere Jovi.

Hæc aget & celeres tecum per saxa Lacænas,
Eque suis tendet retia rara plagis
Siste gradum immitis, & quas nunc tendis ad undas,
Effuge: caussa tuæ fons erit ille necis.
Heu miserande puer tales ten' solvere pœnas?
Ten' decuit tam crudelia fata pati?
Magna parens, quæ cuncta leves producis in auras;
Tótaque diverso germine picta nites;
Quæ passim arboribus, passim surgentibus herbis
Sufficis omnifero larga alimenta sinu:
Excipe languentem puerum, moribundaque membra;
Æternumque tuâ fac Dea vivat ope.
Vivet, & ille vetus Zephyro redeunte quotannis
In niveo candor flore perennis erit.
Tu mecum socias Echo conjunge querelas:
Et percussa novis fletibus antra sonent.
Crudelis Telaira, meos quid spernis amores;
Quid miseras surda despicis aure preces?
Hei mihi nulla ovium tangit me cura mearum,
Ex quo me iste tuus perfida torret amor.
It miserum pecus; & seri sub vesperis umbras
Per se ipsi redeunt in sua tecta greges.
Nec mihi jam niveo complent mulctralia lacte:
Densaque promisso vellere terga gerunt.
Quin etiam aucupii studium, quo clarus habebar,
Languenti penitus excidit ex animo.
Ite leves passim silvis impune volucres:
Cuncta novus nostra è mente fugavit amor.
Otia agunt pedicæ, & lento lita vimina visco:
In tenebris amites, nexaque lina jacent.

*Damon.*

Vos mecum e vitreis Nymphæ Naucelides antris,
Vos mecum viridi paulum considite in herba:
Atque hoc, quem canimus, dignum concedite carmen.
Sic vobis patrias circum vernantia ripas
Prata neque hibernis nivibus viduata, neque æstu,

Sufficiant varios in serta nitentia flores.
Quis dolor ô silvæ, quæ vos ô prata tenebat
Mœstities? quanto squalebant omnia luctu?
Cùm ferus è gelidis descenderet alpibus ostis
Assiduè, & Latias in prædam verteret oras.
Tum [reor] invitâ creverunt pabula terrâ:
Invitæ e densis ceciderunt frondibus umbræ.
Quippe abigi raptas pecudes passimque videbant
Pastorum rapidos tectis involvier ignes.
Ipsi etiam hircipedes Fauni, Satyrique bicornes,
Ipsæ etiam in solos Nymphæ fugêre recessus:
Et sese ignotis occultavere latebris.
Et furor is fines propè jam pervaserat omnes,
Jamque fugæ deerat nobis locus, undique sævos
Cernere erat latis hostes discurrere campis:
Nulla usquam tam secretis lustra abdita silvis,
Nulla aditu est tam difficili, tamque invia rupes,
Quo non sæpe graves subitis incursibus acti
Fessa reclinarint in nudo corpora saxo;
Et tamen hinc etiam crebi ejecere tumultus:
Insuetæque maris pecudes (miserabile visu)
Qua pelagi mediis iter intercluditur undis,
Adriacos videre sinus: & littore curvo,
Pro viridi cytiso, pro molli graminis herbâ,
Et spinis paliuri, & acuta carice pastæ,
Potarunt salsas nitidis pro fontibus undas:
Et sæpe irati timuerunt murmura ponti.
Quod si non novus ex alto demissus Olympo
Hanc cladem nostris Deus avertisset ab oris:
Ausoniis esset nullus jam pastor in agris
Nos miseri patria extorres, rerum omnium egeni,
Ah dolor, externas longe erraremus ad urbes.
Hic nobis dulces saltus, hic pascua nota
Restituit: tutique inquit, jam pascite tauros;
Jam solitas tuti collo suspendite avenas;
Et desueta diu responsent carmina colles:
Ergo omnes veluti, & Phœbo, Panique, quotannis
Pastores certis statuent tibi sacra diebus,

Magne pater; nostrisque diu cantabere silvis:
Te rupes, te saxa, cavæ te maxime Juli
Convalles nemorumque frequens iterabit imago.
At vero nostris quæcumque in saltibus usquam
Quercus erit; ut quæque suos dant tempora flores;
Semper erit variis ramos innexa coronis:
Inscriptumque geret felici nomine truncum.
Tum quoties pastum expellet, pastasve reducet
Nostrum aliquis pecudes, toties id mente revolvens,
Ut liceat factum esse tuo pater optime ductu,
Nullus erit, qui non liber tibi lacte recenti;
Nullus erit qui non teneros tibi mactet agnos.
Quin audire preces nisi dedignabere agrestes;
Tu nostra, ante Deos, in vota vocaberis omnes.
Ipse ego bina tibi solenni altaria ritu,
Et geminos sacra è quercu, lauroque virenti
Vicino lucos Naucelli in littore ponam.
Hic ripa passim in molli viridante sub umbrâ,
Vere novo, dum floret ager; dum germinat arbos;
Dum vario resonant volucrum nemora avia cantu,
Annua constituam festis convivia ludis:
Ductores pecudum hic omnes, rurisque coloni
Contendent jaculo, & rapidi certamine cursus:
Horridaque agresti nudabunt membra palæstra.
Ipse pecu, & tenero victor donabitur hœdo.
Præterea dulci cantabit arundine Damon
Carmina, quæ puerum docuit Sebetheïus Ægon.
Olim cum procul hinc illis habitaret in oris:
Scilicet ut quondam Assyrii pastoris amore
Capta Dea & cœlum, & fulgentia sidera linquens,
Omnibus his cari præferret Adonidis ignes.
Fortunate puer, tecum formosa Dione
Una tondet oves; una ad mulctralia ducit:
Atque immunda premit cœlestibus ubera palmis,
Dum te complexu teneat, non illa recusat,
Tecum inter pecudes vili requiescere culmo:
At Mars ipse Deæ curâ tabescit inani.
Fortunate puer, mediis pecus errat in agris:

Tu viridi dejectus in umbra, aut carmina cantas:
Aut posita in Veneris gremio cervice recumbis:
Illa tibi amplexus molles, illa oscula jungit;
Caraque odoratis exornat tempora sertis.
Sed tu nimirum, sed felix tu quoque Damon,
Cui licuit toties Ægonem audire canentem;
Divinique senis sacros ediscere cantus.
Quod mihi, magne pater, Divum si fata dedissent,
O quales tibi cantaret mea fistula laudes.
Et quodcumque tamen felix concedet Apollo,
Hoc te unum canet, hoc uni tibi serviet omne.
Nec quicquam magis optarim, quam digna triumphis
Posse tuis: videorque canens tua maxima facta,
Inferior nullo, non ipso Ægone futurus.
Ipse suo certet mecum si carmine Daphnis,
Ipse suo Daphnis cum carmine victus abibit.
Interea agrestis dignatus sibila cannæ
Dexter ades nobis: & quæ facis, otia serva.

## *De Cupidine, & Hyella.*

Florentes dum forte vagans mea Hyella per hortos
   Texit odoratis lilia cana rosis:
Ecce rosas inter latitantem invenit Amorem:
   Et simul annexis floribus implicuit.
Luctatur primo; & contra nitentibus alis
   Indomitus tentat solvere vincla puer.
Mox ubi lacteolas, & dignas matre papillas
   Vidit, & ora ipsos nata movere Deos;
Impositosque comæ ambrosios ut sensit odores;
   Quosque legit diti messe beatus Arabs:
I, dixit, mea quære novum tibi mater Amorem.
   Imperio sedes hæc erit apta meo.

## *Ad Noctem.*

Nox bona, quæ tacitis terras amplexa tenebris
   Dulcia jucundæ furta tegis Veneris;

Dum

Dum propero in caræ amplexus, & mollia Hyellæ
  Oscula: tu nostræ sis comes una viæ.
Neve aliquis nostros possit deprendere amores;
  Aëra coge atras densius in nebulas.
Gaudia qui credit cuiquam sua; dignus, ut umquam
  Dicier illius nulla puella velit.
Non sola occultanda cavis sunt orgia cistis;
  Solave Eleusinæ sacra silenda Deæ:
Ipse etiam sua celari vult furta Cupido;
  Sæpius & pœnas garrula lingua dedit.
Una meos, quos & miserata est, novit amores
  Officiis nutrix cognita fida suis;
Hæc, quæ me foribus vigilans expectat in ipsis;
  Inque sinum dominæ sedula ducit anus.
Hanc præter, tu sancta, lacent qui cuncta, silentque,
  Tu, Dea, sis flammæ conscia sola meæ:
Quæque libens adstat nostrorum testis amorum
  Nobiscum totâ nocte lucerna vigil.

*Laurus.*

Oppositæ obstabant nostris prius aedibus ædes,
  Nec nos cœlum ulla, solve juvabat ope:
Disjectis herus his, Solemque admisit: & aurâ
  Concessit nobis liberiore frui.
Hinc nos in tenues certatim tollimur auras;
  Ornamurque novæ frondis honore caput.
At tibi, cui sacris Musarum, & Apollinis umbris
  Extructas libuit posthabuisse domos;
Perpetuo similes nostris sint frondibus anni:
  Nobiscum augescant & tibi cuncta bona.

*De Pythagoræ simulacro.*

Quem toties vixisse anima redeunte renatum
  Mutato fama est corpore Pythagoram:
Cerne iterum ut docti cælo generatus Asylæ
  Vivat; ut antiquum servet in ore decus.

Di-

Dignum aliquid certe voluit: sic fronte severa est;
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset & ille altos animi depromere sensus;
Sed veteri obstrictus religione, silet.

*Veris descriptio, ad Turrium.*

Jam tristi canos glacie concreta capillos
Afflatu tepidi fugit hyems Zephyri.
Jam nitidum os Ver molle auras in luminis audet
Proferre, & teneros ferre per arva pedes:
Tempora diversis tollens halantia sertis
Purpureo matris Chloridos e gremio.
Summittit varios tellus fecunda colores,
Convertit molles quo puer ipse gradus.
Et passim, quacumque vagos deflectit ocellos,
Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
It prope, & incutiens blandas in pectora flammas,
Omnia jucundo accendit amore Venus.
Quam circum vario texunt e flore coronas
Perfusæ Assyrio rore comam Charites.
Hinc atque hinc mille aligeri pueri assultantes
Conjiciunt certa spicula acuta manu.
Concipiunt dulces animalia cuncta calores:
Persultantque vagi pabula læta greges.
Ipse suam de colle canens Amaryllida pastor
Pascentes tenui carmine mulcet oves.
Percussæque nova dulcedine corda volucres
Dant lætos passim per nemora alta sonos.
Sola gemit, ramoque sedens miserabilis alto
Absumptum mater Thracia plorat Ityn.
Dii bene, quod nostra tam longe a finibus ora
Exactum hoc dira est in regione scelus.
Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
Assueto cupiens se implicuisse sinu:
Illa ferox animi, cæcoque agitata furore
Avulsum duro diripit ense caput.

Quid facis ah, demens? ferro quem perdis iniquo,
Is lac dulce tuis hausit ab uberibus.
Huic tu longinquam votis optare senectam,
Huic solita es teneras dicere blanditias,
Heu miserum, genitor, nati, infelixque Sepulchrum,
Ut tibi nunc toto pectore sensus abit;
Infandæ nosti quum conjugis impia facta,
Atque epulas mensis tristibus appositas!
Nempe furis: strictoque ruis violentior ense:
Sed sublata alis effugit illa novis.
Perpetuum fleat, ut merita est: longisque querelis
Antiqui pœnas persolvat sceleris.
Nos, Turri, dum florifero vere omnia rident,
Spirat & e summis gratior aura jugis:
Nos hic, qua nitida pellucens rivulus unda
Labitur, & leni murmure dulce sonat:
Cantemus molles formosæ Amathusidos ignes;
Quidque ferox arcu, quid face possit Amor.
Armenias domat hic tigres, sævasque leænas;
Eripit hic summo, quum libet, arma Jovi.
Hoc duce pallentes umbras Oeagrius Orpheus,
Tristiaque horrendi limina Regis adit:
Nec timuit sævæve Hecates immania monstra,
Armatasve atris Eumenidas facibus.
Hoc cogente, omni quum pectore consternatus
Abrupto nollet vivere conjugio;
Paulatim Eurydices, veterumque oblitus amorum,
In Calain tota mente Boreïadem
Exarsit; petitusque insano perditus igne
Sensit ferventes intima ad ossa faces.
Formose o Calai, pulchræ genus Orithyiæ,
Te virides silvæ, te cava saxa sonant.
In te suspirat, solum te cogitat Orpheus;
Per te sollicito nulla quies animo est.



Ad

*Ad Gelliam rusticantem.*

Dum te blanda tenent æstivas rura per umbras,
 Deliciis nimium rura beata tuis;
Ecqua tui, mea lux, tangit te cura poëtæ?
 An meus e toto pectore cessit amor?
Cessit amor certe: soliti cessere calores:
 Absentis meminit nulla puella viri.
Non ita concussæ versantur in arbore frondes,
 Quum gravis adversum verberat aura nemus:
Quam facile instabilem permutat femina mentem.
 Exclusus queritur, qui modo carus erat.
Non sic Penelope; non sic Capaneïa conjux
 Antiqui meruit temporis esse decus.
Altera defuncti mœrens ad busta mariti,
 Noluit abrepto vivere sola viro:
Altera bis denos potuit durare per annos,
 Dum cupidos cauta detinet arte procos.
Femina nunc varias tantum connectere fraudes
 Novit, & in nulla certa manere fide.
Quid queror hæc demens? duræ procul ite querelæ:
 Ite: decent tristes tristia verba viros.
Lætus ego; nos neque enim sequitur mea Gellia mores:
 Mutare incertos nec solet illa toros.
Quin & mansit amor: soliti mansere calores:
 Absentis meminit nostra puella viri.
Multa tamen timeo: tu multa ignosce timenti.
 Hei mihi pars nostro nulla timore vacat.
Ah quoties vereor, dum picta per arva vagaris,
 Dum rutilæ texis florida serta comæ:
Ne ruat e summis in te Saturnius astris:
 Sisve alii cuivis grata rapina Deo.
Pressit Amymonen mediis Neptunus in arvis,
 Dum premeret summum virginis urna caput.
In mediis Io campis perpessa Tonantem est:
 Horridaque hirsuta cornua fronte tulit.

Hinc

Hinc quoque Tartareo raptam Deoïda curru
  Abstulit infernus in sua regna Pater.
Sidonis errabat nitidos Europa per agros:
  Quum medium ficto per mare vecta bove est.
Non tamen hos tantum caussantur prata timores;
  Hei mihi quam multos dat quoque silva metus,
Hinc habitant Satyrique, & agrestia numina Panes,
  Et timor errantum Faunus Hamadryadum.
Hic versa in virides Daphne Peneïa frondes;
  Hic fera mutato Parrhasis ore fuit,
Hic & semicaper spreta Nonacrius Ægla
  Arcadicæ forma Virginis incaluit,
Quod si tecum iisdem pariter versarer in arvis;
  Et domus unanimes clauderet una duos.
Non ego Cœlicolum fraudes, non furta timerem;
  Undique me socio, Gellia, tuta fores.
Si versa est Daphne: Sicula Proserpina ab Ætna
  Si vecta est Stygiis in nova regna rotis:
Quid mirum? facile est deceptas fraude puellas
  Fallere, nullius quas tueatur amor.
Ipse ego perpetuo tecum, mea vita, manerem;
  Sic possem nullos extimuisse Deos.
Sæpe pererrabat tacitos Atalanta recessus;
  Tuta tamen fido Mimalione fuit.
Cingeret obsessos seu curva indagine colles,
  Seu cuperet sævas cominus ire feras:
Hærebat lateri semper comes ille: nec umquam
  A domina lato longius ungue fuit.
Ergo huic non summi fraudes nocuere Tonantis:
  Inque suo nullos sensit amore dolos.
Sic ego per silvas tecum, & per prata vagarer:
  Grata essent sine te gaudia nulla mihi.
Nunc pariter nitida recubare juvaret in umbra,
  Et capere in viridi somnia grata toro.
Nunc pariter nuda fontes invadere sura,
  Torrida dum siccus finderet arva Canis.
Sæpius in silvis lepores captare fugaces,
  Et volucres fictis fallere carminibus.

Sæpius in denso convicia dicere luco,
  Et madidas verno flore ligare comas.
Sæpius umbroso choreas ductare sub antro,
  Quum daret agrestes tibia pulsa sonos.
Ah quoties tales inter, mea Gallia, lusus
  Injicerem cupidas in tua colla manus.
Dulciaque e roseis furarer basia labris,
  Basia mî cunctis anteferenda bonis.
O niveam, si qua hæc referet mihi gaudia, lucem!
  Gratior optatis non erit ulla meis.
Semper Erythræis signabitur illa lapillis:
  Semper erit sacros inter habenda dies.
Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caveto,
  Mutuus exstincto ne cadat igne calor.

## *Iolas.*

Pascite, oves, teneras herbas per pabula læta,
Pascite, nec plenis ignavæ parcite campis:
Quantum vos totâ minuetis luce, refectum
Fecundo tantum per noctem rore resurget:
Hinc dulci distenta tumescent ubera lacte;
Sufficientque simul fiscellæ, & mollibus agnis.
Tu vero vigil, atque canum fortissime Teuchon,
Dum pascent illæ latè per prata, luporum
Incursus subitos, sævasque averte rapinas.
Interea hic ego muscoso prostratus in antro
Ipse meos solus mecum meditabor amores;
Atque animi curas dulci solabor avenâ.
O formosa Amarylli, nihil te absente videtur
Dulce mihi nunc & nitido Vere omnia rident;
Et vario resonant volucrum nemora avia cantu;
Exultim virides ludunt armenta per herbas;
Lascivique agni, infirmisque artubus hœdi
Cornigeras matres per florida prata sequuntur.
Non tamen ista magis sine te mihi læta videntur,
Quam si tristis hiems, nimbisque rigentibus horrens,
Agglomeret gelido canas Aquilone pruinas,

Dulce apibus flores, rivi sitientibus herbis,
Gramen ovi, capræ cytisus, Amaryllis Jolæ.
Non ego opes mihi, non cursu prævertere ventos
Optarim magis, aut pecoris quodcumque per orbem est,
Quam te Amarylli meis vinctam retinere lacertis,
Et tecum has inter vitam deducere silvas.
Est mihi præruptis ingens sub rupibus antrum,
Quod croceis hederæ circum sparsere corymbis;
Vestibulumque ipsum silvestris obumbrat oliva:
Hanc prope fons, lapide effusus qui desilit alto,
Defertur rauco per levia saxa susurro:
Hinc late licet immensi vasta æquora ponti
Despicere, longe venientes cernere fluctus.
Hoc mecum simul incoleres Amarylli: simulque
Mecum ageres primo pecudes in pascua sole:
Mecum abeunte die pecudes cava in antra vocares,
Sæpe etiam denso in nemore, aut convalle virenti,
Dum tenue arguta modularer arundine carmen:
Tu mecum ipsa esses simul, astaresque canenti:
Quin & nunc pariter caneres: nunc dulcia nostro
Basiaque & Veneris misceres gaudia cantu.
O solum hoc Superi misero concedite amanti!
Tum licet & rapiantur oves, rapiantur & agni,
Ipse tamen Crœso mihi ditior esse videbor.
Mollibus in pratis Lycidæ, post Daphnidis hortos,
Purpureos flores texenda in serta legebas:
Cum te succincta tunica, fusisque capillis
Et vidi simul & totis simul ossibus arsi.
Pone sequebatur Gorge soror, & tamen audax
Accessi: sumque ipse meos tibi fassus amores.
Risisti, & sertum, nitida quod fronte gerebas,
Tamquam ex se cecidisset humi, jecisti, abiensque
Liquisti, advertens collegi protinus ipse:
Servavique, & adhuc tamquam tua munera servo.
Et quamvis dudum foliis languentibus aret;
Non tamen est serto quicquam mihi carius illo.
Ex illo semperque fui tibi deditus uni;
Pulchraque nulla meis oculis te præter habetur.

Sæpe mihi Alcippe vicina & munera misit:
Et dixit, formose puer, quæ munera mittit,
Mittit & ipsum animum: tu & munera suspice, & illum.
Sed potius Amarylli alio quam tangar amore,
Sudabunt humiles flaventia mella genistæ;
Et molles violæ dura nascentur in orno,
Incultique ferent candentia lilia vepres,
Et mœstis ululæ cedet philomela querelis.
Quantum ver formosum hieme est jucundius atra;
Quantum mite pyrum sorbis est dulcius ipsis;
Quantum hirsuta capella suo setosior hœdo;
Quantum nocturnis obscuri vesperis umbris
Puniceo exurgens Aurora nitentior ortu est:
Tantum, Amarylli, aliis mihi carior ipsa puellis.
Hæ testes mihi sunt silvæ, vicinaque silvis
Populus hæc: cujus tale est in cortice carmen:
Vellera. cum. setis. aries. mutarit. &. hircus
Velleribus. setas. Amaryllida. linquet. Iolas.
Sed nos dum longum canimus, jam rosida Luna
Apparet cœlo; & rapidus deferbuit ardor
Demerso jam Sole. tamen miser ardet Iolas.
Nimirum nostros nequeunt lenire calores,
Nec quæcumque rigent Riphæo in monte pruinæ,
Nec quæcumque simul gelido durantur in Hebro.
Fors tamen hos illa ipsa potest quæ sola levabit:
Sperando interea duros solabimur ignes.
At vos, ne sero dum nox insurgit Olympo,
Præsidio umbrarum fretus malus ingruat hostis,
Jam pasti secura greges in ovilia abite.

*Ad Hyellam.*

Quam tibi nunc Jani donamus, Hyella, calendis,
Exprimit hæc vultus parva tabella meos.
Nulla fuit cuiquam similis mage: pallet imago;
Assiduus nostro pallor in ore sedet.
Est excors; sine corde & ego, quod pectore nostro
Ipse amor ereptum sub tua jura dedit.

Non

Non loquitur; mihi sic tua cum datur ora tueri:
Torpet nescio quo lingua retenta metu.
Unum dissimile est nobis: felicior uno est
Tam sæva quod non uritur illa face.
Quod si etiam uretur (tuo enim sub lumine quidquam
Illæsum flammis non licet ire tuis)
Non ut ego assiduo infelix torrebitur igne;
In cinerem primo corruet illa foco.

*Ad Somnum.*

Beate Somne, nocte qui hesterna mihi
Tot attulisti gaudia:
Utinam Deorum rector ille cœlitum
Te è cœtu eorum miserit,
Quæ sæpius mortalibus vera adsoleant
Mitti futuri nuntia.
Tu, quæ furenti surdior freto meas
Superba contemnit preces,
Facilem Neæram præbuisti: quin mihi
Mille obtulit sponte oscula:
Oscula, quæ Hymetti dulciora sint favis:
Quæ suaviora nectare.
Verè beate Somne, quod si sæpius
His dive me afficias bonis:
Felicior cœlestibus Deis ero,
Summo nec inferior Jove.
At tu proterva quo libet fuge, eripe
Complexibus tete meis:
Si Somnus iste me frequens reviserit;
Tenebo te, invitam licet.
Quin dura sis quam libet ferox: eris
Et mitis, & facilis tamen.

*Ad Canalem, & Bembum.*

Canale optime, tuque Bembe, nostri
Amantissimi utrique, amati utrique

A me non minus atque utrique ocelli,
Quid rerum geritis? valetis? atque
Abſentis memores ſodalis eſtis?
Quid veſtræ faciunt bonæ Camœnæ?
Scripſeruntne aliquid novi meum poſt
Diſceſſum? puto: jamque quidquid oti
Per veſtràs datur occupationes,
Id vos in ſtudiis bonis locatis.
Ad me mittite ſi quid edidiſtis,
Oro: nec ſocium bonum negate
Veſtri participem leporis eſſe.
Sed quî cum Venere ipſa, amoribuſque
Quam vobis bene convenit? caletis;
Amatiſne? Dei Deæque faxint
Et feliciter, & bene ipſi ametis,
Quamque ego leviuſque leniuſque.
Heu heu me miſerum mei ſodales,
Quàm ſævo teneor furore: quàm mi
Totus, quam gravis incubat Cupido.
Non quod non amer: intimis medullis
Ardet me mea Hyella, perditeque
Quantum quid pote perditiſſimum eſſe:
Verum hoc me excruciat; magis potiri
Mea nam vetitum mihi puella.
Quod ſi quando licet; nihil levatur,
Sed ferus magis excitatur ardor:
Nam cùm nec ſaturum recedat inde
Cor mî; nec furor expleatur unquam
Caris baſiolis, papilluliſque,
Atque his, qui miſerum necant, ocellis:
Augeſcit magis, & magis: quid heu heu
Adverſo paterer Deo: atque iniquo,
Si hæc incommoda ſunt ſecundo amore?

*In Vancium vicum Patavinum amœniſſimum.
Carmen a Laurentio Pignorio primum editum in calce
libri Originum Patavii.*

Blanda o Naïadum cohors ſororum,
Quæ Vanci nitido latetis amne,
Fuſæ colla decentibus capillis,
Quos large ambroſii rigant liquores:
Comtæ & carbaſeo ſinus amictu:
Exite e liquidis ſimul latebris,
In veſtros ſimul hic adeſte luſus,
Quos large Zephyro favente tellus
Vernos florida ſuggerit per agros.
En ſcandentibus hinc & hinc flagellis
Per flavas ſalicum comas pererrans
Vitis pampineas miniſtrat umbras;
Per quas ſibila murmurantis auræ
Jucundum tenero ſtrepunt ſuſurro.
Hic gemmantibus hinc & hinc roſetis
Cultas texere vos licet coronas:
Et paſſim ſimul omnium colorum
Lectos in calathis referre flores.
Queis comtas pariter comas revinctæ,
Queis ſparſæ teretes ſimul papillas,
Ductetis pariter choros libentes:
Ductetis hilares ſimul choreas.
Sed quid ſplendidius niteſcit aër!
Quid fragrantius huc feruntur auræ?
Rident omnia, & aëre in ſereno
Spirarunt Cyprii, Syrique odores.
Agnoſco; reſoni ſtrepunt querelis
Olores Paphii, Cupidinumque:
Concuſſæ ex humero ſonant pharetræ.
Ad flores properat ſuos Dione.
Nunc vos Vanciades ſimul ſorores
Inſtaurate choros licentiores
Et novæ Venerem . . . * . . choreæ, *decent fortaſſe

Et chori Venerem licentiores.
Huc mitis, Dea mitiorque ſemper
Adſis muneribus benigna noſtris,
Quæ verſis tibi fundimus quaſillis:
Quæ pictis tibi teximus coronis.
Incultis, face, Vancium roſetis
Pæſtum vincere, floridumque Tibur.
Hæc non bruma rigens calorque lædat:
Hæc non flamina peſtilentis Auſtri;
Sed ſemper tibi cultius niteſcant:
Sed ſemper genitalibus Favoni
Tua in munera mulceantur auris.

*In Hyellæ ocellos.*

Quamvis te peream æque, Hyella, totam:
Nec pars ſit, mea lux, tui ulla, quæ me
Sævo non penitus perurat igne:
Fulgentes tamen illi, amabileſque
Illi ſideribus pares ocelli,
Noſtri maxima cauſſa ſunt furoris.
O cari nimis, ô benigni ocelli,
O dulci mihi melle dulciores,
Quando vos miſero mihi licebit
Uſque ad millia millies trecenta,
Aut ultra hæc etiam, ſuaviari?
Dii concedite mî hoc miſello amanti;
Dein nil grave perpeti recuſo:
Quin & ſi peream, lubens peribo.

*Ad Hyellam.*

Diſperеam niſi tu vitâ mihi carior ipsâ,
  Atque animâ, atque oculis es, mea Hyella, meis.
Diſperеam niſi ego vitâ tibi carior ipsâ,
  Atque animâ, atque oculis ſum, mea Hyella tuis.
Nec ſatis hoc: vellem poteſ quidquam his eſſet habere
  Carius, ut poſſes carior eſſe mihi.

Tu

Tu quoque idem velles, pote quidquam his esset haberi
   Carius, ut possem carior esse tibi.
Dii facite, hæc longos concordia duret in annos,
   Tamque bonos mutent sæcula nulla animos.

*Hymnus in Gabrielem Archangelum.*

Jam cœli reserat fores
      Aurato è thalamo exiens
      Mater Memnonis, & diem
      Læto provocat ore.
Nos te maxime Maximi
      Minister canimus patris:
      Quo nullus qui hominum genus
      Tam præsens juvet, usquam est.
Tu nostras celer ad preces,
      Aures protinus ad Deum has
      Defers: nec tenues finis
      Evanescere in auras.
Tu dum fers nova nuntia
      Virgini æthereo patri
      Dilectæ, quibus indicas
      Magni vota Tonantis:
Nobis fers nova nuntia:
      Queis è faucibus impii
      Erepti hostis, in aurea
      Cœli templa vocamur.
Adsis ô bone: & in dies
      Semper nos propitius juva:
      Nec patrocinio tuo
      Umquam mitte tueri.

*De Patavio a militibus vastata.*

Urbs, quam vetusto vectus ab Ilio
Post fata Troum tristia, post graves
   Tot patriæ exhaustos iniquo
      Tempore, tot pelago labores,

Dis-

Ducente demum Pallade, qua rapax
Cultos per agros Medoacus fluit,
Dîis fretus Antenor secundis
Condidit Euganeis in oris:
Tu nuper & flos, & decus urbium,
Quascumque tellus Itala continet;
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & studia una alebas.
Te septicornis Danubii accola,
Te fulva potant flumina qui Tagi,
Longeque semoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc, acerbi heu sæva necessitas
Fati, severas ut pateris vices:
Ut te ipse vastatam vel hosti
Conspicio miserandam iniquo!
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hausta suburbia?
Quid glande deturbata ahena
Mœnia, præcipitemque sævi
Mavortis iram, bellaque persequar
Horrenda? squammis ille adamantinis,
Ferroque consertam rigenti
Induerat chlamydem trilicem.
Fremensque, & atrum letifera manu
Telum coruscans, secum odia, & necis
Contemptum, & insanos tumultus,
Secum animos, rabiemque agebat.
Ille Urbe ab imis sedibus eruta
Implesset omnes funeribus domos;
Non ille vel sexu, vel ullo
Efferus abstinuisset ævo.

*Ad Bembum.*

Qui modo ingentes animo parabam,
Bembe, Bellorum strepitusque, & arma
Scribere, hoc vix exiguo male audax
Carmine serpo.

Nempe Amor magnos violentus ausus
Fregit iratus: velut hic Tonantem
Cogit & fulmen trifidum rubenti
Ponere dextra.
Sic eat: sors & sua laus sequetur
Candidæ vultus Lalages canentem, &
Purius claro radiantis astro
Frontis honores.
Nota Lesboæ lyra blanda Sapphus:
Notus Alcæi Lycus: altiori
Scripserit quamvis animosum Homerus
Pectine Achillem.

## In Auroram.

Dia Tithoni senioris uxor,
Quæ diem vultu radiante pandis;
Quum genas effers roseas rubenti
Prævia soli:
Roscidos ut nunc per agros vagari
Sub tuos adventu juvat, & recentes,
Quas tuos semper comitantur axes,
Excipere auras!
Sicca jam sævus calor uret arva:
Jam vagi aurarum levium silescent
Spiritus, jam sol rapidus furentes
Exseret ignes.
Dum licet, læti simul ite amantes:
Dum licet, molles pariter puellæ
Ite * flaventes vario capillos
Nectite serto.
Nunc simul ventis positis Amores
Matris hærentes lateri, & decentes
Gratiæ plenos referunt resecto
Flore quasillos.
Per asperos saltus, per iniqua rura
Undique occultas agitans latebras
Fertur, & silvas varia ferarum
Strage cruentat

* [illegible] in nonnull. edit.

Ela

Clara Latonæ soboles: nitenti
Huic comæ in nodum religantur auro:
Pendet aurata ex humeris pharetra,
Pendet & arcus.
Circum eunt Nymphæ simul: illa cursu
Gaudet effusos agitare cervos:
Hanc juvat certis jaculis fugaces
Figere lyncas.
Nunc ab umbroso simul esculeto
Daulias late queritur querelas,
Consonum circa nemus, & jocosa
Reddit imago.

## *De Hyella.*

Nil tecum mihi jam, Phœbe, est, nil, Nox, mihi tecum:
A vobis non est noxve diesve mihi.
Quantum ad me, ut libet, auricomo Sol igneus axe
Exeat Eoæ Tetyos e gremio:
Ut libet, inducat tacitas Nox atra tenebras:
Fert mihi noctem oculis, fert mihi Hyella diem.
Nam quoties a me nitidos avertit ocellos,
Ipsa in luce etiam nox tenebrosa premit.
At quoties in me nitidos convertit ocellos,
Candida & in media fit mihi nocte dies.

## *De Menalca.*

Iverat ad Phyllida media de nocte Menalcas,
Posset ut ad patrios mane redire greges.
Jamque fores lento religatas vimine, mœstus
Suspensis manibus solverat ille animo:
Prospectansque oculis * per ostia limen,
Protenso poterat transiluisse pede.
Quum sensere canes: suo murmure victus, ut ira
Ardebat, tales jacit in astra sonos:

Cum

* semiaperta in Cod. Gagnæi.

Cinge triumphali, puer o, tua tempora lauro,
 Qui ad patrios tendis tutus, ut ante, greges.

*De Ludovico Pannoniæ Rege.*

Danubii ad ripas primo Rex flore juventæ,
 Cesus pro patriâ, cum patria hic jaceo.
Nec queror, immiti quod sim prostratus ab hoste,
 Sed quod me Reges deseruere pii:
Qui dum alia ex aliis inter se prœlia miscent,
 Et me, & se rabidis hostibus objiciunt

*Ad Venerem, ut pertinacem Lalagen molliat.*

Diva, quæ has cœli generatim in auras
 Cuncta producis: cupidumque amorem
 Undique infundens, facis, ut perenne
  Sæcla propagent:
Qua nihil lætum sine, amabile est nil,
 Nilque jucundum: sine qua nec ipsæ
 Gratæ erunt cuiquam Charites, nec ipsa
  Blanda Voluptas:
Dum tibi lætus reparatur orbis:
 Dum per herbosos pecus omne campos
 Vim tuam sentit: tibi plaudit omnis,
  Diva, volucris:
Dum nihil, quamvis rigidum, feroxque, est
 Ossibus quod non penitus sub imis
 Sit tua tactum face: quod tuos non
  Sentiat ignes:
Una erit flammarum, & amoris expers?
 Una secura his Lalage resistet?
 Tange age ultrici, Dea, pertinacem
  Tange flagello.
Quod si ita tanget, fera ut obstinatum
 Applicet nostris animum querelis,
 Nec preces ultra miseras superba
  Negligat aure:

Con-

Conferam lætam tibi, Diva, myrtum,
Vancius qua se rosifer revolvit:
Hanc mero supplex, niveo & rigabo
Lacte quotannis.

Hanc & immistæ pueris puellæ
Circum agent lætas pariter choreas:
Teque prima unam, simul ultima unam
Voce canent te.

Te canent unam, volucremque natum:
Qui ferox, duro & similis parenti,
Acer & flamma est, & agente certum
Cuspide vulnus.

Spargam odoratas violas, rosasque
Ipse ego, votique reus secabo
Grata torquatæ ante tuas columbæ
Guttura flammas.

*De imagine sui armata.*

Quid magis adversum bello est, bellique tumultu,
Quam Venus? ad teneros aptior illa jocos.
Et tamen armatam hanc magni pinxere Lacones,
Imbellique data est bellica parma Deæ.
Quippe erat id signum; forti Lacedæmone natum
Sæpe & femineum bella decere genus.
Sic quoque, non quod sim pugna versatus in ulla,
Hæc humeris pictor induit arma meis.
Verum hoc quod bello, hoc Patriæ quod tempore iniquo
Ferre vel imbellem quemlibet arma decet.

*In obitum Borgetti catuli.*

Borgettus lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et lusus herus ipse tantum amabat,
Quantum tale aliquid potest amari.
Nec mirum; dominum suum ipse norat,
Caram bima velut puella matrem:

Et

Et nunc illius in sinu latebat;
Nunc blande assiliebat huc & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore.
Erectis modo cruribus, bipesque
Mensæ adstabat herili, heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad Manes abiit tenebricosos.
Misselle o canis, o miser catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras!
Ut sæpe & dominum tuum requires!
Cui pro deliciis, jocisque longum
Heu desiderium tui relinquis.

*Genethliacon Pueri Nobilis.*

Vos mihi nunc magnos partus, ortusque beatos
Felicis pueri, quo pinguia culta vetusti
Naonis exultant, quo Carnia tota superbit:
Dicite Pierides: vos illum è matre cadentem
Excepistisque sinu & vestris fovistis in ulnis.
Et teneram molli cinxistis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has accessistis ad oras,
Nec solæ venistis ad hæc vos munera, Musæ;
Affuit ipsa etiam pariter, spargensque salubres
Pyxidos arcanæ succos, partusque dolores
Leniit, & matrem fœtu Lucina levavit;
Affuit Idalio veniens è colle Dione,
Nectare odorato crines perfusa fluentes,
Assuetæque leves Charites ductare choreas.
Hæ simul ambrosia puerum lavere liquenti,
Et parvas tenui cunas stravere ligustro,
Venit & undifluis properans Naucelus ab antris,
Quem prope cæruleo fluctu formosa Metune
Ibat, eos circum violasque rosasque rubentes.
Vimineis Nymphæ calathis, & serta ferebant
Purpureo è narcisso, eque auricomo crysantho.
Quæ postquam totas passim sparsere per ædes,

Ju-

Jucundoque domus late fragravit odore,
Protinus ecce Jovis magni de limine Parcæ,
Antiquæ Parcæ; niveo queis corpora amictu,
Canaque Chaonia velantur tempora quercu.
Hæ postquam & matrem complexæ, & fronte serena
Oscula junxerunt parvo felicia nato,
Candida versato torquentes vellera fuso,
Fatidico tales fuderunt pectore voces.
O fausto nimium cœlo Divisque benignis,
Nate puer, cresce, & dulces solare parentes,
Et fatis lætare tuis, tuque optima mater,
Tuque boni genitor pueri, quos omine dextro
Castus hymen quondam thalamo sociavit in uno,
Accipite hæc lætis animis, neu posse moveri
Credite, quæ vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico se tollit amaracus horto,
Quam studio solers omni formosa puella
Ipsa suos alit in ludos. & lenibus undis
Irrigat; illa leves paulatim surgit in auras.
Pulchrior, & dulcem late diffundit odorem:
Sic puer augescens primo se tollet in ævo,
Nec se quisquam illi formoso conferet ore.
Mox ubi jam validus teneris excesserit annis.
Tunc illum sacras artes, doctæque docebunt
Aonides, princepsque chori formosus Apollo.
Illi & divini latices Aganippidos undæ,
Et virides Hæmi saltus, Pindique patebunt.
Mars quoque bellipotens simul, & Tritonia virgo
Muneribus bellorum, & sævis instruet armis.
Doctior haud illo quisquam seu comminus ense,
Seu sit opus valida concurrere longius hasta,
Sive inflectere equum, atque arctis compescere habenis,
Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
O quoties medio ferventem in turbine belli
Conversæ fugient acies! at percitus ille
Obvia quæque metet infesto corpora ferro:
Non secus ac præceps hyberno flumine torrens,
Cùm tumidus latè, pluviis hiemalibus auctus

Po-

Proruit adversas insano vortice silvas,
Obstantesque trahit ripas, camposque per omnes
Cum sonitu ruit, & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer, numquam non victor in hostem
Bella geres, magnique æquabis facta parentis.
Ille olim magnos Gallorum stravit acervos,
Italaque hostili manarunt arva cruore
Tum, cùm cæsa virûm serpens per corpora Lyris
Æquoreas cursum vis tandem invenit in undas.
Ille idem gelidâ cum gens immanis ab Arcto
Ausonios passim sese effudisset in agros,
Audaces animos ingenti strage repressit,
Alpinasque nives Germano sanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto fœdere Gallos
In Latios iterrum fines, prædamque ruentes
Proteret, & victos (divinis credite Parcis)
Italia expellet · cœloque æquabit honores.
At tu, si qua tuo restabunt bella parenti,
Ausoniam infenso nec dum pacarit ab hoste,
Ipse tua fidens animi virrute subibis.
Hæc primum: mox externas egressus in oras
Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce & Ausoniæ rursum rediviva resurget
Gloria, & antiquum latè victricibus armis
Reddetur Latio imperium. tua signa timebunt
Una omnes passim populi, quaque incidit alto
Æquore, & Oceano ferventes abluit axes,
Quaque coloratis effert se Phœbus ab Indis.
Tum demum placida contentus pace quiesces,
Sævaque mitescet posito Discordia ferro.
Aurea tum veniet sæclis melioribus ætas,
Felicesque anni & Saturnia regna redibunt.
Tum pax alma colet terras, Astræaque virgo,
Immersumque gemet Stygio scelus omne barathro.
Felices, qui tam læto nascentur in ævo.
Tu vero ante alias Superis gratissima tellus,
Quam tanto Divum genitor dignatur alumno,
Tu nitidas passim fruges, arbustaque læta

Sponte tua, nulloque hominum cogente labore
Produces, humiles sudabunt mella genistæ;
Incultique ferent candentia lilia vepres.
Finierant Parcæ: tum Juppiter æthere ab alto
Intonuit lævum, & cœli de parte serenâ
Perspicuus multo fulgor cum lumine fulsit.

*Ex Philemone.*

Si quid remedî lacrimæ afferrent malis.
Minorque semper fieret lugenti dolor,
Auro parandæ lacrimæ nobis forent.
Sed nil, here, istæc prosunt: res ipsæ nihil
Moventur istis, sive tu semper fleas,
Seu numquam, eamdem pergere insistent viam.
Quid his juvamur ergo? nil certe: at dolor,
Ut ipsa fructus arbor, sic lacrimas habet.

*Ex Menandro*

Nam si te, alumne, genitrix cum peperit tua,
Hac sorte es unus omnium in lucem editus,
Tibi cuncta ut evenirent quæ velles, bona,
Idque annuit magnorum quispiam Deûm:
Jure optimo indignaris: valde enim is tibi
Fallax repertus: quod si eisdem legibus,
Quibus nos omnes (tragicis ut verbis loquar)
Æque patentem cunctis aërem trahis,
Ferenda sunt hæc levius, & omnis rectius
Habenda ratio: denique hæc summa est, puta
Hominem esse te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemque deprimi citius solet.
Ipsumque id haud injuria: minimarum enim
Id virium est, & maximis semper studet,
Plurimaque secum commoda conterit cadens.
Tu vero & magna non amisisti bona,
Et mediocria sunt ipsa ea, quæ pateris mala.
Ergo & modeste alumne quod reliquum est feras.

*Cum ex Hispanica legatione in Italiam reverteretur.*

Salve cura Deum, mundi felicior ora,
Formosæ Veneris dulces salvete recessus,
Ut vos post tantos animi, mentisque labores
Aspicio, lustroque libens. ut munere vestro
Sollicitas toto depello pectore curas!
Non aliis Charites perfundunt candida lymphis
Corpora, non alios contexunt serta per agros.


*Desunt nonnulla, quæ erant in litura.*

---

# BERNARDI NAUGERII

## VENETI.

HAs, Neptune, tibi conchas dat Battus, honores
  Æquoris; hæc Lycidas ostrea, Glauce, tibi.
Vos facite irati deponant murmura fluctus,
  Dum medio jactant humida lina mari.
Hoc dulces natique rogant parvique nepotes,
  Ludere quæ vestro littore turba solet.
Nunc voces parui tantum, mox munera grati
  Ipsi etiam vobis, Numinâ magna, dabunt.





# FRIDERICI NAUSEÆ

## BLANCICAMPIANI.



*Libellus ad Auctorem quo sibi eundum sit quærens Illo subinde respondente.*

*L.* QUo vis, degrediar? *A.* Vetustam ad urbem.
Atque Antenoream. *L.* Rei quid istic?
*A.* Illustrem tibi quempiam patronum
Quæras. *L.* quem? *A.* tibi censeo petendum
Urbis Pontificem. *L.* Quod illius, dic,
Est nomen? *A.* Rogitas ubique notum
Nomen. stelligerum vel usque Olympum?
*L.* Qui scirem, veluti rudis latebris
Domi qui latui, timore labis
Clausus? tu vel ob id mihi negabis
Haud quicquam veniæ? *A.* minus negarim.
Nomen Pontifici, viro verendo,
Est Paulo, ex genere ille Zabarello
Illustri, simul inclytoque, sanctus
Vita, & moribus, estque disciplinis
Clarus tam variis, ut hæreo ipse
Illum quem vocitem. Dei Sophiæ
Est doctor, tenet omniumque legem
Prudentum, & canonum responsa patrum
Novit, quem media vel ex sophia
Depromptum nihil effugit sacrata:
Callet carmina, Apollinisque pandit
Phœbi oracula. Pluribus quid utor?
Hic tantus, facile ut minus putarim
Illum olim Cicerona vel laboris

Hunc,

Hunc, vel tantum operæ tulisse in ipso
Oratore bono excolendo, quantum
Ille insumeret, aut laboris, ævo
Hoc nostro aut olei, stylo eloquenti
Si vellet modo Præsulem referre
Hunc. Succumberet ille, opem negarent
Vires ingenii. Adde Xeinophontis
Nec tot connumerasse παιδείαν quot
Hoc in præsule sunt, vigent, nitentque
Virtutes. Sileant Numam, Catonem,
Aristidem (etenim licet minutis
Mihi magna modo referre rebus)
Quos hoc exuperat viros, vel omnes
Hic præsul Reverendus undecumque,
Quo illorum superat referta vanis
Instituta dolis fides, sacra atque
Christi relligio. Ast libet supremum
Jam tandem κολοφῶνα jungere. Haud dum
Hercle proposui tribus (quod ajunt)
Bolis, hic panegyrim inops canendi
Rhetor dicere, cujus ipsa laudum
Nec Demosthenis ora scripta posse
Partem vel minimam referre credam.
Non ignota cano, tibi fatebor
Verum. Ecce est adeundus ille præsul,
Quem si dicere tentem iners aperto,
Est totum ille σοφὸς & illa summa est.
Habes rem, Ito citus. *L.* Viam reclude
*A.* Urbem ingressus, eas ubi vetustum
Ad templum est iter, hoc, tenet quod almam
Sedem præsulis, & patrum priorum.
Quo delatus, Eundum erit secundam
Per portam, e regione collocatam,
Illac, qua egredientibus videntur
Extemplo ad latus, & manum sinistram
Ædes conspicuæ, modisque miris
Structæ, Cæsareis pares ut aulis
Posses dicere, quasque posse credas

Pulchræ mœnia Trojæ decora
Omnino æquiparare, quisque credat
Urbis cedere regiæ superba
Phœnissæ atria, nec venustiora
His palatia splendidam fovere
Romam crediderim, vel est quid illis
Ipsis pulchrius, aut fuit quid umquam.
Testes sunt Parii, quibus columnæ
Instructæ radiant, quibus figuris
Substant pegmata lucidis Colossi.
Quæ cœlo usque ferunt superbientes
Hi supra Rhodiæ venusta molis
Miræ limina, *L.* Verum opus quid illis?
*A.* Illuc ingreditor, roges per ampla
Mox cænacula, qua datur subire
Præcelsi thalamosque præsulisque
Ad conclave, Ubi mox videbis illum.
Ipsum Pontificem, Senem verendum.
Cujus calvities caput decorat
Nimirum reverenda, honore plenam
Et frontem, atque oculos virum decentes.
Magnum, magnificum, pium gravemque.
Hunc accede. manu osculare dextram.
Flexo poplite dicere hæc memento.
Te clarissime Pontifex, me adire
Jussit Nausea, me tibique totum
Et se dedicat, & tuo benigno,
Et fausto auspicio virûm per ora
Me prodire cupit, tuo mihi quo
Major nomine gloria atque scriptis
Esset præsidium, foretque secla
Nomen cuncta tuum, inclitum decusque,
Et victura tuæ diu sacratæ
Laus famæ, pariter futura grates
Esset posteritas tibi patrono
Relatura, quod ipsa quotque adepta
Ex me sit duce te, bonum modo sit
In me parvo aliquid boni. Proinde,

Ora

Oro, ſume libens, Verende preſul,
Antiſtes generoſe, me puſillum,
Mox majora tibi (Deo favente)
Mittet Nauſea, totus auctor iſte
Tuum mancipium, cliens fidelis,
Conſtans Verna, modo tibique gaudens
Seſe perplacuiſſe, meque. Saluus
Sis, & Noſtoreum; peropto tempus
Victurus, ſuper inde regna cœli
Scanſurus. Fruitor Deo beatus.

*Encomium Patavii Urbis.*

Cur felicior omnibus per orbem
Terrarum urbibus (ut ferunt ubique)
Urbs dicor Patavina, quæris? an non
Felix, cui ſuperi nihil negare,
Omnem quod tribuit beatitatem,
Et cui virgula cuncta largiatur
Divina. immo cui quod eſt ubique
Divûm propitiatur, & benigno
Ridet numine, noſtra Cæliteſque
Cuncti tecta colunt, agroſque latos
Cœlum Juppiter aureo ſerenat
Aſtro, fundit aquaſque largiores
Neptunus, Ceres alma adeſt, frequentat
Liber colliculos, cuiqueque noſtrum
Infundens gravibus merumque labris.
Mavors mœnia, quæ oppido eleganti
Sunt conſtructa manu, queat quibuſque
Roma ipſa aurea cedere, acer armat
Tutaturque vides? Quid ipſa multis?
Mille en tranſierim, quibus meopte
Poſſem jure ſub orbe ſolis inter
Omnes tollere me vel ampliores
Urbes, nec mihi terra par referri.
Unum non ſileam, parens virorum
Quod paſſim canor, atque alumna, quales

Vix doctæ meruere Athenæ, & orbis
Vel Roma ipsa caput videre magni.
Ex me sunt geniti ( fides verenda
Est mi ] Livius, alterum diserti
Romani eloquii, nitens ut astrum,
Lumen, quem sapiens secutus ipse
Paulus juris apex. subinde Stella
Quem musis comitatur. hucque magno
Par gressu Volusi poëta. Flacco
Sedes altera. Petre quis mihi te
Negat municipem? videns, legensque
Miro quæ ingenio tuo reponis, & cui
Nomen fons Aponi dedit nitentis.
Nec non vos patriam extitisse vobis
Nec me vos pudeat Lovatte docte,
Mussate, & Zabarella maximorum
Princeps cardineo nitens honore,
Quo Respublica floruit vel uno,
Christi Ecclesia vertiturque quodam
Sicut cardine, Roma cujus ipsa
Doctrinis radiat, simul manebit
Æternum, velut is manebit usque.
Adest Marsiliusque Galeati,
Perdoctus Pileusque Gulielmus,
Tecum sint Sophiæ incliti parentes.
Supersuntque duo celebriores
Cunctis quotve fuere, quotque nostro
Sunt seclo. reverende principalem
Locum Paule teneto Zabarella
Antistes, cathedras Episcopalis
Sanctas culminis, eruditionis
Præsul, relligionis almæ & ipse
Exemplar. Specimen verendæ & ingens
Virtutis, generisque imago vere
Antiqui referens σώφου ad assem.
Huc Francisce decus, jubar, corona
Doctrinæ, tibi proinde nomen extat
De Doctoribus, hoc in omne tempus

Illu-

Illustras gemini eruditione
Juris, consilio, fidelitate
Virtute, ingenio: subinde fama
Manebit tua gloriosa semper.
Multos transeo, quos suum recenset
Ævum, tempore quos brevi recondo.
Sat sit te moneam viator, inde
Ne mireris, ubi beatiorem
Dicent me urbibus omnibus, refertam at
Me tot nosce bonis, quot haud & ulla.

*Ad Mariam Virginem.*

Quid mihi vis fiat misero? quo crimine pauper
Destituor verbis, virgo beata, meis?
En quæ clarisono sueyit resonare palato,
Et mea vox grato, verba diserta, tono.
Hæc (hei) nunc querulam sequitur miseranda columbæ,
Quæ nisi dat gemitum cordis amara sui.
Hæc sequitur balbam, nulla dulcedine, picam
Fingentem humanos, arte docente, modos.
Organa conversis utuntur partibus. Et quæ
Est cerebri pars, hæc pectoris esse cupit.
Namque cibum nares capiunt, & verba remittunt,
Unde fluit versis potus & ordinibus.
Te precor hanc pestem, Patrona, coërce cruentam
Qua crucior tantis pauper ubiquo malis,
Da quoque apud summum pro me suffragia patrem.
Parcere peccatis quo velit ille meis.
His equidem (ut credo) pulsis, pelletur & omnis
Morbus. Ab iis etenim est causa & origo mali.
Verum, si diis est visum, ut mea crimina pendam,
Fac aliis solvam, facta scelesta locis.



FLA-

# FLAMINII NOBILII

## LUCENSIS.



*Ad Franciſcum Medicem Flor. & Senen. Principem.*

PRinceps floſcule Principum, decuſque,
Quem virtus, probitaſque ſingularis,
Cœleſte ingenium optime expolitum,
Et clarum genus, evehunt ad aſtra:
Ago nunc tibi gratias, agamque,
Dum pars ulla animæ meæ vigebit,
Quod tua eximia benignitate
Tuorum numero inſeror clientum,
Tam plane infimus omnium clientum,
Quam tu maximus omnium patronus.
Sed quamquam infimus omnium clientum,
Illud aſſerere haud tamen verebor,
Quod præſtare potis ſum, amantiorem
Non ullum eſſe tui, aut magis colentem.
Me ſol ignea noctis aſtra vitans,
Me rebus nitidum afferens colorem,
De te perpetuo, tuaque laude
Linquet, invenietque cogitantem.



# LUDOVICI NOGAROLÆ

## VERONENSIS.

*Ad Paulum Rhamnusium Venetum.*

FRastorii monumenta hoc tu dum, Paule, libello
  Colligis, e cæcis eripiens tenebris,
Scilicet ut Vates, Medicaque excelluit arte,
  Percurritque domos ætherias animo,
Ingentes Verona refert tibi nunc mea grates
  Cum Baldo, Benacoque ſuo, atque Atheſi.
Qui tanto aſſurgent plauſu, quantum ipſa labore
  Fama ſui civis ſe efferet aucta tuo.

---

# HIERONYMI NOMII

## BURGENSIS.

*Ad Muſas. De Laurentio Frizolio.*

SUpremi ſoboles Jovis
  Muſæ, Pierii gloria verticis,
Parnaſſi egregium decus,
  Et gratæ comites candidi Apollinis;
Quæ cultus hominum feros
  Formatis numeris, & fidibus novis,

Can-

Cantu flumina sistitis,
  Mulcetis rapidi flaminis impetum;
Quæ dulci scopulos lyra,
  Et duras nemorum ducitis arbores:
Vobis Pierides datur,
  Et mœstis hominum pellere mentibus
Ægras sollicitudines
  Doctis carminibus, voceque Olympica.
Vestro numine vertitur
  Quidquid stelligero cernitur ambitu:
Vos quantum regitur polo
  Terrarum, ætheris, atque æquoris humidi,
Innuptæ regitis Deæ
  Quid? nos quod sapimus, quodque homines sumus
Vestro omne hoc operi damus
  Quin & vaticinis acta furoribus
Vestri pectora numinis,
  Et laudes superûm, & nomina grandibus
Heroum recinunt modis,
  Magnorum & celebrant facta decentia
Regum. vestra ope Pindarus
  Hostiles animi molliit impetus
Cessisse arbiter inferûm
  Poscenti Eurydicen dicitur Orpheo,
Omnis cum obstupuit domus
  Plutonis Stygii, motaque Tartari
Imis Regia sedibus,
  Latratusque inhians ore coërcuit
Nigri janitor atrii.
  Sed vates memorem quid veteres? modo
Laurentî prece, nubila
  Quæ multis fuerant condita mensibus,
Sparsere imbribus humidis
  Terras assiduis solibus aridas:
Magnisque usta caloribus
  Quæ nuper fuerant prata, virentibus
Gaudent graminibus: modo
  Nudatæ solitis frondibus arbores

Orna-

Ornamenta vident sua;
  Et nobis redeunt flumina fontibus.
Fortunate ter, & quater,
  Cui laurus dedit & nomina, & omina;
Quem non vel superet Linus,
  Quique æquet numeris Orphea Thracium;
Quamquam Calliope Parens
  Est huic, ille patrem jactat Apollinem;
Certet Calliope Linus,
  Certet Threicius judice Apolline.
Is namque ut pluvias potest,
  Sic cœlo poterit ducere sidera;
Sic solis jubar aureum,
  Sic irata Jovis flectere flumina.
Vos hoc Pierides datis:
  Vestris nam imperiis omnia subjacent.

*In Julium Parisanium Episcopum Ariminensem. Novis. Ad Pium V. Pont. Max.*

Secura insolitum quæ maris avii
  Carpsi navis iter, dum Parisanius
  Rectum navita clavum
  Felici tenuit manu,
Nunc, postquam rapidis orta Aquilonibus
  Tempestas celeri turbine depulit
  Alta puppe magistrum,
  Mergenda in mare turgidum
Adversis rapior flatibus. Africus
  Infirmas validis verberat ictibus
  Antennas: solidamque
  Pinum cum fremitu quatit.
Interdum horrisono murmure corruit
  In puppim pelagus: nunc celeri latus
  Torquens vortice, creber
  Eurus præcipitem rapit.
Tam laxis laterum permeat undique
  Costis pernicies æquoris humida;

Pras-

Pressæque ima carinæ
Salso pondere degravat.
Heu jam remigii nulla, nec anchoræ
Spes fessæ superest: strenuus arduo
Me vix Galba tueri
Conatu, & studio valet.
Vos, o vos laceram queis validò est ratem
Servare auxilio, & nubila, & asperam
Vim sedare, precantis
O tandem miserescite:
Tuque o dexter ades, numine qui Dei,
Irati rabiem comprimis Adriæ,
Insanosque coërces
Sanctis imperiis Notos;
Imis qui potes aut concita sedibus
Demulcere freta, aut tollere flamine;
Qui lætam potes atris
Aut obducere nubibus
Lucem, aut appositas
Umbras ethereis: te duce territus
Duris nauta periclis,
Optato lare denique
Securus potitur. Te mea si Pium
Quid tangit pietas, si lacrimæ, & preces
Flectunt, anne erit ulla
Nostris meta laboribus?
Jam, jam parce tuæ: jam Parisanium
Pacato aspiciens lumine Julium
Tantis siste procellis
Actum litore sospitem.

*In Cardinalem Paleottum, Vaticinium.*

Sedula divinûm nutrix cum numen adisset,
Eque aditis fatum peteret Gabrielis alumni,
Talia fatidico correpta furore Sybilla
Protulit, & pueri cecinit felicia fata.
Fortunata domus, fortunatique parentes, Et

Et felix ortu Gabrielis Felsina, & orbis
Roma olim Regina potens, atque Itala tellus:
O felix hominum genus, o felicia vere
Tempora, læta dies, & dextera sidera, talem
Quæ puerum, tanta insignem virtute tulere.
Quem cum summa fides, vitæque exemplar honestæ,
Et morum probitas, atque omni in munere præstans
Ingenium, tum rara sacri prudentia juris,
Et sophiæ studium, & linguæ facundia doctæ,
Ad summos olim tollet virtutis honores.
Jamque illum summa videor cum laude docentem
Aspicere; & multos cunctis concurrere ab urbis
Partibus adductos fama Gabrielis, ad urbem
Felsineam: (sic fata monent) jam cernere gentem
Romanam videor, sella dicentis ab alta
Servantem leges, & judicis ora verentem.
Jam, (si vera mihi cœlestia numina dictant,
Nec vatem superi fallunt) majoribus illum
Extollet virtus titulis: spectabilis ostro
Incedet Gabriel Tyrio, patrumque sacrorum
Ornabit numerum: sed adhuc majora supersunt
Fata viro: illum olim liceat spectare beato
Alte subnixum solio, Petrique gerentem
Munus, & hæreticas gentes, Turcasque superbos
Debellantem armis; & relligione sub una
Errantem populum Mosis, durataque corda,
Surgentem nobis, atque auspice denique Christo
Prisca renascenti reddentem secula Mundo.

### *In Pium V. Pont. Maxim. & Cardinalem Alexandrinum.*

Impia sacrilegi jamdudum crimina secli
  Fugerat exosa hinc Relligio, & Pietas.
Viderat innumeris fœdatum sordibus orbem,
  Et ficto superum numina honore coli.

Sa-

Sacra quoque ipsa animis, manibusque litata profanis
Et pia pollutis thura cremata focis.
Turpatas etiam scelerata cuspide Divûm
Effigies, & jam nil superesse pium.
Vidit & ingemuit, terraique exosa nocentes
Æthereas petiit, non reditura, domos.
Nunc patruum mirata Pium, mirata nepotem,
Læta redit rursum Relligio, & Pietas.

*In obitum Julii Cæsaris Gozadini Abbatis.*

Quid me lugetis? mea cur vos funera turbant,
Ægraque sollicitat corda, premitque dolor?
Cur tristes lacrimas hic turgida lumina fundunt?
Cur plangunt crebræ pectora fida manus?
Nescitis quanta hoc adducat gaudia lethum?
Nescitis quanti hæc funera sint oneris?
Me facit interitus meliorem vivere vitam,
Vitam, quæ nullum sentiet interitum.
Spiritus usque viget, magis & magis usque vigebit:
Nec minuent nostros secla futura dies.
Ergo meam quicumque vicem, quicumque doletis,
Spargitis & lacrimis nostra sepulchra piis:
Parcite jam fletu, & curis imponite finem:
Vita etenim hæc est, haud dixeris interitum.

*Ad Antonium Sulphrinium.*

Judex candide carminum meorum
Antoni, hendecasyllabos lepores
Qui censes merito locum priorem
Inter cuncta poëmata obtinere,
Mellitosque adamas sales Catulli,
Quique & ipse facis nova, & diserta,
Et perpulchra poëmata, & venusta:

In

Insulsa, illepidissima, invenusta
Nostra hæc accipe: quæ legas, petoque &
Quæso, lectaque corrigas benigne:
Et si diligis hunc, amice, amicum,
Qui vere ex animo te amat colitque,
Condita referas sale atque melle,
Omnibusque leporibus Catulli,
Judex candide carminum meorum.

FINIS.





# INDEX
## Rerum notabilium, quæ continentur
## IN TOMO SEXTO.

A.

B

## C

## D



## E

# F

## G



## H



## I

L



M



*Me-*

## N



Ner-

## O



## P

Re-

## T



## V



Ven-

## X



## Z





